









CAIMUS, Pompeius. **De febrium putridarum indicationibus** iuxta Galeni methodum colligendis, et adimplendis, libri duo. 4 leaves, 266 pp. 4to. Original vellum. Padua, 1628. Fr. 10. —
Several leaves slightly waterstained. Two small library stamps on title-page.

DE
FEBRIVM PVTRIDARVM INDICATIONIBVS
IVXTA GALENI METHODVM colligendis, & adimplendis.

LIBRI DVO.

AVCTORE

POMPEIO CAIMO VTINENSI, EQVITE, & in Patauino Gymnasio Theoricæ ordinariæ Professore Primario.

Ad Amplissimum Senatorem

ANTONIVM BARBARVM, D. MARCI PROCVRATOREM.



PATAVII
Apud Petrum Paulum Tozium. M DC XXVIII.

Superiorum permissu.



Illustriss. & Excell. Viro ANTONIO BARBARO, D. MARCI PROCVRATORI.

POMPEIVS CAIMVS F.



Lurimum tibi debeo, Vir præstantissime, quia tua me amplitudo magnis potuit cumulare beneficijs, minimum tecum præsto, quia tua in me merita nullis meis pensari possunt officijs, omnis mihi gratia à te collata, nulla tibi à me relata, quia primum tu potuisti ob auctoritatis magnitudinem, voluisti ob naturæ suauitatem, secundum ego si nolim, ingratissimus quidem sim omnium, at si sperem, ineptissimus omnium, qui oneris mihi à benefitijs tuis impositi non agnoscam grauitatem, & vel sub hac tanta mole aliquam cogitem lacertorum commotionem. Mearum quidem rerum status ità se habet, vt nil mihi


ſit de referenda gratia cogitandum beneficientiæ tuæ magnitudine oppreſſo, illud in agenda, habendaque non deſperandum tui celſitudinem animi meditato, facile fore, vt quem gratiam videas referentem nullam, eum humaniter excipias & agentem, & habẽtem immenſam, & cui multorum te benefactorum præſtitiſti largitorem, hunc paucorum ſuſtineas verborum expreſſorem, vel ſylentij potius, mutum chariſtirion præbentis, æqui bonique facias obſeruatorem. nam maxima beneficia, qualia in me contuliſti vberrima, non tàm verbis cumulatis veniunt exprimenda, quam integro ſylentio excolenda, quia in eo aliquid facientes nil facimus, in hoc nil facientes aliquid facere videmur, dum facinoris non ſuſcepti, tamquam non bene perficiendi, difficultatem maximam confitemur. Hic eſt rebus magnis debitus ſylentij cultus, diuinis etiam laudibus conſentaneus, quas quia humana vox nequit pro dignitate concinere, debet eadem pro maiori maximi operis expreſſione, conticeſcere. Hinc fit vt licet frequens mihi detur tuorum in me meritorum anſa prædicandorum, & lingua mea quodam grati animi quaſi æſtro percita aliquam in hoc exerat copiam verborum, mentis tamen melius cogitantis accurrens ſubito recordatio ſuo quaſi fræno impetum eius omnem coerceat, & quæ corde comprehendi nequeunt, ea nec ore tentare ſinat. En modò, Senator Ampliſſime, in hunc me campum honeſta vocat occaſſio, dum ad librum meum tibi dicandum omnis me trahit iuſta cogitatio, multa hic eſſent mihi de tuis laudibus per om-

nium

nium ora volitantibus dicenda, & omnia statuo silenda, quia satius est silentem omnia confiteri, quam loquentem pauca essari. Sciunt omnes propemodum quantum tibi debeam, quia si mea me tenuitas facit ignotum, tua me præstantia efficit notum, & si qui sunt, qui nesciant, hos docebit hæc facta sub tui nominis splendore huiusce libri editio, clamantis apud omnes, testatum omnibus relinquentis, cuncta me tibi debere, nil posse vel factis, vel verbis præstare, nec ingrati tamen animi pertimescere crimen, quia meas humilis obsequij plenas cogitationes obseruantissimæ custodit memoriæ limen. Hoc si mihi non facit satis, cui nihil potest in hoc facere satis, at faciet (nec vana fides) tibi, qui non aliud à tuis requiris, nisi vt quos habes arctè deuinctos clientes (habes autem quam plurimos deuinctissimos omnes) eos audias clarè sua vincula confitentes. Hoc apud omnes officium absoluet hoc meum Medicum opus parti practicæ addictum, aliquot ab hinc annis, dum in Romano Gymnasio auditoribus meis praxim explicarem, conscriptum, & hoc tempore, vt comitem se præbeat libro Theorico, duobus ab hinc annis edito, euulgatum, quod tibi fuerit, vt pro beneficientia, debitum, sic pro humanitate forsitan gratum. Magnanimorum est parua munera magnifacere, Antoniorum est Magnanimitatem exercere, eorum præcipuè, qui non ad Barbaram malè instituti Regni ciuitatem, vt olim Romanus ille, delati, sed in Barbara Diuinæ Reipublicæ familia, & alti, & nati, perfecto perfectæ humanitatis cultu semper apparuerunt

orna-

ornati, quia proprium eſt huius præclariſſimæ familiæ inſtar Belli per Antitheſim nominari, vt verbo ſit Barbara, re autem ipſa ſit Humaniſſima. Sed ne tuas laudes attingens aliud facere videar, quàm ab initio eram facturus, hunc finem ſcribendi imponam, nullum tui obſeruandi, & quaſi pro numine colendi vllo vmquam tempore impoſiturus.



Cata-



Catalogus capitum opere vniuerſo contentorum.

CAPITA LIBRI PRIMI.

Proœmium operis.

Gale-

CAPI-

CAPITA LIBRI SECVNDI.

A An



PROEMIVM OPERIS.



VLLVM est morbi genus, quod humana corpora vel afficiat frequentius, vel affligat periculosius, vel curationem suscipiat difficilius, quàm febris, cui ob hanc fortaße causam Romani veteres superstitionum inter omnes gentes refertissimi, & aras erexerunt, & sacrificia obtulerunt, & vota fecerunt ad auruncandam ipsius iram, impetumque à se auertendum. Ara vetus (inquit Cicero in secundo de legibus) stat in Palatio febris, & altera Exquilijs malæ fortunæ, detestatæque, quæ omnia eiusmodi repudianda sunt; vt his verbis febris, & pessimæ fortunæ conditionem iungat, & vtramque ob suæ prauitatis excessum cultu illo sibi temerè oblato indignam statuat. Verum cum febres omnes celebri illo ternario contineantur, quem Galenus primo de ipsarum differentijs cumulatè explanat, genere scilicet Ephimerarum à spirituum feruore pendentium, hecticarum solidis partibus labem inferentium, putridarum ab humorum inquinamentis prodeuntium, his postremis potissimum conueniunt ea quæ à primordio diximus, quia Ephimeræ leuiores sunt, ac tutissimæ, nec ad earum curationem vlli ferè Medici accersuntur, sed à sola natura propè semper vincuntur, hecticæ sunt infrequentes, & vel non valdè difficulter curantur, vel omnem planè demunt curationis absoluendæ spem. At putridæ sunt illæ, quæ sæpissimè inuadunt, maximum negocium facessunt, & sunt ipsæ plerumque acuti morbi, & acutos morbos plerumque consectantur vel

ipso teste Hippocrate in primo de victus ratione in acutis, & aliquando subeunt non modo malignam, sed pestilentem etiam Ideam, vt ideo laborantes opem cogantur Medicorum exposcere, & eorum se curationibus tradere, quæ si salutares maiori ex parte accedunt, interdum etiam voti compotes non euadunt. Quod tamen mirum videri non debet, quia præclarè in libro Prognosticorum dixit Hippocrates, ὑγιέας μὲν ποιέειν ἅπαντας τοὺς ἀσθενέοντας ἀδύνατον, hoc est sanos quidem facere ægrotantes omnes est impossibile. Hæc cum ita se habeant, illud cuiuis satis, superque patere potest, nullam esse Medicæ facultatis partem vel opportuniorem, vel vtiliorem ea, quæ curandarum febrium putridarum methodum tradit, quam quidem partem Galenus præcipuè persecutus est adeo accuratè, adeo tractauit luculenter, vt cum in omnibus Medicinæ argumentis valdè excolluerit enucleandis, & diuini gloriam Hippocratis, si vera fatenda sunt, doctiorum consensu fermè æquauerit, in hoc ad putridas febris attinente talem se præstiterit, vt in reliquis reliquos omnes post eum, & cum eo ad scribendum accedentes longè reliquerit, in hoc autem non eos tantum, sed se etiam ipsum, si fieri potuit, quodammodo superauerit. Et quoniam curandarum febrium, vt reliquorum morborum, duplex est Medicis proposita via iuxta duo illa artis crura in nono Methodi ab eo perbelle descripta, & in libro de elegantia prius ab Hippocrate insinuata, quarum viarum altera experientia innititur, eiusque ope inuenta remedia consectatur, altera autem Methodo dirigitur, & curatorias indicationes ratione duce venatur: hanc nimirum secundam nobili dignam artifice, & Asclepiadarum familia digno illustrandam suscepit, omnibusque numeris hoc munus ad miraculum vsque expleuit, vt nobis in hoc liceat dicere fuisse Galenum totius Medicinæ Methodo traditæ si non inuentorem, saltem perfectorem. nam si licuit Auerroi Aristotelem totius Philosophiæ & inuentorem, & perfectorem nuncupare, cum tamen constet ante ipsum fuisse tùm alios, tùm Platonem præsertim, in cuius Dialogis mira insunt philosophica semina, miri pullulant philosophantibus vtilissimi fructus, vt nil ferè explicent Aristotelici libri, quod prius non innuant Platonici dialogi; quanto nos magis perfectæ facultatis Medicæ, suoque Colophone exornatæ impertiri laudem Galeno debemus? Persecutus est Plato omnia ferè Theoremata philosophica, sed quia obiter, & obscurè, non magnum fecisse operæ pretium multis est visus, omne propte-

rea rectè philoſophandi priuilegium in Ariſtotelem traducentibus. Sic etiam Hippocrates prima iecit Medicinæ fundamenta, omniſque methodicæ rationis ſemina quædam reliquit, per ſuos ſparſim libros diſſeminata, at leuia fuerunt hæc artis principia, & magnis tenebrarum inuolucris inuoluta, nec facili negotio à lectorum ingenijs animaduertenda, vel potius fuerunt inchoamenta quædam, & rudimenta ad aliorum excitandas mentes accomodata, quo ad eliciendam inſurgerent deliteſcentem Methodum, virtute quidem in Hippocraticis verbis contentam, ſed nondum tamen ad conſpicuum actum deductam. Nouerat eam quidem abſolutiſſimè Hippocrates, Medicorum omnium ſine controuerſia Coriphæus, ſummuſque in arte, veruſque Dictator, quem iure Plato ſummis ſæpe laudibus effert, iure Galenus quaſi Deum quendam ſuſpicit, eique bona artis omnia accepta refert, ſed ſibi notiſſimam artificij vim reliquis reliquit ignotam, nimium laconica illa breuiloquentia delectatus, quam antiquioribus Sapientibus familiarem fuiſſe locuples eſt Plato teſtis in Protagora, vel artificioſa forſan arcana occulere meditatus iuxta veterum morem, qui res præclaras obſcuro genere dicendi velabant, quo ſolertibus ſolum ingenijs innoteſcerent, hebetioribus autem manerent ignotæ. Cuius rei non leuem nobis ſuſpicionem poteſt incutere ænigmatica ferè ſcribendi ratio multis in locis à diuino ſene ſeruata, & præcipuè in libello de alimento, & in Epidemicis, vt primum de diæta librum ſpurij nomine ſuſpectum miſſum hic faciam. Hippocrates ergo fuit ille, qui Latitantis Theſauri locum inſinuauit, Galenus qui eruendum ſuſcepit, Hippocrates fuit qui ſuorum monumentorum quaſi arbore in opaca aureum ramum abdidit dictum Apollini ſacrum, Galenus qui auricomum hunc fœtum, vt ait ille, ex arbore decerpſit, alteque oculis veſtigatum, & ritè repertum manu carpſit, ſuumque munus Apollini obtulit, omnibus Apollineæ artis Sectatoribus vtiliſſimum futurum. Hoc igitur nomine mirificis extolli Galenus laudibus debet, quòd rem non modo abditam, ac deliteſcentem adduxit in lucem, ſed inchoatam exagerauit, implicatam explicuit, contractam diffudit. Hæc dicens non detraho Hippocratis gloriæ nulla temporis longinquitate obſcurandæ. imò hunc aſſero ad omnia inuenienda fuiſſe Galeno ducem, ſed illud affirmo principia tantum methodi fuiſſe ab antiquo Magiſtro inſinuata, integram verò Methodum à ſolo Galeno inductam, qui tamen vt gratiſſimi animi ſui clara documenta

ta daret, facit Hippocratem totius artis, omniumque ad artem attinentium Theorematum inuentorem primum, sed tamquam primum nec omnibus ordinem debitum dediſse, nec ſingularum indicationum dignitatem ad vnguem finiuiſse, & quaſdam in ipſis diſcretiones omiſiſſe, obſcureque plurima pro antiqua dicendi breuitate eſſe interpretatum, & de Complicatis affectibus paucissima omnino præcepiſſe. Verumtamen dum fatetur ſe primum omnia in ordinem redegiſse, iure optimo ſibi vendicat integram methodi inuentionem, quia methodus nil eſt aliud, vt infra oſtendemus, niſi ordo quidam, recteq; diſpoſita via, ſine qua omnis diſciplina, omniſque doctrina eſt inanis, vt monet in Epinomide Plato. Qui ergo Theoremata ordinauit, qui medendi indicationes diſtribuit, & in ſua loca digeſſit, abſolutus fuit methodi auctor, inchoatamque inuentionem expleuit. In Qua tamen laude ſuum Hippocrati locum relinquimus, qui primum lapidem mouit, qui prima ſemina ſparſit, qui prima fundamenta iecit, quę debent ædificijs iaci firma, veluti ſcaphis poni idonea carina, ſi quid ędificandorum, pangendorumque in his futurum eſt firmum. nam verè Ariſtoteles in Metaphyſicis ſtatuit multum illos afferte adiumenti, qui animi noſtri conſtitutionem, & aciem primi excoluerunt, quia ſi Timotheus non fuiſſet, magna Muſicæ parte Caruiſſimus, ſi verò Phrynis defuiſſet, ne Timotheus quidem extitiſſet. Quanto magis hoc venit de Hippocrate aſſeuerandum, qui omnia Medicinæ arcana diuinitus calluit, licet non omnia ſcriptis mandauit? Iàm perficiendæ Methodi gloriam quis erit tàm iniquus iudex qui Galeno cenſeat denegandam? Qui præclaro Traiani Imperatoris exemplo veteres in Romanorum terris vias varijs affectas vitijs corrigentis, & elaborantis illud ſe in Medicina feciſſe teſtatur, breuiter dicta extendentem, obſcurè illuſtrantem, omiſſa addentem, diminuta explentem, imperfecta demum ſuis numeris abſoluentem: Quod Galeni teſtimonium in nono Methodi legimus, nec ambigere de ipſius veritate poſſumus, dum mente voluimus, quæ nec Aretreus, nec Celſus, nec vllus ex antiquioribus præſtitit, præſtitiſſe Galenum in excolendis, perficiendiſque Hippocraticis dogmatibus, nec vllum poſt eum idem tradendæ artis dolium verſantem, vt in Philoſophia de Ariſtotele profert Auerroes, aliquod vel erratum in Galenica doctrina animaduertiſſe, vel additamentum effatu dignum feciſſe, quicquid vel Trallianus inter

vetu-

vetustiores cauilletur, Galenicam Confiteri eminentiam veritatis impetu sæpe coactus, vel inter recentiores aut Cardanus multiplici eruditionis genere obiectet, aut Argenterius arguto dicendi genere blatteret, aut Fernelius veneranda quadam verborum Maiestate intonet, qui omnes ex Galenico vberi penu suam omnem suppellectilem traxerunt, sed sui profectus auctorem liuoris quadam suffusione dissimularunt, omnes tamen Medica doctrina eatenus florent, quatenus Galenicæ inhærent, ac tantum exarescunt, quantum ab ea recedunt, vt Helitropio vsu venit florenti ad solem conuerso, arenti solaribus radijs destituto. Non possumus ergo oratione vlla complecti, quantum huius præstantissimi auctoris manibus debeamus, à quo tantum bonum accepimus, vt in curandis morbis, & ipsis præcipuè febribus recta via incedamus, & in hoc artis propè laberintho eius norma quasi Ariadnæ filo ducti gressus nostros alioquin aberraturos dirigamus. nam Galenica Methodo ad curandas febres, vt in his modo Consistamus, instituta quid potest esse pulchrius, quid omni ex parte absolutius? Hanc nos persequi cogitamus, hisque scriptis illustrare ad putridas febres attinentem ob allatas superius causas, non paruum operæ prætium facturi, nec leuem fortasse Medicinæ Studiosis operam nauaturi, si quæ tantus auctor in diuinis Methodi libris de hoc argumento conscripsit, adeo plana reddamus, vt quilibet artis orgijs initiatus possit ea habere comperta. Non est nostrum propositum putridarum curationem febrium absolutè prosequi, sed methodum à Galeno in hac curatione propositam expiscari, omnesque indicationes hac methodo inuentas illustrandas aggredi. Quam quidem spartam licet alij præclarè vrserint clarissimi viri, nobis tamen aliquem etiam locum reliquerant, vt qualemcumque adhuc afferre symbolam possimus. nam præclarè stoicus ille. Qui præcesserunt non præripuisse videntur quæ dici poterant, sed aperuisse, & multum interest vtrum ad consumptam materiam, an ad subactam accedas. Crescit in dies, & inueniendis inuenta non obstant. Febres ipsas putridas non deducemus ad vltimas species, sed ad communiorem quandam ideam redigemus generali quodam examine, vnde facilis sit ad particularia progressus, contenti, Galeni semper vestigijs insistentes,

stentes,

ſtentes, quorum in libris Methodi impreſſionem habemus admirandam. nam quis Apellis Venerem Coam non admiretur, cui nil addi potuit, nil detrahi? Quis hanc Galeni Methodum non ſuſpiciat ad Vmbilicum ita perductam, vt quo magis conſpicitur, magis arrideat, quo magis arridet, amore ſui magis accendat, quo magis amatur, magis in arte factos ab amante progreſſus inſinuet? ille namque in Medicina valdè profeciſſe ſe ſciat, cui Galenus, in quo reuiuiſcit Hippocrates, valdè placuerit. Quod vt omnibus perſuaſum eſſet, latius in hoc argumento vagari hic libuit, quia non deſunt hoc tempore à Galeni ſcriptis abhorrentia ingenia, ad ſolem iuxta paræmiam caligantia, & ad eius excipiendam lucem omnino inepta.



LIBER



LIBER PRIMVS.

QVID SIT METHODVS IN COMMVNI.

Caput Primum.



AGGRESSVRO mihi curatricis in febribus putridis methodi explanationem illud primum onus incumbit, vt quid sit hæc Methodus, & quid putrida febris, ante omnia aperiam. nam præclarum Platonis fuit in Phædro præceptum omnem ratione susceptam aliqua de re institutionem debere à definitione proficisci, vt intelligatur quid sit id, de quo disputetur, Ac sanequam ridiculum foret verba de methodo facienti nullam subesse seruandæ methodi curam. At particularem non benè nouerit qui vniuersalem prius compertam non habeat, vnde ab vniuersalibus ad minus vniuersalia seruandnm progressum in primo Physicorum statuebat Aristoteles. Hanc artifitiosam procedendi rationem ab ipso Hippocrate deducit in Phædro Plato, diligens Hippocraticorum dictorum in libro de humana natura obseruator, in quo discimus non posse humanum corpus, quod Medicinæ proponitur considerandum, absque totius natura satis cognosci, quasi partis cognitio præcedentem exigat totius cognitionem. Huic ergo Hippocraticæ normæ tantopere à Philosophis commendatæ inhærentes, quid Methodus sit communiter primo consideremus, vtile Galeni documentum in quarto de differentijs pulsuum ab Aristotele in libris posterioristicis mutuò acceptum memoria repetentes, duplicem esse rerum definitionem, aliam quidem, quæ nominis notioni intendit, aliam verò quæ veram essentiam cumulatè exprimit, vt prima nominalis sit, vt voceant, essentialis secunda, tantum altera ab altera dissidens, quantum à rei veritate dissidet vmbra, & nominalis sit qualiscunque ad essentialem præparatio, ad sternendam illi viam inducta. Qualis igitur hæc erit in Metdodo absolutè considerata? non erit difficile hanc eruere vim nominis accuratius attendenti. nam,

quotuplex defo tetum

ad quid def. nois

vt quilibet Græcæ lingue vel parum peritus, poteſt animaduerrere, Μέθοδος dicitur quaſi Μετὰ ὁδοῦ, hoc eſt cum via, doctrina videlicet, ſiue Ars viç inhærens, & viam habens adiunctam, vt Methodus vim habeat ſignificandi artem via, & ratione quadam comitatam. Hinc doctiſſimi viri hoc Methodi nomen in romanum ſermonem vertentes adhibuerunt vocem viæ, & rationis, viã quandam artifitialem inſinuare volentes, cum ratio, & ars in eandem ſignificationem interdum conueniant vel ipſo teſte Galeno in primo de vſu partium. Et quia ars omnis, omniſque doctrina ordinem præcipuè inſinuat, quippe quæ ordinatam inducat propoſitionum ſeriem in vnum finem tendentium, ſine quo ordine non eſſet ars, nec doctrina (vnde Plato in Epinomide dixit præſtare ab eo non diſcere, qui ordinẽ in docendo non ſeruat) via autem, & ratio inſinuat propriè argumentationem è noto ignotum concludentem, ſine qua parum vtilis eſſet qualiſcumque inſtitutus ordo; ideo hoc nomen methodi hæc duo videtur complecti, ordinem, & argumentum, nam methodus implicitè, vt ita dicam, innuit artem, ſeu diſciplinam, explicitè autem viam, quatenus inſinuat artem, inſinuat ordinem, quatenus autem habet ſignificatum viæ, innuit argumentum, vt fœlix appareat græcorum lingua vno vocabulo multas res plenè complexa. Hæc ſunt illa duo, quæ frequentius in ore habet Auerroes, in Proemio præcipuè Phyſicorum, ordinem dicq doctrinæ, & viam doctrinæ, vt primus diſpoſitionem tradendæ doctrinæ ſecundum prius, & poſterius indicet, ſecunda eiuſdem deductionem ſecundum notius, & ignotius declaret. Nec aliud eſt in ſcientijs, & artibus quod poſſit requiri, niſi vt ordinatè tractentur, & probationes habeant ſuæ naturæ conſentaneas. Ordinem diuinis laudibus extollit Plato in Phædro, & in eius præcipuè vſu peritum artificem ab imperito iudicat ſecernendum, ſcriptiſque artificioſis qualecumque attribuit animalium ſimulachrum, caput habentium, buſtum, & pedes, ſuo loco diſpoſita omnia, nec in alium locum transferenda. Probationes rebus tractandis conſentaneas examinat tamquam neceſſarias in Timæo, & explicat accuratius in Phædro. Ordinem etiam Ariſtoteles partim in ſeptimo diuinorum, partim in primo de partibus animalium proponit in tradendis ſcientijs, & artibus neceſſarium, & in libris Poſteriorum rationes edocet cuique artifici vſurpandas. Hæc ſectatus veſtigia Galenus in Methodis vtrãque condicionem requirit, & ordinem quidem docet in principio Artis Medicæ tres eſſe doctrinas affirmans ordini inhærentes, primam ex notionæ finis, quæ per reſolutionem fiat, ſecundam ex compoſitione conflatam eorum, quæ reſolutione fuerint inuenta, tertiam ex definitionis diſſolutione, quam tamẽ ad reſolutionem redigit, vt duos veros ordines, præcipuoſque relinquat, reſolutiuum, & compoſitiuum, ſolos etiam ab Ariſtotele ſeptimo illo diuinorum, & primo æthicorum, ex Platonis etiam ſententia inductos. Probationum autem neceſſarium momentum nobis idem ob oculos poſuit in libro de conſtitutione artis aſſeuerans omnibus ſcientiam aliquam aſſecuturis opus eſſe methodum, qua verum à falſo diſcernatur, didiciſſe, quia ad veritatis inuentionem non ſufficiat ardens ipſius cupiditas, ſed via etiam

aliqua

aliqua eius inueniendæ requiratur expedita. Ex sola igitur considera-tione nominis hæc omnia ad methodum pertinere colligimus, vnde Galenus in primo Methodi huius nominis ætimologiæ alludens dixit, Methodo quippiam inquirere, & inuenire ex aduerso opponitur ei; quod est fortuito, temereque reperire. Est autem id cum via quadam, & ordine, ita vt in disquisitione aliquid primum sit aliquid secundum, & tertium, & quartum, atque ita de reliquis omnibus deinceps, quoad demũ ad ipsum, quod ab initio est propositum, sit peruentum. Hanc viam ordinatam donum Deorum vocat Plato in Philæbo ad homines per Prometheum quendam vnà cum lucidissimo igne deductum, quia humana mens diuinitus illustrata hunc ordinatum progressum in artibus, & scientijs inuenit, cum ordinare sit actus sapientis iuxta Aristotelis dictum in Proemio Metaphysico, & sapientia sit à Deo, qui alijs impertitur sapientiam instar solis impertientis lucem, vt docet in sexto de Republica Plato, & hoc ordinandi donum dicitur accessisse cum lucidissimo igne, hoc est cum facultate argumentandi, & inferendi aliud ex alio, ignotum videlicet ex noto, quæ lucem affert rebus obscuris, & lumen infert ingenijs, non enim ad cognitionem assequendam multum conduceret ordinata rerum considerandarum dispositio, nisi rationum quoque & argumentorum aliud ex alio, ignotum scilicet ex noto colligentiũ accederet illatio. Quod quidem Aristoteles in Proemio Physicorum declarauit apertè, quippe qui propositurus ibi methodum in naturalis scientiæ traditione seruandam, ordinem primo induxit à caussis ad effectus, à principijs, & elementis componentibus ad ipsa composita, mox statim accessit ad innuendam rationem argumentandi à posteriori, vt vocant, quatenus insitam naturaliter habemus viam, vt à notioribus nobis ad notiora naturæ proficiscamur. Sic partim ordinem, partim viam doctrinæ docuit in tradenda naturali scientia seruandam, ex quibus duobus ordine; & via consurgit methodus, hanc suam geminam vim vel ipsa nomenclatura, veluti ostendimus, insinuans, vt verissimum hinc etiam appareat Hippocratis in libro de arte monitum, artibus per formas nomina esse indita, quòd à ratione sit alienum putare ex nominibus formas productas, cum nomina lege qnadam naturæ sint Sancita, formæ vero non sancita sint veluti quædam naturæ progermina. Ex his, quæ hactenus dicta sunt, ad nominalem definitionem attinentia, colligere ea valemus; quæ essentialem ipsam nobis aperiant, quam quidem non ineongrue adducemus in medium si dixerimus, Methodum communiter sumptam nil aliud esse, nisi artificialem progressionem, siue etiam artem Logicam partim ordinis, partim argumentationis vsu aditum scientiarum nobis aperientem. Sumimus hic nomen scientiæ significatione latissima, secundum quam cõplectitnr non solum contemplatiuos, sed actiuos etiam, & effectiuos mentis habitus, in quo sensu sumit interdum & Plato, & Aristoteles, & se sumpsisse profitetur Galenus in arte Medicinali Medicinam definiens. Statuitur Methodus ars logica, quia continet modum docendi, siue sciendi, quem Plato in Epinomide, & Aristoteles in secundo diuinorum vocat vtrique τρόπον, hoc nomine insinuãtes progressionem quandam, & viã, & qualemcumque modum procedẽ-

eētis methodi defo

defis explic.

di. At Logici muneris est tractare hanc progressionem, & modum sciendi, quia, vt lepidè dixit Plato in Euthydemo, veluti venator persequitur, & capit lepores, quos demum captos tradit coquo tractandos, sic Logicus inquirit, & inuenit instrumenta sciendi, quæ inuenta scientiarum professoribus tradit arbitratu suo adhibenda. Pertinet ergo Methodus ad logicam, dum in se consistit nulli materiæ applicata, quæ tamen potest omnibus scientijs, & facultatibus applicari pro illarum varietate euarians, & quia applicita subit earum naturam, ideo fit vt ipsæmet scientiæ, & artes subeant nomen methodorum, quibus intercedentibus acceperunt tractationem. Hinc Arist. scientiam tùm naturalē, tùm diuinam vocat Methodos, tamquam proprijs methodis pertractatas, & non solum in contemplatiuis, sed in actiuis etiam scientijs hoc nomen adhibet, vnde in primo æthicorũ propriam moralis facultatis Methodum inducit, & proprium ei ordinē, propriam argumentandi rationem assignat. Dum ergo sola cōsistit methodus, est instrumentum Logicum siue habitus mentis instrumentalis ordini, & argumentationi inherens, at dum rebus ipsis aptatur, & scientijs iungitur, in earum naturam abit, alienoque habitu induta dicitur methodus moralis, mathematica, naturalis, diuina, Medica, scientiæ formam suscipiens, cui inhæret, quæ nil aliud est nisi Methodo illa explicatus habitus. Quod apud veteres philosophos, atque adeo probatos omnes auctores ita videtur receptum, vt in nullam dubitationem videatur reuocandum.

Quid sit Methodus Medica curatiua. Cap. II.



HOC instrumentum, quod methodum dicimus, facultatibus omnibus accomodandū, Medicinæ etiam fuit aptatum alioquin ipsa non foret Ars, quam tamen artium omnium nobilissimam vocat Hippocrates in libro legis nomine inscripto. Ac eam esse artem quidem colligit ex eo idem auctor in libro de arte, quòd in ea & rectum, & prauum inest, & quòd in ea non temere fiunt operationes, quæ temerè factæ nullo modo subsistere videntur, sed nomen tantum inane sunt, at in arte Medica quicquid fit, propter aliquid fieri deprehenditur, & ad aliquid refertur, & omne eius opus ob aliquam caussam prouidèntia quædam videtur institutum. Quod esse proprium Methodi colligebat Galenus loco superius commemorato, dum dixit Methodo aliquid inquirere, & inuenire ei ex aduerso opponi, quod est fortuito, temereq; reperire, ad hanc Hippocraticam procul dubio alludens doctrinam, quia temere in artibus incedens, seq; fortunæ committens est instar cæci hàc illàc aberrantis, at methodum adhibens est instar propemodum Lyncei omnia vndiq; conspicientis. Rebus ergo Medicis applicita Methodus euasit Medica, & seiunctam ab alijs omnibus proprietatem est nacta. Verum cum Medicina duas habeat præcipuas partes, vt in libro ad Thratibulum ostendit Galenus, quarum altera conseruandæ valitudini est addicta, altera verò curandis morbis dedita,

quam

quam etiam partem magis Medici propriam facit in libro de Arte Hippocrates, secundæ quidem parti adiuncta methodus euasit curatiua, veluti primæ salubris, qua nunc dimissa solam curatiuam suscipiamus cōsiderādā. Huius nomine suū illud insigne opus quattuordecim libris conflatū inscripsit Galenus, non Medendi, quod nomen cōmunissimum est, sed curandi Methodum nuncupans, τήν θεραπευτιχήν μέθοδον, curatoriā Methodum; quasi à salubri distinctam, quarum vtraque Medendi muneri subiacet, & vtraque suam certam progressionem habet, quia vtrinque aliquid statuitur primum, aliquid secundum, ac tertium, & vlterior fit diuisio, donec ad id, quod à primordio propositum est, fiat accessio. Vtraque à notione finis ad considerandum propositi inchoamētum facit, & altera quidem sanitatis, altera verò morbi causas omnes inuestigandas suscipit; & ad hanc venandam notionem signorum supellectilem quasi neccessariam opē accersit, & alia quidem habet tamquam concessa principia, à naturali quidem philosopho, vel primo etiā comprobanda, suisque fundamentis fulcienda, alia verò inde deducit conclusionum genera suis rationibus suffulta, suis argumentis confirmata vt in primo Methodi docet Galenus, & in prima fen primi libri cumulate explanat Auicennas. nam magnum est inter Medicos, qui experimento nituntur, & eos, qui methodo vtuntur, discrimen, magnumque interstitium, quantum nempe est inter rationem, & sensum, cuius solius sectatores sunt qui experientiam ducē sibi proponunt, veluti rationis pedissequi sunt qui methodum propositā habent. Nulla arte, rationeue experientia nitilur (ait Galenus in primo Methodi) imo vnius fortunæ fauorem ad ea, quæ quærit, iuuenienda requirit. Qui verò rationem inuentionis suæ auctorem statuunt, ac ordinem vnamque viam, quæ ad finem ducat proposuerunt, his necessarium est à primo aliquo auspicari, de quo inter omnes conueniat, sic transire ad reliqua. Quod quidem Medicorum discrimen prius docuerat Hippocrates in libro de Elegantia, experimenti, & ratiocinij explicatis proprietatibus, & ab Hippocrate mutuatus Plato in quarto de legibus exposuerat vtrumque Medicum describens suis exornatum dotibus. Quidā (ait ibi Plato) Medici sunt, quidam Medicorum Ministri, quos etiam medicos dicimus. Qui & in Medicorum officinis versantur. & omnia circumeunt, nec rationem vllam de singulis seruorū morbis aut reddunt, aut accipiunt, sed quæ vsu prodesse videntur, quasi exactè scientes Tyrannorum instar superbè, pertinaciter imperant, atque ita à seruo ad seruū medentes transuolant. At Medicus alter liber liberorum vt plurimum morbos curat, atque considerat, ita vt à principio morbi naturam perquirat, communiterque cum ægrotante, atque eius amicis versetur tùm discendo ab illis non nihil, tùm quoad fieri potest docendo, nec ante imperat quicquam, quàm persuaserit. Atque ita persuadendo semper mansuetè ad sanitatem perducere ægrotantes conatur. Quorum quasi penicillo verborum nobis vtriusque Medici, Empirici scilicet in solo experimento consistentis, & rationalis Methodum comitem habentis indolem; & qualemcumque ideam delineauit perbellè Plato. Quam ergo rationem fugit Empiricus sola experientia contentus, hanc Methodi amicus persequitur experientiæ defe-

ctui

ctui diffisus Theoremata ordine disponit, principia congruè accipit conclusiones demonstratiuè confirmat. Quæ omnia non tangit modo, sed ponderat etiam Galenus, dum in primo illo Methodi Medicum facit tùm rationis, ordinisque seruatorē, tùm Certorum principiorum custodem. Si quis ergo inquirat, quid sit hæc Methodus Medica curatiua, quā solam considerādam, enucleandamque suscepimus, is à nobis dicta superius de Methodo in communi attendentibus hanc responsionem accipiat, eam esse artem, quæ ordine, rationeque vsa inuenit remedia, eorumque rectum vsum ad morborum curationem. Vocantes artem distinguimus à facultate Empiricorum, quæ sola peritia est, nec artis nomine venit dignanda, vt preclarè docet Plato in Gorgia, & magis distinguimus ordinem, & rationem adiungentes, quorum nullam habent Empirici rationem, vt non solum in libri Methodi, sed etiam in libro de sectis, & de optima secta ad Thrasibulum ostendit Galenus, & ordinem etiam, rationemq; nominantes omnem Methodi proprietatē his quasi Cancellis circumscriptam insinuamus, & ad remedia pro curandis morbis inuenienda referentes curatricem à salubri methodo valetudinis conseruationem moliente separamus, quia curatrix methodus, nō attingit simplicem Medicinæ actum, in tuenda quoque valetudine interdū occupatum, sed respicit actum corporis correctiuum effatu dignis vitijs affecti, cuiusmodi vitia sunt morbi sensibiliter operationem lædentes. Curare ergo per methodum est versari in depellendis morbis ordine intercedente, & ratione, & quia hic processus innititur indicationibus, quæ desumuntur à morbis, & à connexis cum morbis, ideo curare per methodum est curare per indicationes, veluti ex altera parte curare per experientiam est curare per obseruationes. Nam, vt sæpe repetit Galenus, Medici Methodo inhærentes non instar empiricorum inueniendis per vsum remedijs sunt addicti, sed rationem ducem sectantur, & ordinem, & viam quandam sibi proponunt, & rationis interuentu indicationes quasdam ex morbis, alijsque adiunctis eliciunt, quibus indicationibus intercedētibus remediorum sibi suppelictilem parant, quæ in rectum vsum reuocata morborum prestant depulsionem. Hanc remediorum inuentionem vocat Logicam Galenus vt ab experimentali distinguat his verbis in secundo Methodi, ergo cum ipsi de experimentali inuentione alibi egerimus, de logica in his commentarij differere proposuimus. Iure nominat logicā, quia experimentalis nil curans vlū ordinem, vllamue rationem à sola experientia deducit prætidia, eique soli acquiescit, at methodi sectatrix rationem sectatur, & ordinem, & viam quandam quæ ad finem ducat, à primo aliquo auspicata, indeque ad alia ordinatim progressa, quem esse Logicū progressum dubitauerit nemo. Hic autem progressus per indicationes procedit, hoc est per quasdā insinuationes ab ipsa rerum natura petitas, indeque quod sequens est procul ab experientia commonstrantes. In quibus indicationibus si quomodo locum habeat ordo, & ratio methodum constituentes agnoscere velimus, memoria debemus repetere quæ secundo Methodi scribit Galenus, non posse videlicet indicationes sumi, nisi morborum nobis natura, numerusque innotescat, nec posse hanc notionem comparari, nisi sanita-

nita-

artis medicæ methodus seu dicto

nitatis notio præcedat, nec posse hanc suppetere, nisi corporis humani constitutio, eiusque ex elementis constructio, explorata pateat, vt nos reuocet Galenus ad Hippocraticam Methodum in libro de humana natura indicatam, & à Platone in Phædro, vt supra diximus, explicatam, per quam ab elementis incipiamus, ad temperamenta veniamus, hinc ad humores, & partes corporis tùm similares, tùm dissimulares, ad spiritus, ad facultates, & operationes accedamus, vnde mox naturalem constitutionem, & veram partium sanitatem inueniamus, ex qua cognitione prodeat morbi, & quoad naturã, & quoad numerum cognitio, hincque ortum suum suscipiat indicatio, vt hæc præcedentem habeat enarratum ordinem, præcedentem habeat in rebus illis tractandis adhibitam fidem; qui ordo, & quæ fides vel in ipsismet indicationibus elucescit, & cõspicuè apparet, ordo quidem quia in illis est quid primum, quid secundum, quid tertium, vt infra patebit, & à generalissima ad Specificam fit progressus, & in qualibet indicatione ordo seruatur resolutiuus, vt ab ipsa nominis notione ad ipsã rei substantiam fiat accessus, à substantia ad causas, & ita à fine ad principia, vt docet Galenus in secundo Methodi, quem ordinem resolutiuum artium proprium cumulate explicauit Aristoteles septimo diuinorũ in Medica intellectione, dum dixit à forma sanitatis in anima existente colligi substantiam morbi, ab hac necessitatem æqualitatis inducendæ, ab hac vsum caliditatis excitandæ, vt sit progressio à fine ad ea, quæ inducunt finem. Hùc accedit, quod in complicatarum affectionum indicationibus triplex proponitur finis ordinatim attingendus, vnus veluti à causis sumptus eius quod post futurum est, alter vt qui rationem obtinet eius, sine quo non, tertius demum accelerantium, & vrgentium, vt docet Galenus in tertio, & in septimo Methodi. Quantum ad fidem, siue probationem, cum indicationes sumantur à natura, & essentia rei, quæ definitione continetur, & definitio à demonstratione solo situ distinguatu; vt legimus in primo posteriorum, hinc deducitur viam per indicationes incedentem esse viam demonstratiuam, in qua quantus sit vsus diuisionis ad demonstrationẽ tantopere conducentis plenè declarat Galenus in primo de arte curatiua ad Glauconem. Et omnis quidem indicatio arguendi continet vim, vnũ ex alio colligens, & indicatum ex indicante deducens, & omnis quoque indicatio cõmunissimo illi fundamento innititur, & generali ratione illa fulcitur, quam affert Hippocrates in libro de flatibus, & abundè explanat Galenus vndecimo Methodi, contraria contrariorum sunt remedia, vnde prima oritur, & communissima morbi indicatio, quæ dicitur contrarietas. Sic apparet in progressu indicationum inesse ordinem, inesse rationem, ideoque esse logicum progressum, & cum Methodo factum, hocque nomine ab experimentali diuisum, vbi nulla ordinis, nulla habetur rationis cura, vt indicatorio acquiescat animus quasi non modo persuasus, sed conuictus, experimentali non acquiescat quasi vanis spectris delusus. Ac differentiam vtriusque viæ exponens in secundo Methodi Galenus, ad superius positam Platonis doctrinã, alludens hæc ait. Qui nuda afferunt in arte verba, plus credi sibi postulant, quam qui cum demonstrationum fide loquuntur, qui si non aliud, saltem suadere,

ac docere auditorem ſtudent, non cogere, iubereque. Primi contra Tyrannorum ritu iubent, ne quæramus actionis cauſam. His nimirum verbis demonſtratoriam indicationum naturam demonſtrat Galenus, quam ideo vocat Logicam, tamquam logicis organis inhærentem, atque ſuffultam, ex quo patet artem indicatoriam eſſe artem inſtrumentalem, quia ſpecies refert naturam ſui generis, & logica, quæ genus eſt, inſtrumentalis eſt ars ad principalem directa, & licet vt aptata, & applicita artibus principalibus ſuſcipiat, vt diximus, earum qualemcumque naturam, tamen per ſe ipſam inſtrumentalis eſt, & in ſe conſiderata talis ſemper exiſtit, nec principalis apparet, niſi vt alienam quaſi veſtem induta. Quoniam ergo diſſitæ ſunt viæ, planeque diſtinctę, quæ per experientiam incedit, & quæ per indicationem progreditur, ne fieret earum confuſio, ſeparatim voluit Galenus in libris Methodi hanc ab indicationibus pendentem explicare, vt affirmat in tertio etiam Methodi, ad cuius notionem viæ Magis aperiendam, quid ipſa indicatio ſit, breuiter aperire tentandum.

Quid ſit indicatio, & quomodo diſtinguatur ab alijs Medicinæ inſtrumentis.
Caput III.



Vem locum habet methodus curatoria ad artem medicam relata, eundem habet propria indicatio ad ipſam methodum directa. Nam methodus eſt inſtrumentum conſtituens propriè artem, quæ ſine methodo non eſſet ars, ſed ſola peritia, & indicatio eſt inſtrumentum conſtituens methodum, quippe quæ afferat, & ordinem, & rationem, quæ duo faciunt viam artificialem ab vno ad aliud, quæ via nil aliud eſt niſi methodus. Vocatur hæc Methodus ars, ſed logica, à logico inſtrumento condita, ideoque non eſt per ſe habitus principalis, ſed inſtrumentials ad principalem directus, euadit tamen, ac dici poteſt principalis vt arti Medicæ, cuius vſui inſeruit, addictus. Methodus ſcientiæ naturalis quatenus methodus eſt, eſt quid ab ea diſtinctum, vt inſtrumentum ad eam tradendam paratum, licet aliquando cum ea confundatur, & nomine methodi ipſa ſcientia vocetur, ordo compoſitiuus, ac demonſtratio ſunt inſtrumenta conſtituentia illam Methodum, quæ ſemper ex ſui natura inſinuat modum ſciendi (τρόπον vocant Plato, & Ariſtoteles) non ſcientiam, ſic in Medicina Methodus eſt modus ſciendi, inſeruiens ipſi ſcientiæ indicatio eſt inſtrumentum conſtituens illum modum, & qualis eſt in facultate naturali ordinata demõſtratio, talis eſt in Medica indicatio. Ac veluti naturalem contemnas probabilibus ſolum rationibus philoſophantem, ac demonſtrationibus deſtitutum, ita Medicum flocci facias vſui ſoli addictum, & indicationes omittentem, & ſeruilem voces, ſeruorumq; curandis corporibus aptũ, at amicum indicationum, vt dixiſſe Platonem ſupra annotauimus, nobilem, & nobilium tractandis corporibus accomodatum. Nam primus fortunam ſequitur, temerariumque habet inceſſum, ſecundus rationem ſibi ducem proponit, & naturæ ipſius obſeruat nutum. Cuius rei veritas innoteſcit indicationis eſſentiam attendenti, & hæc notitia Galeno

refe-

referenda venit accepta hanc multipliciter insinuanti. ipse namquè explicaturus primo quid indicationis nomen significet hæc ait in secundo Methodi capite vltimo. λεκτέον υπὲρ τῶν θεραπευτικῶν ενδείξεων ωυτὸ τούτο πρότερον Εξηγησαμενούς το τῆς ενδείξεως ὄνομα τὴν γάρ οἷον εμφασιν τῆς ακολυθίας ενδείξειν λέγομεν. εὑρισκεται μὲν γἂρ κατ᾽ τῆς πείρας τὸ ἀκολυτον, αλλ᾽ ουκ᾽ ὡς ἐμφαινόμενον τῷ ἡγυμὲνω. hoc est, dicere debemus de curatorijs indicationibus, hoc ipsum primo nomen indicationis explicantes. nā indicationem dicimus veluti quandam insinuationem consequentiæ. inuenitur namque etiam per experientiam id quod consequitur, sed non veluti apparens, & insinuatum in præcedenti. In quibus verbis illud prius animaduertendum non benè Linacrum vertisse Medendi, indicationes, cum dicere debuerit curatorias iuxta significatum grecæ vocis θέραπευτικῶν, quæ curationem insinuat, non medelam. nam medendi indicatio longè communior est Curatoria, quia illa complectitur omnes medicinæ partes, siue ad sanitatem tuendam, siue ad morbos curandos pertinentem, hæc autem ad Solam refertur partem morborum profligatricem. Hanc igitur curatoriam indicationem nil aliud esse decernit Galenus, quàm repræsentationem quandam, seu significationem, seu insinuationem consequentis factam à præcedenti, vt præcedens cognitum inuehat, & inducat cognitionem consequentis in actum deducendi, hoc est remedij ad m rbosum affectum expellendum adhibendi. Veluti intemperies calida vt talis insinuat nobis actum refrigerandi, & hæc insinuatio est indicatio curatoria, quia est designatio operationis vsurpandæ pro curanda illa intemperie, & hæc designatio deducta est vt contenta, & apparens in præcedenti, nempe in calida intemperie; quia cum euidens existat illud Hippocraticum axioma, cuius supra meminimus, omnium confirmatum consensu, contraria esse contrariorum remedia, morbus calidus statim insinuat vsum refrigerantiū, vnde possit curari. Hæc igitur insinuatio, hæc inductio consequentis facta per vim antecedentis est indicatio, per quam progrediuntur rationales Medici Methodo inhærentes, & cuius nullam habent rationē empirici sola obseruatione directi, quia licet etiam vi experimentali inueniantur consequentia depellendis morbis propositis accomodata, non tamen inueniuntur vt contenta, & designata in præcedentibus, sed solius obseruationis ope collecta, ideoque ipsorum progressio non appellatur indicatio, sed factæ pluries obseruationis applicatio. Quod instrumentorum in curando adhibitorum discrimen clarius percipitur ex his ponderandis, quæ Galenus scribit in libro de optima secta ad Thrasibulum de triplici modo procedendi, quem in remedijs inueniendis Medici seruant, per experientiam, per analogismum, & per indicationem, quorum primus obseruationem sequitur, & obseruatorum memoriam, secundus facit transitum de simili ad simile, & ab vnius rei essentia nota accedit ad alterius essentiam ignotam, quam à simili facit sibi notam, vt discursu quodam sit opus similitudinem considerante, & ab vno simili ad aliud deducente. Tertius progressus per indicationem factus à manifesta rerum essentia manat, in quo cum apparitione nocentium apparent statim ipsa etiam iuuantia sine vlla cogitationis necessi-

 tate,

tate, quia vt ſenſus apprehendunt oblata ſibi obiecta, veluti viſus oblatos colores, ita mens in hoc apprehenſo morbifico affectu apprehendit ſtatim iuuans ei tollendo accomodatum, quia hoc eluſceſcit, & refulget in illo ob vim communiſſimi axiomatis ad contrarietatem remedia referentis. Ac veluti naturalis propoſitionem mente retinens, quæ dicit naturam agere ſemper propter finẽ, ſimul ac inſpicit qualemcumq; animalis particulam, eam decernit ob vſum factam, & vſum colligit ex opere naturæ vt in eo contentum, ita Medicus rationalis, ac dogmaticus conſpecta morbi eſſentia ob memoriam narrati axiomatis ex ea deducit remedium opportunum. Verum naturalis cognoſcit quidem vſum neceſſarium, ſed qualitatem vſus cogitur expiſcari, quia non elucet in opere naturæ, at medicus non ſolum neceſſitatem remedij animaduertit, ſed eiuſdem etiam qualitatem colligit in morbi eſſentia apparentem. Ac veluti aduentante frigore, ſenſumque percellente oritur indicatio tegumenti, quod veſtis eſt, & ex frigoris ſpecie colligimus veſtis neceſſitatem in frigoris phantaſmate apparentem, quin imo talem facimus illationem vnius ex altero, vt huius ratiocinij concluſio ſit ipſe veſtis apparatus ipſaque indutio, vt declarat Ariſtoteles in libro de motu animalium: ita vrgente morbo in eius cognita eſſentia remedium ipſum quaſi in ſpeculo conſpicuum animaduertimus. nam humanus animus aliqua notione informatus multas alias acquirit, aliamque ex alia deducit, quia ſunt notiones inter ſe connexæ, & magno, quaſi cognationis vinculo deuinctæ, & ſicuti vis magnetis annulis ferreis communicata facit vt ipſi annuli inuicẽ cohæreant, & alij ab alijs pendeant iuxta præclarã Platonis animaduerſionem in Ione; ita vis veritatis notionibus indita eſt in cauſa, vt ſe inuicem illuſtrent, & ſimul cohærentes alieno lumine appareant. Natura (inquit ſtoicus ille) quaſi normam ſcientiæ, & principiũ ſui dedit, vnde poſtea notiones rerum in animis imprimerentur, e quibus non principia ſolùm, ſed latiores quædam ad rationem inueniendam viæ reperiuntur, errorem autem, & temeritatem, & ignorantiam, & opinationem, & ſuſpicionem, & vno verbo omnia quæ eſſent aliena firmæ, & conſtantis aſſenſionis à virtute, ſapientiaque remouebat. Ex quiqus equidem verbis duo colligimus ad rem noſtram maximè facientia primum quidem cauſam indicationis ab eſſentia nota morbi manantem, quæ nulla eſt alia, niſi quòd natura notiones animorum colligauit, & inter ſe diuinxit adeo, vt altera ab altera pendeat, ac deducatur, & deducta animum faciat in aſſenſione conſtantem, ſecundum autem cauſam vanitatis viæ experimentalis, quam Empirici ſectantur, quæ cauſa pertinet ad temeritatem propriam iuxta Galeni dictum experientiæ, ad ignorantiam, ad opinationem, ad ſuſpicionem, vnde nullus poteſt comparari firmus aſſenſus. quin imo non ſolus experientiæ modus à firma aſſenſione excluditur, ſed alter etiam cum analogiſmo cõiunctus, quia licet hic ratiocinio per ſimilitudinem facto vtatur, habet tamen ignotam affectus eſſentiam, quam ex ſimili ſuſcipit comparandam, ſed ſimilitudinse, vt monebat Hippocrates in libro Medicatrinæ, vel doctiſſimis imponunt, & lubricum eſt admodum, plenumque diſcriminis, vt in Phædro conſiderat Plato, omne per ſimilitudines fa-

ctum

ctum commentum, vt ab analogiſmo etiam non poſſit niſi ſuſpicio, fallaxque opinatio generari. Soli ergo viæ indicationum ſectatrici ſcientia conuenit, & ſcientiæ ſectator verus aſſenſus, planeque conſtans, vt ad hunc locum illuſtrandum adducere liceat lepidum illud Platonis exemplum in Memnone de Dædali ſtatuis vel deuinctis, ideoque firmiter hærentibus, vel ſolutis, ideoque hac illac vagantibus, nec vnquam conſiſtentibus, quia notitia ab indicationibus parta eſt inſtar ſtatuarum deuinctarum, quippe quæ menti firmiter inhæreat, & in aſſenſu conſtantē efficiat, notitia experientiæ, & analogiſmi eſt inſtar earundem ſolutarum, quippe quæ non radices fixerit, & aſſenſum nutantem relinquat. Verum audiamus Galenum hanc triplicem in curando viam per indicationem, per experientiam, per analogiſmum in vndecimo capite commemorati ſuperius libelli ad Thraſibulum ita definiendo explicantem. ἐστὶ ἔνδειξεις ἡ σύμπρος πίπτουσα κατάληψις τοῦ ὠφελοῦντος, ἅμα τῇ τοῦ βλάπτοντος καταλήψει, ἄνευ τηρήσεως, ἢ λογισμοῦ. πεῖρα δὲ στὶ τοῦ πλειστάκις, καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ ἑωραμένου κατάληψις, καὶ μνήμη. ἢ οὕτως. ἔνδειξες ἐστὶν ὅταν καταλαμβανομένοις πράγμασι σύμπροσπίπτῃ τὸ συμφέρον, ἄνευ ἀποδείξεως, καὶ παρατηρήσεως. πεῖρα δὲ ἐστὶ τοῦ πλειστάκις, καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ ἑωραμένου τήρησίς τε, καὶ μνήμη. ἔστι δὲ τὸ αὐτὸ τήρησις ὅτι καὶ πεῖρα. ἀναλογισμος δὲ ἐστὶ σύγκρισις, καὶ κατάληψις αἰτίον ὠφελοῦν των ὁμοιοτησίν. hoc eſt, indicatio eſt occurrens comprehenſio iuuantis ſimul cum nocentis Comprehenſione, ſine obſeruatione vel ratiocinio. experientia eſt rei multoties, & ſecundum idem conſpectæ comprehenſio, & memoria. Vel ita indicatio eſt quando perceptis rebus occurſat iuuans ſine demonſtratione, & obſeruatione. Experientia autem eſt rei multoties, & ſecundum idem conſpectæ obſeruatio, & memoria. idem autem eſt obſeruatio, & experientia. Analogiſmus autem eſt collatio, & comprehenſio cauſarum iuuantium interuentu ſimilitudinū. Ex quo Galeni loco clarè licet colligere naturam indicationis, eiuſque, & ab experientia, & ab analogiſmo differentiam. nam indicatio dicitur illa iuuantis comprehenſio, quæ ſtatim ſeſe offert habita nocentis comprehenſione citra obſeruationem, & diſcurſum. quippe iuuantis comprehenſio eſt fructus immediatus cogniti nocentis, veluti pulchritudo eſt immediatus fructus iuuētutis, & voluptas ſtudioſæ operationis iuxta Ariſtotelis doctrinam in decimo æthicorum, nec ad hanc iuuantis comprehenſionem opus eſt vlla vel obſeruatione, vel ratiociniatione, ſola nocentis comprehenſione ſatis, ſuperque faciente. Veluti comprehenſo morbo frigido ſtatim ſe offert tamquam iuuans vſus calefacientiū, comprehenſo verò calido occurſat vſus refrigerantium, & hæc oblatio non fit noſtræ menti hæc iuuantia comprehendenti ope vel obſeruationis, vel diſcurſus, fit ex ipſa rei natura conſpecta, quæ cum ſit præternaturalis, ideoque remonenda, inſinuat ad ſui ablationem vſum ſui contrarij, à ſe quaſi à ſpeculo ræpreſentati. At experientia eſt euentus frequenter ſecundum eādem rationem apparentis comprehenſio, vel obſeruatio, & memoria, & quia eſt euentuum particularium non attingit eſſentiam rerum, & ſenſifiſcæ cognitioni acquieſcit, cuius exemplum vel ab ipſo Ariſtotele habemus in Proemio diuinorum de pharmaco multoties in bilioſis humoribus, & morbis fructuosè experto, vt non

per indicationem hæc sit notitia facta, sed per solam frequentium euentuum obseruationem, & memoriam, vt patet etiam de Galenico exemplo ad portulacæ vsum pertinente, quem vsum in stupore dentium didicimus quia sæpe hanc herbam obseruauimus dentium stuporem aboleuisse, vnde solam memoriam comparauimus ipsius euentus, nulla vel affectionis, vel causæ notione acquisita. Ex quo liquet viam hanc experimẽtalem satis esse leuem, & lubricam, vt nihil reconditi, nihil solidi continentem, & in solis propemodum sensificis fundamentis consistentem. Vnde Aristoteles loco nuper adducto cum sensibus iungebat memoriam, & experientiam, & vltra hanc constituebat artem vniuersalibus Theorematibus informatam. nam veluti ex sensuum spectris fit in quibusdam animalibus memoria, ita in homine multæ memoriæ faciunt experientiam, & experientia tandem producit artem, particularibus propositionibus experientia collectis in vnam vniuersalem, quæ communem inducat de similibus sententiã, facessentibus quẽ progressum docet Hipp. in lib. Præceptionũ. Tantũ ergo abest experientia ab indicatione, quantũ sensus à ratione, species particularis ab vniuersali, opinatio à certa notitia, temeritas demum, & casus à methodo rectè instituta. Analogismus facit transitum de simili ad simile, & iuuantes causas comprehendit virtute similitudinis, vt nulla accedat in proposito casu facta obseruatio, nulla præcedat à cognito affectu deducta indicatio, vt in exemplo Galenico patet hominis à serpente hemorho vocato demorsi, & sanguinem largius effundentis, cui auxilijs ad sanguinis ob incisionẽ profluuia facientibus opitulati sunt hi, qui nec affectionis causam habebant compertã, nec obseruationem obtinebãt paratam, sed solam casuum similitudinem eundem, seu quamsimillimum affectum ostendentium sequebantur ducem. Nec sequi poterant sine discursu, quippe qui conferebant simile cum simili, & omnis collatio est discursiua, & de simili ad simile qui transit ab vno ad aliud progressum facit, qui progressus discursum includit; quinimo analogismo vti nil aliud est nisi à simili argumentari, quòd de similibus idem sit iudicium. Ac naturam quidem analogi præclarè expressit Aristoteles in quinto æthicorum, & in Poetica quoque dum scripsit, analogum dico quando similiter se habet secundum ad primum, & quartum ad tertium, veluti vt vesperus ad diem, ita senectus ad vitam, vnde commutare possumus, & dicere senectutẽ diei, & vesperum vitæ. Sicut ergo se habet sanguinis profluuium in eo, qui incisionem fit perpessus, ita in eo qui à serpente hemorrho demorsus. nam in analogia vnico termino bis licet vti, vt docet Aristoteles in quinto æthicorum. Analogismus ergo est progressus per similia, & proportionẽ inter se habentia, quæ proportio ex casuum similitudine innotescit. Ex dictis colligi facilè potest discrimen inter indicationem, experientiam, & analogismum; nam indicatio manat à cognita affectus essentia experientia nullam habet huius notitie curam, & solos euentus eadem ratione factos attendit, analogismus pendet quidem à notitia, at non affectus curandi verum alterius quàm simillimi, à quo noto molitur transire ad curandum ignotum. indicatio respicit præsentem morbi essentiam, experientia respicit præteritos casuum euentus, & quia innititur memoriæ, quæ est rerum præteritarum, vt spes

fu-

futurarum, ſenſus præſentium iuxta Ariſtotelis decretum in libro de memoria, & reminiſcentia, ideo pendet magis à præteriti, quàm præſentis conſideratione. Sed dices, Empirici ex Galeno ſectantur ſenſum, rationales intellectum, ergo Empirici rebus præſentibus inhærent, non præteritis, facilis eſt reſponſio dicentis eos ſectari quidem ſenſum, at præcipuè internum, nempe phantaſiam, vbi reſidet, & memoria præteritorum cuſtos. Analogiſmus tranſcendit certè experientiam cum notitia vnius affectionis coniunctus, & ad notitiam alterius conuerſus, ſed cedit indicationi, quia hæc habet plenam cognitionem adiunctã principalis affectus, ille habet nullam, vel vmbratilem, & aliunde inquirendam ſuſcipit, & ad inueniendam ratiocinio, meditationeque indiget, at indicatio ex cognita affectus eſſentia illico prodit, & ſine vlla cogitationis interpoſitione remediũ inſinuat, quia, vt ait Galenus, hæc eſt immediata comprehenſio, quæ vel in ipſis belluis ratione deſtitutis locum habet vix obiectum algoris, vel æſtus oblatum percipientibus, quòd ſtatim ad calidorum, vel frigidorum vſum confugiunt. Quamobrem iure Galenus definiuit indicationem eſſe comprehenſionem iuuantis ſimul cum nocentis comprehenſione ſine obſeruatione, & diſcurſu. Et vocauit comprehenſionem, vt certitudinem, & celeritatem notitiæ innueret inſtar rerum à ſenſibus perceptarum, quæ illis oblatæ euadunt ſine mora cognitæ, ita etiam inſinuationes remediorum ſtatim ex apparente affectus eſſentia emergunt tamquam propoſitiones immediatæ, emergunt, inquam, ex ſola notitia affectus, nulla obſeruatione, nullo ratiocinio indigentes. Et hæc quidem videtur indicationis Curatiuæ, de qua hactenus locuti ſumus, ſecundum Galeni placitum natura.

Dubitationis ex dictis emergentis examinatio, & ſolutio.

CAPVT. IV.



QVoniam ſupra cum Galeno diximus, indicationem nec obſeruationis, nec diſcurſus indigam eſſe, huius dicti veritatem hic iuſta de cauſa cõſiderandam ſuſcipimus: videtur nãque non leuem in ſe continere difficultatem: non quidem ex parte obſeruationis, cuius expertem eſſe indicationem dubitauerit nemo, ſed ex parte diſcurſus, ſiue ratiocinationis, quam non apparet cur Galenus ab indicatione ſeiungat, nam ſi hæc indicatio conſtituit methodum, vt ſupra cum eodem Galeno oſtendimus, & Methodus eſt via, & ratio, & ab vno ad aliud progreſſio, quomodo poteſt indicatio non eſſe cum ratiocinio coniuncta? Qui colligit indicationem, à nota eſſentia morbi ad ignotum remedium tranſit, quod tunc primum fit notum, ſed hic tranſitus quid aliud eſt quàm diſcurſus? Morbus eſt calidus (inquit) ergo refrigerandum, concludit febri conuenire auxilia refrigerantia, & humectantia, quia nouit eam eſſe intemperiem calidam, & ſiccam, & ab hac notione ad illam concluſionem accedit, ad curandam febrem opus eſſe refrigerantibus, & humectantibus, quia morborum omnium hoc eſt ingenium, vt contrariorum vſu curationem recipiant. Hic progreſſus non modo rationalis eſt, ſed etiam illatiuus, quippe qui ex præcedentibus notis conſequentia ignota deducit, quinimo non poteſt indicatio eſ-

ſe

indicatio caret observatione et discursu.

obiectio

se cum ratione, nisi illationem habeat adiunctam: nam ratio, vt est apud Platonem in Thæeteto, alterũ ex tribus significat, vel orationem, vel discursum, vel difinitionem, non possumus dicere indicationem esse cum ratione, vt ratio orationem insinuat, quia indicatio non distingueretur ab experientia, & analogismo, quibus vtrisque communis est etiam oratio in colligendis remedijs, ergo vel vt significat discursum, vel vt definitionem, si primum, habemus propositum, si secundum, idem consequitur, quia difinitio non differt à syllogismo, nisi terminorum positione, vt legimus in posterioribus Analijticis Aristotelis, & procedere à definitione est vti discursu à rei natura petito. Dum Galenus affirmat iuuantia colligi ex nocentium comprehensione, non ne manifestũ nobis discursum ponit ob oculos? nã quid aliud est discursus quàm progressio ab vno ad aliud cum notione ignoti ex noto? indicatio habet notionem adiunctam essentiæ ad affectum pertinentis, & ab hac manat consequentia remedij iuuantis; quod fieri cum discursu omni noto notius est. Seiungit ab experientia indicationem Galenus hoc potissimum nomine, quod experientia rationem contemnit solius sensus studiosa, solius obseruationis contenta, ad nullam considerandam essentiam conuersa; obseruandis solum frequentioribus euentibus addicta, at indicatio non respicit euentus, rationi est mancipata, & ab essentiæ in affectu conspicuæ meditatione nata. Verum quid opus est in hoc tempus conterere? & pluribus verbis in re nota versari? non ne Galenus experientiam, & indicationem seiungens in primis Methodi libris viam primæ vocat empiricam, secundæ verò logicam? quia hæc nempe methodo vtitur, & intercedente ratione discursiua remedium venatur. Hæc ita se habentia dubium reddunt Galenicum dictum, vt diximus, de indicatione non solum citra obseruationem, sed citra etiam ratiocinationem procedente. Verum si rem ipsam æqua lance perpendamus, veritatem facili negotio animaduertemus. Volebat Galenus indicationẽ distinguere à processu experientiæ, & analogismi, ideo dixit eam fieri sine obseruatione, & discursu, quia non adhibet memoriam præteritorum, siue obseruationem, vt experientia, nec adhibet discursum ad comperiendam rei naturam, vt analogismus vi similitudinum rei ignote notionem venatus, sed oblato affectu, eiusque natura pespecta iuuantium oblationem statim habet paratam. Propositio illa, vnde manat iuuantis conclusio, est propositio indemonstrabilis, quia est propositio immediata, per se nota, tamquam positio in arte, quæ iuxta Aristotelis documentum in primo posteriorũ in diuiditur suppositionem, & definitionem: nam quis probare in arte Medica moliatur febrem esse morbum calidum, ac non id potius tamquam principium indemonstrabile accipiat, habeatque compertum, & ratum? hoc namque à Medicis non probandum, sed explicandum dumtaxat; declarandumque suscipitur. Quia ergo non indiget discursu, nec eius operam vsurpat ad venandam notionem affectus, veluti facit analogismus, ideo qui per indicationem iuuantia comprehendit, dicitur non solum sine experientia sed etiam sine discursione comprehendere, quia vno, eodemque tempore, & nocentia, & iuuantia comprehendit, & ad inueniendam nocentium naturam non habet opus di-

discursione, vt opus habet artifex analogismi, cui natura nocentis est immanifesta, & transitu à simili ad simile, ideoque discursu inuestiganda. Sed eadem incedenti per indicationem est manifesta, & aperta, & ab hac notione emergit illico notio iuuantis, qui processus cum sit à noto ad ignotum est procul dubio discursiuus, sed quia fit fine vllo ferè temporis interuallo, non apparet talis, & habitu potius, quam actu factus videtur, non expressus, sed compressus vt ita dicam, & potius discursus ratione dependentiæ vnius ab altero quàm ratione illationis actu deductæ vnius ab altero. Quia veluti artifex citharædus siue vlla meditatione pulsat fides, & fine vlla consultationis industria, ob firmum, constantemque Musicæ habitum, ita Medicus indicationibus addictus nō actu quidem ratiocinatur, & iuuantia à nocentibus ratiocinando deducit, sed cognitis nocentium differentijs perspectas statim habet, beneque exploratas iuuantium differentias, & ita in antecedenti conspicatur cōsequens quasi intuendo alterum in altero instar sensus ad sui obiecti notionem subito peruenientis, non vi discursiua alterum ex altero deducēdo, vt sit reuera discursus, vt supra diximus, appareat tamen potius alterius in altero, hoc est iuuantis in nocente, qualiscumque intuitus, præcipuè ad processum analogismi proprium relatus, cum in analogismo sit mira obscuritas, in indicatione mira prespicuitas, in illo ad inferendam conclusionem magna exigatur probatio, in hac ad inuentionem remedij repentina irruat illatio. Quam quidem indicationis facilitatem nullo probationum labore indigentem, & à ratione argumentandi diffitam adeo præclarè expressit M. Tullius in primo de finibus bonorum, vt hinc forsan Medici veteres, & præcipuè Galenus, qui multus est in proponenda, considerandaque indicatione nusquam ab Hippoctate memorata, ansam acceperit eius inducendæ, quippe qui Tulliana scripta vel romano, vel Græco saltem sermone, in quem erant tunc versa, potuerit legere, aut saltem latini interpretes quam Galenus vocauit ἐνδεῖξιν, hoc Ciceronis loco moniti vocarunt indicationem. Interest (ait Cicero) inter argumentum, conclusionemque rationis, & inter mediocrem animaduersionem, atque admonitionem, altera occulta quæda, & quasi inuoluta aperiuntur, altera prompta, & aperta indicantur. Quibus nimirum verbis vim indicationis explanat non indigentis exquisitis rationibus ad confirmandum, quibus indigent res occultæ, & inuolutæ vt aperiatur, sed in mediocri quadam animaduersione, & admonitione consistentis, vt quæ ipse inquit de argumento, & conclusione rationis perbellè faciant ad explicationem analogismi, cuius munus est occulta quædam, & inuoluta aperire, & quæ inquit de mediocri animaduersione, & admonitione res promptas, & apertas indicante ad exprimendam indicationis naturam conducunt. Quæ quidem ad analogismum relata videtur quasi discursu destituta, nec tamen hoc in ea imperfectionem innuit, perfectionem in analogismo, imo contrarium vsu venit, quia indicatio ob sui perspicuitatem non indiget exquisito, & expresso ratiocinio, analogismus ob sui obscuritatem indiget, & melior est notio simplici intuitu facta, quàm ratiocinatione suffulta. Est ergo indicatio inter analogismum, & experientiam media, non tam rationis indiga, quàm analogismus, non

non tàm rationis expers, quàm experientia, quæ est simplex obseruatio præteritornm, vnde deducit iuuantia, & pendet à multiplici recordatione eiusdem rei, nulla habita rationis ratione, & est potius principium artis, quam effectus, vt docet Aristoteles in Proemio diuinorum, iuxta dictum Poli asserentis vsum esse artis genitorem, sed indicatio est fructus artis, est processus rationabilis, rei naturam consequens, & inde remedia insinuans, non respicit præteritorum successum, sed præsentium statum, & propriam constitutionem, quam qui videt simul videt iuuantium inde pendentium consecutionem. Processus ergo indicatorius, vt hoc vtar verbo, habet rationem adiunctam, quam habet experimentalis seiunctam, & ratio indicationis dissidet à ratione analogismi, quia hæc ratiocinando vi similitudinum inuentarum quærit immanifestum, & occultum, illa sine discursiuo labore in apparente nocētis natura manifestam, & apertam intuetur iuuantis consecutionem. Et quia ars est habitus cum recta ratione effectiuus, vt legimus in vi æthicorum, ideo indicatio est longè experientia pręstantior, & quia ars eo melior, quo est in probando euidentior, vt legimus apud eundem philosophum in primo de anima, ideo indicatio analogismo potior, nam indicatio, & rectam rationē sectatur ab experientia desertam, & probationem habet claram in analogismo delitescentem, sed indicationis super reliquas vias incomparabilem præstantiam vberrimè declarauit Galenus tum in libro de sectis, tùm in libro de optima secta ad Thrasibulū. Ad propositam verò dubitationem, quomodo indicatio sit expers, & cōpos ratiocinij, hæc dicta sufficiant.

De speciebus indicationum.

CAPVT V.


Pparuit satis, ni fallior, necessitas indicationis, eiusque in arte nobilitas, quandoquidem apparuit non esse artificem eum, qui solo experimento ducitur, non esse certum artificem eum, qui analogismi norma dirigitur, sed primo nomen periti conuenire solum vsum sectantis, secundo nomen artificis quidem cōgruere, sed non bene scopum collimantis. nam licet hic ratiocinetur, & neglecto experimento ad rationes confugiat, non ratiocinatur tamen ex propria rerum natura, sed vtitur transitu à simili ad simile, qui progressus plenus est descriminis, plenus incertitudinis. At indicationis studiosus non solum supra obseruationem, & qualemcumque vsum insurgit perpetuus rationis quasi venator, sed propriam etiam rationem, propriam rei cuiusque naturam attendit accuratus speculator, vt ex certitudine agnitæ essentiæ certam deducat agendorum supellectilem, vero quidem discursu, delitescente tamen, suffultus. In quo etiam aperta elucescit Platonici in Phædro dicti veritas, in quo legimus artes omnes magnas exercitatione dialectica, & contemplatione indigere, vel ipso Artis medicæ, & oratoiæ inducto exemplo, tamquam artium inter se mira cognatione iunctarum, quarum altera corporis, altera animæ naturam inquirendā, explicandamque suscipiat, & ex animaduersa totius, & partium natura remediorum quidē prima, persuasionum autem secunda qualitatem deducat. Verum cum

Me-

Medicina, vt ostendimus, Methodo innixa indicationes prosequatur, earumq; ductu in propositi finis portum peruenire conetur, conueniunt omnes indicationes arti curatoriæ addictæ in illo communi, quod à contrarietate pendent, vnde nono Methodi dixit Galenus eas omnes vno quasi vinculo contrarietatis deuinciri, & vnam esse solam curationum indicationem generalissimam, ipsam videlicet contrarietatem. nam quid aliud molitur qui curat quàm morbum summouere, & amissam sanitatem restituere? At morbus sanitati contrariatur, & contraria se inuicem expellunt, atq; detrudunt, ideoque contrariorum vsu contraria sunt expellenda, & in locum depulsi morbi sanitas reuocanda, vt in vndecimo Methodi cumulatè considerat Galenus Hippocraticum in libro de flatibus documentum, quòd contraria sint contrariorum remedia, meditatus. Verum quia morbus sæpe materialis est, habetq; suam causam fouentem, & conseruantem, sine cuius ablatione non potest ille auferri, ideo non solum morbi, sed morbificæ etiam causæ habenda ratio venit, & hæc adimenda vt ille faciliori negocio adimatur, & non à morbo solùm, sed ab ipsa etiam causa indicatio desumenda, & quia viribus sæpe morbus noxam, & qualemcumq; labem infert, virium quoque cogitatio ineunda, earumq; custodiæ, & conseruationi opera impendenda; quia parum prodesset morbum minuere, & propemodum depellere, & vires ipsas in tribus facultatibus, naturali, vitali, animali constitutas adeo labefactare, vel collabi finere, vt nulla superesse posset vitæ vsura; ad ipsas igitur vires præcipuus mentis oculus conuertendus, quia vitam tueri debemus, & vires tueri est ipsam vitam tueri, quæ vel virium possessio, vel earundem actio potest videri. Non licet ergo in multis morbis curatoriam vsurpare indicationem, nisi adiuncta etiam fuerit & causæ morbificæ, & virium ipsarum sollicitudo, vt hæc omnia in eundem scopum dirigantur contrarietatis adhibendæ, & contrarietatis interuentu ægritudinis profligandę. nam vt huius primarij voti compotes euadamus, & de pręcidenda causa, & de conseruanda virtute solliciti sumus. Hic est finis communis, hic est vltimus scopus, huc tendunt medentis remedia, hoc moliuntur omnia ab eo inuenta præsidia. Vna est actio, nempe curatio; triplex ad hanc obtinendam adhibita administratio, contrariorum morbo expellendo applicatio, opportunorum causæ remouendæ adiectio, & similium virtuti conseruandæ appulsio. nam vt morbus est affectus præter naturalis, ita virtus habitus naturalis, præternaturalis affectus expellendus, & expulsio fit per contraria, naturalis conseruandus, & conseruatio fit per similia, vt in memorato ad Thrasibulum libro, & sexcentis alijs in locis docet Galenus. Sed vsus similium (dicet forsan aliquis) quomodo locum habet in communissima indicatione curatoria, quæ, vt diximus, contrarietati propriè innititur, veluti vsus similiũ ad partem tuendæ sanitatis pręcipuè adigitur? quia hæc administratio nõ est in gratiam tuendæ sanitatis, quæ est absens, sed in gratiam profligandi morbi, qui est præsens, & adhibentur hæc similia virtuti amica, & vitæ conseruatiua non ad tuendum statum præsentem, sed ad immutandum, reuocandumq; absentem, vt alia ratione qui tuetur sanitatem viribus nauet operam, alia qui mor-

D bum

bum curat. Est ergo vna indicatio generalissima, interuentu contrarietatis depulsio morbi, sed quia hæc obiri non potest, ni causa præsens fuerit sublata, ni virtus languescens fuerit subleuata, ideo aliæ duæ suppetias priori ferentes, & commune opus propria ratione perficientes indicationes accedunt, altera quidem causæ morbificæ addicta, altera verò virium custodiæ intenta, & veluti prima indicatio ad morbum conuersa suscepit proprium nomen curatricis, quia contraria morbo adimere est eũ curare, ita indicatio causæ addicta est præseruatoria, quia causam arcere est morbi imminẽs incrementum summouere, & indicatio virium nuncupata est vitalis, quia vires custodire est vitam retinere, quæ viribus euanescentibus euanescit. Cuius vitalis indicationis momentum vel ex eo percipitur, vt considerat Galenus in libro ad Thrasibulum, quod ipsa remedia vel ab affectu, vel à causa indicata eatenus prosunt, quatenus naturæ, quæ iuxta dictum Hippocratis est sola morborum medicatrix, opem suppeditant, & quasi manum porrigunt, & huius naturæ tutamini indicatio vitalis incumbit. Quo etiam nomine virtutis roboratio ad affectus curationem conducit, quia illa videlicet roboratio causam præcipuam curationis effectricem reddit vegetiorem, & ad sua munia obeunda paratiorem. Hinc Galenus in nono Methodi has tres indicationum species in examen reuocans vitalem reliquis duabus præferendam decernit, & longè facit dignitate priorem, & has omnes in putridarum febrium curatione locum habere statuit, quem in Ephemeris causa destitutis, & vires non labefactantibus non habent. Vnde in decimo Methodi à primordio ex superius discussis colligit tria prima esse, quæ in putridis febribus agendorum indicationem præbant, vnum febrem ipsam, alterum effectricem eius causam, tertium virtutem, vt priora duo summouenda sint, tertium verò tuendum. Sic ad absoluendam generalissimam indicationem, quæ est sublatio morbi, tres species indicationum concurrunt, tribus determinatis addictæ muneribus, curatoria ex morbo deducta, præseruatoria ex causa morbifica, & ex virtute vitalis. Quarum indicationum singulæ suas accipiunt diuisiones non solum ratione maioris, minorisve communitatis, vnde vel genericæ, vel specificæ fiunt, verum etiam ratione propriarum differentiarum eas circumscribentium quas in libris Methodi plenè recenset Galenus, nos hic libenter missas facimus, quibus non est propositum vniuersam indicationũ artem explicare, sed indicationes febribus tantũ putridis congruentes ad communis examinis incudem redigere, quod vt commodius obire munus queamus, naturam putridæ febris compertam prius, exploratamque habere debemus, quia sic & orientium indicationum necessitatem, & earum adimplendarum rationem facili quidem negotio eruemus.

De Natura putridæ Febris.

CAPVT VI.

Diximus supra ex Galeno in primo de differentijs febrium tres esse ipsorum genericas formas, quippe quæ cum cor ipsum præcipuè afficiant, id vel ratione spirituum in corde existentium, vel ratione humo-

rum, vel ratione partium solidarum efficiant, & primo quidem modo Ephemeræ, secundo putridæ, tertio demum hecticæ euadant. Ac veluti in hecticis febribus calor est ipsis membris solidis hærens, in Ephemeris ipsos spiritus occupans, ita in putridis humores lædens non quidem putrefaciendo, quia tunc non foret simplex putrida febris, sed pestilens, verum calidam intemperiem communicando, vt non solum calefiant, sed actu sint etiam adeo calefacti, vt inde manifesta prodeat actionum læsio. Illud tamen animaduersione dignissimum occurrit quòd in Ephemeris, & putridis non modo spiritus, & humores, sed solidæ etiam cordis partes afficiuntur, calidioriq; qualitate laborant, vt hoc singulis febrium generibus congruat, quia sola pars viuens est morbosæ affectionis compos, ea nempe, quæ sola etiã est sanitatis, vt docuit Aristoteles in libro de sensu, & sensili. Sed solida cordis affici contingit dupliciter, vel ratione propriæ temperaturę, vel ratione calidi innati sibi impacti, primo quidem modo afficiuntur solum in febribus hecticis propriam eorum temperaturam immutantibus, secundo modo afficiuntur in omnibus febribus, quia omnes lædunt innatum calidum, illud conuertendo in igneum, vt in primo Aphoris. comment. 16. decreuit Galenus. Illud etiam accedit, quòd in hecticis immediatam cor percipit læsionem, in reliquis mediatam, interuentu scilicet spirituum, & humorum, qui licet non sint partes viuentes, constituunt tamen, & complent essentiam partis viuentis, nempe cordis sine spiritibus, & humoribus suum complementum non obtinentis, vt hoc etiam nomine & spiritus, & humores possint esse qualecumque febris ipsius subiectum, vt existimauit Galenus triplicem febris materiam constituens, continentia, contenta, & impetum facientia, hoc est partes cordis solidas, humores, & spiritus, possunt, inquam, spiritus, & humores vocari aliquale febris subiectum, quatenus scilicet sunt substantiæ ad cordis complementum absoluẽdum cõcurrentes, suamq; omnem labem insito eius calido impertientes, vt dicatur cor pati partim ob affectionem substantiarum ad sui absolutionem concurrentium, partim ob labem inde innato suo calori accedentem, & in omni quidem febri cor patiatur adæquatè, in Ephemera tamen principaliter secundum spiritus, in putrida secundum humores, à quibus semper fiat qualiscumque vel ipsi solidæ substantiæ communicatio. Verum dimissis modo reliquis duobus febrium generibus, ad putridarum genus in examen reuocatum accedentes dicamus, febrem putridam nil aliud esse, nisi calorem præternaturalem in humoribus cordis accensum ob putridi vaporis præsentiam. Est calor præternaturalis, quia febris est, & febris essentia est in genere caloris præternaturam, vt docet Galenus in primo illo de differentijs febrium, cuius etiam est illud celebre dictum superius commemoratum, febrem esse calidam, & siccam passionem tamquam conuersionem caliditatis natiuæ ad igneã, ex quo manauit mos Hippocratis febrem nomine ignis in Epidemijs potissimum insinuantis, quem modum loquendi apprimè commendat Galenus in octauo de decretis, & modo Platonis præponendum iudicat, omnem animalium calorem, siue naturalis sit, siue præter naturam, ignem vocantis. Est calor præternaturalis in humoribus cordis accen-

censūs, quia non propriè spiritus, vt in Ephemeris, non solida membra, vt in hecticis, sed humores in ventriculis contenti primo incaluerunt, & accensio primo irrepsit in humores tamquam in proprium immediatum qualecumq; subiectum, communicata mox tamen etiam calido innato, & referenda etiam ad vniuersum cor, quod non potest indicari inaffectum in sui calidi, nedum suorum humorum ignea affectione. est calor demum accensus ibi ob præsentiam vaporis putridi, quia licet humores cordis non putrescant, vt vsu venit in febribus pestilentibus, putrescunt tamen aliqui humores corporis siue in venis, siue extra venas locati, à quibus prodeuntes vapores putridi ad ventriculos cordis perueniunt, ibiq; contentos succos ad intemperiem febrilem traducūt, vt in primo illo de differentijs febrium docet Galenus. Huius igitur febris causa formalis est calor præter naturam, & igneus, materialis, in qua, sunt humores cordis, ipsumque cor, vt declarauimus (nam cum febris sit accidens, instar accidentium non habet causam materialem ex qua) efficiens demum est putredo humorum, vnde igneæ fuligines humoribus cordis communicatæ deriuantur. Verum quomodo putredo hanc habeat efficientiam, & quomodo putres vapores, & fuligines succis commixtæ cordis vim habeant inducendi febrilem calorem non potest benè innotescere, nisi prius natura putredinis fuerit explorata, accuratoq; examine perpensa. Duas illius habemus per ora virorum vel mediocriter eruditorum volitantes definitiones, quarum altera est Aristotelis in Quarto Meteorologico, altera Galeni in Vndecimo Methodi, quæ quidem definitiones licet quibusdam doctissimis viris fuerint visæ diuersas putredinum naturas insinuare, vt altera sit philosophorum, altera Medicorum, in eandem tamen reuera coeunt explicandi rationem, eundem habent finem propositum, eandem suscipiunt eiusdem rei explicandam essentiam. Quod patebit nobis apertissimè vtramque definitionem accuratiusculè examinantibus.

De natura putredinis ad pleniorem putridæ febris notitiam.

CAPVT VII.



CVm in quarto Meteorologicorum libro mixti generationem, quam simplicem vocat generationem, definiuisset, ac declarasset Aristoteles, ad eiusdem naturalem interitum, maximum eius contrarium, putredinem scilicet definiendam accedens hæc ait. σῆψις ἐστὶ φθορὰ τῆς ἐν ἑκάστῳ ὑγρῷ οἰκείας καὶ κατὰ φύσιν θερμότητος ὑπ᾽ ἀλλοτρίας θερμότητος, αὕτη δ᾽ ἐστὶν ἡ τοῦ περιέχοντος. hoc est, putredo est corruptio in vnoquoq; humido propriæ, & secundū naturam caliditatis ab aliena caliditate. ipsa autem est ambientis. Quibus nimirum verbis nobis ob oculos putredinis naturam constituit nam cum hæc sit naturalis interitus mixti, eiusdem naturali ortui ex altera parte respondens, veluti ortus est productio mixti facta à qualitatibus actiuis dominantibus supra passiuas, hoc est à calido, & frigido dominantibus humido, & sicco, vt sit caloris frigore contemperati victoria quædam, & inualescentia, ita putredo est corruptio eiusdem facta à dominio qualitatum passiuarum actiuas opprimentium,

rium, vt calor naturalis langueat, & emarcescat, nec frigus amplius moderationis limites obtineat, & humidum, & siccum præpolleant, non tamen coniuncta, nec pristino miscellæ vinculo deuincta, sed abinuicem dissita, & in distinctas partes tendentia. nam in generatione quidem ob victoriam, & præpollentiam caloris humidum, & siccum arctè erant inter se commixta, & simul continebantur caloris dominantis quasi nexu validissimo. At in putredine ob eiusdem caloris insignem languorē, euanescentemq; vim diffluit humidum à sicco, alterumque ab altero dispescitur tamquam pristino vinculo destitutum. Generatio ergo mixti, eiusdemque conseruatio à caloris pendet vigore miscibilia inuicem connectentis, connexaq; detinentis, eiusdem mixti corruptio, quæ est ipsa putredo, ab eiusdem caloris prouenit infirmitate nequeūtis ampliùs contrarias inter se qualitates, humidam, & siccam, in vnum iunctas coercere, & quam fecerat generatio istarum miscillam, eandem abolet, dissoluitque putredo, illa quia calor vigebat, hæc quia idem fatiscit. Vnus ergo, idemque calor contrario modo se habens contrariorum affectionum est causa, ortus nempe, & interitus mixti, vt ideo Aristoteles causalem adducturus putredinis definitionem vocauerit eam corruptionem caloris proprij, & naturalis in vnoquoq; humido factam à calore alieno, qui fit corporis ambientis. est corruptio caloris proprij, & naturalis, quia dum mixtum putrescit, dissolutionem perpetitur humidi à sicco, hanc autem sustinet, quia proprium, & naturalem calorem, hoc est accomodatum propriæ naturæ, & latitudine naturali comprehensum amisit, quo vigente qualitates illas passiuas simul complicatas derinebat, quo pereunte earundem sustinet secretionem, euanescentis caloris Comitem, veluti eiusdem vigentis est bona miscella, miscellæque conseruatio Comes. Et quia in mixto subiectum caloris naturalis est ipsum humidum, qualecumq; sit siue primigenium, siue aduētitium (omne enim humidum caloris euadit subiectum) ideo putredo corruptio dicitur caloris naturalis in vnoquoque humido, vt in eo calor elanguescat, ipsum autem humidum inualescat, viresq; vlteriores acquirat, quia prius humidum succumbebat calori, eiusq; ductum, regimenq; sectabatur, apparente autem putredine omne caloris imperium detrectat, & imperantis potius vicem subit, quia à primordio putrescentia sunt humidiora partim quòd humidum factū est sui iuris, nec amplius à calore coercetur, partim quòd secernitur à sicco, & à penitioribus particulis ad exteriores dilabitur. Interit ergo calor proprius in humido, & vincit humidum victus succumbit calor, qui tamen e mixti corpore egrediens secum trahit etiam humidum, in quo residet, vt temporis lapsu post factam humidi euaporationem insignis superstit siccitas, terrestresq; remaneant putrescentis corporis reliquiæ. Sed quia omne, qaod corrumpitur, suum habet corruptiuum, calor hic proprius, & naturalis in putredine corrumpendus sui corruptorem agnoscit calorem externum, qui validior existens interno calore corporis putrescibilis agit in illum instar flammæ maioris agentis in minorem iuxta animaduersionem philosophi in libello de longitudine, & breuitate vitæ, & agit non alterando, & extinguendo (hoc namq; pertinet ad solum contrarium) sed alliciendo, ad-

ad ſeq; trahendo, vt per modum ſimilis agat, non per modum contrarij, ideoq; non aboleat, nec peſſundet calorem, ſed extrinſecus deducat, & à mixto ſeiungat, quo fit vt non tàm corrumpatur calor vt calor, quàm vt proprius, & naturalis mixti, quippe qui non remaneat vel quantus, vel qualis erat, vel vbi erat, ſed auctus à primordio, & acrior factus egrediatur è proprio ſubiecto, illudq; relinquat foras erumpens ab aliena caliditate attractus, quaſi ferrum trahentem Magnetem conſectans, quæ aliena, externaq; caliditas corporis eſt ambientis, qualecumque demum id ſit, ſiue aer, ſiue aqua, ſiue ſolidum. & quodcumq; corpus putreſcibilem ſubſtantiam contingens, & ambiens, quod intenſiori calore præditum poſſit remiſſiorem putreſcibilis calorem prolectare, ad ſeq; allicere, vt ſi non abſolutè corruptus, mixto tamen, à quo recedit, verè dicatur corruptus. mixtum hoc namq; non habet amplius priſtinum calorem, vnde eius conſtitutio ſeruabatur incolumis, quatenus à calore humidum cōtinebatur cum ſicco deuinctum, ad quam caloris in mixto efficientiam reſpiciens Plato in Philæbo dixit mixtionis præſidem eſſe Vulcanum, non habet autem priſtinum calorem quia ſurreptus illi fuit ab aliena caliditate attrahente, & corruptionem ſubijt non corruptus, corruptionem ſubijt in eo, in quo non eſt amplius qualis erat, nec fungitur officio quo fungebatur, non corruptus in ſe, quia non extinctus à contrario, ſed attractus à ſimili, non paſſus ſubiecti defectionem, ſed ſolam egreſſionem. Hinc fit, vt mixtum ſuo deſtitutum calore frigidum euadat, cum inopia, & indigentia calidi frigeſcant omnia, ideoq; duæ ſint putredinis cauſæ, interna ſcilicet putreſcentis frigiditas, & externa ambientis caliditas, cuius duplicis cauſæ putredo ſit communis affectio, vt in Quarto illo Meteorologico decernit Philoſophus. Cuius tamen dicta illum inſinuant ſenſum, vt principia efficientia, primariaque putredinis cauſalitas ad alienam referenda ſit caliditatem, non ad propriam frigiditatem, qui vltimus nihilominus ſenſus viris arriſit doctiſſimis, dicentibus putredinem præcipuè fieri à frigiditate interna agente in proprium calorem, concurrente etiam calore ambientis. Verum hæc explicatio non conſonat Ariſtotelicis verbis, nec eſt rationi conſentanea, non primum, quia putredinis definitio cauſam ipſius continens eam refert in ſolam ambientis caliditatem, cum qua tamen coniungi mox oſtenditur propria etiam frigiditas neceſſaria quadam conſecutione, quæ comitatur caloris proprij defectum ab aliena caliditate factum, vt primaria, & antecedens cauſa putredinis ſit caliditas aliena, ſecundaria, & conſecutiua frigiditas propria. non habet ſecundum illa explicatio, hoc eſt non conſonat rationi, quia effectus poſitiuus referendus venit in cauſam poſitiuam, non in priuatiuam, at caliditas externa eſt poſitiua, interna frigiditas priuatiua, quæ conſequitur defectum caloris, & eſt eius priuatio, & primo deficit calor, mox obrepit frigiditas, & qui efficit defectum caloris proprij efficit putredinem, quæ conſiſtit in calore deficiente, vnde prouenit omnis humidi à ſicco ſecretio, omnis mixti diſſolutio. Dicitur tamen frigiditas quoq; propria à defectu caloris profecta aliquam habere in putredine efficientiam, quatenus ſignificat abſentiam caloris proprij, quę abſentia poteſt eſſe cauſa interi-

tus mixti eodem ferè pacto, quo absentia Gubernatoris est in Naui causa Naufragij, vt legimus in secundo Physicorum, nam idem Gubernator, qui præsens facit Nauem incolumem, absens facit perditam. Sed quis non videt differentiam efficientiæ? est causa salutis operando, est causa perditionis ab opere desistendo. At non irruit illa perditio, nisi vel procellarum impetus, vel scopulorum accedat obiectio. nam quia contrariorum eadem potest esse causa, dum contrario se habet modo, naturalis calor si adsit, seruat mixtum incolume, si absit, idem euertit, eius autem absentia est propria mixti frigiditas, quæ agere dicitur ad putredinem inducendam, veluti gubernatoris absentia ad naufragium excitandum, sed hæc non est actio positiua, sed actionis potius vacatio, qua cessante actione ad salutem siue mixti, siue Nauis necessaria illud quidem putrescit, quia non habet amplius calorem suæ constitutionis præsidem, pristinæq; miscellæ tutorem, hæc autem subuertitur, quia non habet amplius gubernatorem dirigentem, & à scopulis, salebris, procellisque omnibus auocantem. Perditur nauis quia caret rectore illam conseruante, & necessariam partibus vnionem continente, putrescit mixtum, quia caret auctore, ac tutore suæ mixtionis, vnionem partium humidarum cum siccis confirmante. Hic erat calor proprius, & naturalis, quo recedente incipit mixti exitium, diffluente humido à sicco ob fractum vinculum à calore institutum. Dissoluitur ergo omnis miscella, & iuxta dictum Hippocratis in libro de natura humana abit humidum ad humidum, siccum ad siccum, calidum ad calidum, frigidum ad frigidum quia hęc omnia in mixto erant extra suam regionem, vt in secundo de Cœlo considerat Aristoteles, ad quam sponte naturæ videntur reuerti, nisi vi caloris vigentis contineantur. Qui destruit ergo mixti calorem, destruit mixtum, destruit autem calor ambientis illum ad se allicìens, illoq; proprium subiectum spolians, calor igitur ambientis euertit mixtum, estq; vera, & primaria causa putredinis, quæ secundum causalem definitionem est corruptio caloris mixti, secundum formalem est secretio humidi à sicco, corrumpit autem calorem mixti calor ambientis, quo corrupto obrepit illico dissolutio humidi à sicco, vt ambiens interuentu illius corruptionis hanc efficiat dissolutionem, nec alia noua insurgit causa ad hunc promendum effectum, quia interna frigiditas nihil est aliud, nisi illa caloris interni absentia ab ambientis calore producta, cuius ambientis efficientia duplicem obit in mixto effectum, immediatum, & mediatum, immediatus effectus est caloris interni corruptio, mediatus verò partium humidarum à siccis secretio. Supponamus gubernatorem Nauis vento rapidè afflante fuisse de puppi deiectum, & in Mare delapsum, nauemque scopulis impingentem, indeque confractam subijsse exitium; Quam dicimus causam naufragij? Certè rapidum ventum, quia hic gubernatorem deiecit, cuius absentia nauis perniciem aduentare permisit. Ventus verum effectum adduxit, Gubernatoris videlicet deiectionem, eius absentia nil facit, imo quia non facit quod consueuerat Gubernator, succedit ipsum naufragium, cuius ventus deijciens statui potest auctor mediatus tamen, quatenus interuentu deiecti gubernatoris subuersionem inuehit Nauis. Ventum refert calor

ambientis, deiectionem gubernatoris corruptio caloris in mixto, nauis subuersionem dissolutio humidi à sicco in eodem mixto. Hæc dissolutio, quæ est vera formalis putredo, pendet à corruptione caloris, quam sequitur interna mixti frigiditas omnem connectendi miscibilia vim euertens. Ad corrumpendum autem calorem nil agit hæc frigiditas, quia non est qualitas à calore distincta ad eum imminuendum nata, sed est ipsius caloris priuatio vacationem eius ab opere inducere parata, vt vim potius habeat significandi actionis defectum, quàm actionem. Veluti absentia gubernatoris à Naui significat defectum regiminis, sine quo non seruatur nauis, illa autem absentia consequitur contingentem interdū, vt supposuimus, deiectionem à vento factam, hanc gubernatoris absentiam comitatur temerarius nauis processus, qui non antecedit, sed succedit suppositæ deiectioni. Ita propria mixti frigiditas non facit corruptionem caloris, sed eam factam consequitur comes indiuidua, & hæc frigiditas in corruptione caloris continetur implicita, vt hæc putredinis causa non sit tamquam noua ab Aristotele adducta, sed tamquam obscurè in dictis inserta dilucidius explicata. Cum enim proprius mixti calor corrumpatur à calore ambientis, & cum in hac corruptione contineatur propria eiusdem mixti frigiditas, illud consequens est duas esse propositas putredinis formaliter considerate, & dissolutionem humidi à sicco continentis causas, propriam nempe frigiditatem, corrupti in mixto caloris pedissequam, & ambientis caliditatem illius corruptionis effectricem. Quarum tamen causarum hæc est primaria, & præcipua, quæ vim habet positiuam, efficientiam exercet, calorem mixti corrumpit, hacque corruptione internam eius frigiditatem inuehit, quæ frigiditas cooperatur non tàm efficiendo, quàm deficiendo ad putredinē, vt calor ambientis sit non solum causa primaria, sed auctor etiam secundariæ causæ, quippe qui calorem mixti corrumpēs propriam in eo relinquat frigiditatem. Quæ mox frigiditas accidentaria euadit putredinis causa, quoniam laxat, vt ita dicam habenas qualitatibus passiuis, vt sui iuris fiant, nec amplius caloris naturalis imperio succumbant, sed excurrant liberè, nullis adstrictæ legibus, & sponte sua diffluant, & abinuicem separentur. Quod quidem præclarè explicauit Auerroes duplicem constituens putredinis causam, primariam, & per se, extraneum scilicet calorem in ambiente positum, secundariam, & per accidens, frigiditatem calori proprio aduentātem, quæ concurrit ad putredinem producendam priuando calorem sua propria functione congregandi materiam, & dominandi super ipsam, qua functione cessante sequitur putredo, vt accidit in corporibus mortuorum, & senum, & vniuersaliter in rebus inanimatis frigefactis. In quo etiam Auerroes mirè est assecutus, & interpretatus Aristotelis mentem, qui allatę putredinis definitioni superius consideratæ hæc statim verba subiecit tamquam ex prioribus deducta. Quare quoniam secundum indigentiam patitur calidi, indigens autem tali virtute existit frigidum omne, ambæ vtiq; causæ erunt, & putrefactio communis passio & frigiditatis propriæ, & caliditatis alienæ. propter hoc enim & sicciora fiunt putrefacta omnia, & tandem terra, & fimus exeunte enim proprio calido, coeuapo rat quod se-

cundum

cundum naturam humidum, & inducens humiditatem non est amplius, inducit enim trahens propria caliditas. En quomodo frigiditatem mixti deducit ex indigentia, & priuatione caloris proprij, quam priuationem retulerat in definitione acceptam calori ambientis, vt ideo concludat putredinem esse sobolem & frigiditatis propriæ, & caliditatis alienæ, quæ prima fuit in operando, & ansam dedit frigiditati in apparendo. quinimo ex caloris indigentia in mixto non solum deducit eius consequentem frigiditatem, sed eodem consecutionis iure siccitatem etiam, quatenus cum proprio calido ab ambientis caliditate educto, ideoq; exeunte coeuaporat simul insitum naturaliter humidum tamquã caloris subiectum, quod non potest remanere superstes, quia non superest amplius causa humidum cum sicco inducens, & connectens, quæ causa nulla erat alia, nisi pristina mixti caliditas propria, quasi Magnes ferrum, humidum ad se trahere nata, & complicatum cum sicco retinere. Ex his patet veram putredinis, primariamq; causam esse calorem ambientis, non propriam mixti frigiditatem, nisi consecutiue, vt videlicet consequitur corruptionem caloris proprij in mixto, factam à calore ambientis, vt hinc suscipiat suam qualemcumque efficientiam, quę accidentaria est, eamque vt talem exerceat in permittenda separatione humidi à sicco, in qua constat præcipuam residere putredinis essentiam.

De duplici putredinis specie, altera secundam partem, altera secundum totum.


CAPVT VIII.

PVtredinem duplicem ex Arist. in illo Quarto Meteorologico colligimus, aliam quidem secundum totum, per quam sola mixta perfecta putrescunt, aliam verò secũdum partem, per quam putrescunt etiam elementa omnia igne excepto, quatenus scilicet alicuius mixtionis participia euadunt, & priuantur qualicumq; calore aliunde contracto, vt non amittant propriam, insitamque naturam (hanc enim per simplicem interitum, non per putredinem amittunt) sed quandam potius ascititiam constitutionem cuiusdam naturæ æmulam. illud namq; est commune omni putredini, vt Alexãder Aphrodisæus obseruat, calorem ipsum corrumpere, siue proprius, & genuinus sit, siue quocumq; modo appropriatus, vt vocant, & aduentitius, ideo in elementis tribus, aere, aqua, ac terra, inducitur putredo ex eo, quòd aliquam miscellam contraxerunt, & aliquem calorem sunt nacta continentem, in vnumq; adigentem substantias inter se diuersas, quam miscellam dum deponunt, & quem calorem dum amittunt, dicuntur putrescere secundam partem, quia non deperdunt propriam substantiam elementarem, sed quandam constitutionem à qualicumq; miscella contractam, & per hanc putredinem fiunt potius puriora, quàm secus, nõ tamen retinẽt elementa quam prius habebant mixtionem licet imperfectam, nec quem includebant calorem licet aduentitium. Hac eadem

putredine secundum partem dicuntur affici humores nostrorum corporum, proportione elementis respondentes, bilis quidem igni, sanguis aeri, aquæ pituita, terræ melancholia; vt ex Hippocrate in libro de natura & ex Galeno in libris de elementis colligimus, nam hi quoq; humores putrescunt plerumq; secundum partem, quia vi caloris ambientis priuantur aliquatenus proprio calore sibi à visceribus impertito, vt non retineant pristinam formam vndequaq; quam etiam possunt aliquando penitus deperdere, quando nempè tanta fit humidi à sicco secretio, vt quædam quasi incineratio ipsis obrepat, quo casu dicuntur putrescere secundum totum ob omnimodam substantiæ deperditionem. Et sunt humores putredini totali obnoxij, & non sunt elementa, quia hæc non sunt perfectæ mixtionis capacia, illi sunt compotes, & maiorem, vel minorem subeunt propriæ substantiæ iacturam pro maiori, vel minori caloris corruptione, à quo calore vel insito, vel ascititio pendet mixtorum vel essentialis, vel accidentalis substantia. Quamobrem allata Aristotelis, explicataque definitio, qua putredinis naturam videtur cõplexus exactè, vtramq; putredinem comprehendit, & totalem, & partialem, quia in vtraq; calor corrumpitur, siue proprius, & naturalis, vt in totali, siue appropriatus, & naturalis æmulus, vt in partiali, & in vtraque est corruptio alicuius formæ vel substantialis, vel substantialem æmulantis. nam cum elementa impura putrescunt, amittunt vi putredinis secundum partem qualemcumque substantiam ipsis accedentem ex illa qualitatum imperfecta miscella, quod vsu venit etiam in humoribus corporis, qui putrescentes interdum deponunt non omnem suam formã, sed quam tempore incolumitatis retinebant integram, vt aliquid proprij caloris deperdant, & aliquam sustineant humidi à sicco separationem, non qualem sustinent corpora solidiora, sed qualem admittunt corpora liquida, & fluxilia, in quibus plerumque non fit omnimoda humidorum, siccorumq; separatio, licet aliquando (infrequenter tamen) ipsamet succedat in ipsis mixtis incineratio, quo tempore humores dicuntur putrescere totali putredine, non secundum partem dicta, quia totalem tunc amittunt sibi conuenientem naturam, & in elementa dissoluuntur, qui terminus est absolutæ, & secundum totum nuncupatæ putredinis.

De Medica putredinis definitione Aristotelicæ conformi.

CAPVT IX.



Galenica putredinis definitio non differt ab Aristotelica, si lance iusta libretur, nisi vocabulorum varietate, miram habens sententiæ cõuenientiam non enim oportet in eorum errorem abire, qui dicere audent aliam à Philosopho considerari putredinem, à Medico aliam. Quam nimirum sententiam inter primores olim tutatus est in Gymnasio Patauino Acorombonus Medicinæ practicæ professor ordinarius, & nuper renouandam susceperunt clarissimi viri eandem obtinentes sedem, quorum doctissima de febribus scripta cum applausu leguntur impressa. Inter se conueniunt isti in hoc præcipuè dicto, puttedinem philosophorum esse communiorẽ, omnia mixta com-

complectentem, à Medicis considératam esse angustiorem, solos humores, & qualescumq; humani corporis substantias respicientem, illam esse interitum naturalem post certa temporum curricula, statasq; durationis periodos mixtis omnibus contingentem, placida quadam, mitiq; ratione factum, hanc esse interitum violentum quocumque tempore ex inferentibus vim causis, ex morbosis occasionibus aduentãtem, rapidoq; impetu insultantem, vt carnes bubulæ exempli gratia decem dierum spatio imputres permansuræ, si decimo solùm die putrescant, subire dicantur putredinem à philosopho consideratam, quia pereunt naturali ratione suæ mixtioni debita, & tunc solummodo in elementa soluuntur, cum ea continere amplius iuncta nequeunt, at humores nostri, qui per multos annos possent durare incolumes, si cito putrescant, nec statum suæ dissolutionis tempus expectent, putredine à Medicis ponderata vocentur correpti, quippe qui nõ fatalem experiantur corruptionem, sed intempestiuam, & cum impetu factam, à morbosis causis profectam. Sic faciunt philosophorum putredinem vniuersalem, naturaliter interimentem, Medicorum particularem, violentia comitatam, à priori valdè dissitam, Vnde varias vtriusq; conditiones deducunt plurimum abinuicem differentes. Verum hoc placitum rectè philosophanti nulla potest ratione placere. nam & philosophorum consideratio complectitur omnia mixta, cuiuscumq; sint generis, eisq; omnibus communem facit interitum putredinem, & quæ Medicorum est in particulari subiecto vniuersalem agnoscit ideam, & communissimam mixtorum omniũ corruptionem humanę potissimum substantiæ, in qua sola versatur, adiungit. Considerat Philosophus eam putredinem, quæ est naturalis interitus mixtorum omnium, est interitus communissimus simplici generationi, hoc est mixtioni, oppositus, vt hæc putredinosa corruptio suo quasi ambitu mixtorum omnium, qualiacunq; sint, quatenus mixta sunt, corruptionem includat naturaliter factam, ideoq; humorum etiam putredinem contineat in humano corpore existentium, qui cum sint corpora humida fluida, vt dicebat Auicennas, sint corpora ex quattuor elemẽtis mixta, vt in quarto Meteorologico, & in secundo de partibus considerat Aristoteles, & cum eo in libris de elementis Galenus, ambo ab Hippocratis libro de humana natura hanc doctrinam mutuati, nõ possunt eam effugere, si naturaliter pereant, rationem pereundi, cui sunt omnia mixta sponte sui obnoxia ab Aristotelica definitione insinuatæ, vt sint humores vtriusq; compotes putredinis, & eius, quę dicitur secundum totum, & eius, quæ secũdum partem, licet huius frequentius, infrequentius illius. Quod in commentario illius Aphorismi secundæ particulæ, in quo sermo est de cibo præter naturam ingesto, declarauit Galenus vinorum exemplo, quæ vel ex toto acida facta non redeunt amplius ad vini naturam, vel paruo aciditatis sapore suscepto pristinam repetunt condicionem, vt sanguis etiam vel ita corrumpatur, vt nulla supersit recuperandi habitus naturalis spes, vel tam paucam labem recipiat, vt recuperandæ prioris integritatis suppetat facultas. Hinc dicebat idem Galenus in tertio Artis Medicinalis in humoribus putrescentibus, vnde febris accenditur, duplicem esse indicationem, euacuationem, & alterationẽ,

hanc quidem quę putredinem finiat manente adhuc substantia, illam verò quæ totam ex corpore substãtiam educat. At dicunt doctissimi illi Medici superius commemorati distingui humorum putredinem à mixtorum putredine, cuius definitionem habemus ab Aristotele, quia illa est violentus interitus ante statutum sępe tempus ex morbosis causis factus, hæc est interitus naturalis transacta propria periodo mixtis contingens. Cui dicto respondere debemus omnem putredinem esse naturalem mixti interitum, si rationem conside remus, qua compulsus Philosophus eam vocauit naturalem, quæ ratio nulla est alia, cui acquiescere animus possit, nisi hæc, quod decreto naturæ vniuersalis contingit, vt mixtum ex elementis conflatum in eadem elementa putrescendo facescat, & non combustione intereat, qui interitus est, nominaturque violentus, sed putredo ex altera parte naturalis non quidem vt ab interno principio factus, cum ab externo semper appareat profectus, sed vt naturalibus legibus, naturalibus decretis con sentaneus. Hac igitur communi ratione etiam humorum putredo est naturalis corruptio, quia hæc etiam sectatur eundem naturæ ordinem subeundæ dissolutionis in elementa, quacumq; tandem ratione fiat, non enim illud occurrit discrimen, vt hęc fiat ab externo principio, aliorum mixtorum putredo ab interno, sed omnes omnium fiunt ab externo, ambientis videlicet calore, & omnes tamen vocantur naturalis interitus ob apparentem cum decreto naturali conformitatem, habita ratione combustionis, quæ huic refragata decreto violentiæ suscepit nomen. est igitur communis condicio putredinis, quatenus est putredo, esse naturalem interitum, nec modus putrescendi tollit hanc, vt ita dicam, naturalitatem, quia non tollit dissolutionem in elementa ab ambiente factam, & modus rei, vt doctè considerat Albertus in quarto Meteorologico, insequitur rem, cuius est modus, proinde causa eius esse non potest, fieri celeriter, vel tardè, hoc, vel illo tempore, est modus consequens rem vel naturalem, vel violentam, ideo non potest esse causa vel naturalitatis, vel violentiæ, sed alia prior ratio esse debet, cur naturalis res dicatur, aut violenta, veluti putredo euasit naturalis, quia licet ab externo principio pendens ordini tamen naturali est conformis; combustio euasit violenta, quia non solum ab externo principio producta, sed naturali etiam ordini dissentanea. Nec valet dicere mortem distribui in naturalem, & violentam à philosopho partim in quinto physicorum, partim in libello de vita, vt naturalis sit quæ paullatine fit per consumptionem humidi primigenij, violenta que morbo, gladio, alijs id genus causis vim inferentibus, & prima in solo senio, secunda in reliquis etiam ætatibus, quam diuisionem inuexit primus Hippocrates in libris de morbis, sectatus est Plato in Timæo, & ab omnibus acceptam confirmauit sępe Galenus, & præcipuè in primo de sanitate tuenda, non valet, inquã, hoc dicere, quia in hoc duplici genere mortis duplex effulget corruptionis principium, internum alterum, alterum externum, quorum primum locum habet in morte naturali, secundum in violenta. At in nulla putredine principium conspicitur internum, quod qui statuunt, ab Aristotelis, & Auerrois, addo etiam, Galeni mente planè recedunt, & in omni putredine externũ vrget principium in

in ambiente situm, in omni apparet cum naturali pereundi decreto conformitas, vt ideo omnis euadat hac ratione naturalis, cui postea accedit particularis putrescendi modus naturalitatem non adimens. Qua de causa putredo dicta est naturalis interitus? non quidem quia sensim, vel celeriter fiat, non quia placidè, vel impetuosè, non quia post breue, vel longum durationis tempus, sed quia ex naturali instituto mixtum in simplicia ob ambientis calorem dissoluit. hæc ratio, vnde propriè pendet naturalitas, locum habet in omni putredine, ergo omnis est naturalis interitus, siue sensim fiat, siue affatim, siue tempestiuè, siue intempestiue, est naturalis, quia distinguitur à combustione, quæ præter naturale institutum vertit mixtum in solum ignem. Ad quam combustionem relata quæcumq; putredo retinet vim naturalitatis. Quòd si putredines inter se conferantur, altera quidem & quoad Communem Ideam, & quoad proprium modum est magis naturalis, altera verò minus, quia facta sensim, & statuto solum tempore habet etiam modum naturæ cognatiorem, facta contraria ratione modum eidem naturæ difformiorem, sed quoad communem rationem omnis est naturalis, & à combustionis modulo dissita, omnis fit per corruptionem proprij caloris in humido ab externa ambientis caliditate inuectam, omnis fit per separationem humidi à sicco, omnis fit per dissolutionem mixtæ substantiæ in simplices. Nulla est ergo putredo, quæ non cadat sub communissima definitione Aristotelis, à qua nec humorum, nec vllius alterius mixti se subtrahit corruptio, alioquin humores non forent corpora mixta, de quibus mixtis putredo per se, quatenus ipsum, & vniuersaliter prædicatur iuxta doctrinam in primo Posteriorum traditam. Medicorum igitur consideratio non aliam inducit putredinem, sed eandem planè redigit in examen, quam tamen coarctat non ratione formalitatis, sed ratione subiecti, dum communissimam mixtorum omnium affectionem in peculiari mixto ad humores, vel qualescumq; substantias humanas referendo considerat, & veluti proprium subiectum ex naturali philosophia seligit, humanum scilicet corpus, in cuius solius meditatione versatur, ita propriam putredinem, quasi ratam sibi congruentem portionem, excerpit, quam pertractandam, examinandumq; suscipit, sed & illud subiectũ, & hanc passionem aliter examinat, ac philosophia, quia hæc cognoscit vt cognoscat, Medicina cognoscit vt operetur, quo potissimum discrimine philosophum à Medico in primo colliget Auerroes distinguit. Sed hoc discrimen non est ex parte rei consideratæ, verum ex parte considerantis, nec est ex parte obiecti, sed ex parte facultatis cognoscentis.

Vna est, eademque sanitas secundum communem rationem, quam philosophus in viuentibus omnibus considerat, & Medicus in humano corpore, ita vna est, eademq; putredo, quam ille in mixtis omnibus, hic in humanis vel succis, vel substantijs examinat. Non est hæc putredo magis violenta, quàm illa, quia omnis putredo vt ab externo pendens principio dici potest violenta, omnis tamen vt naturali instituto conformis, dicta est naturalis, ve uti supra ostendimus, & hic addere etiam possumus vel ex eo quoq; apparere putredinem non verè violentam, quod cum violentum sit illud, quod pendet ab externo principio non confe-

rente vim passo, vt legimus in tertio æthicorum, quæ collatio virtutis ex parte passi intelligi potest vel vt per se dantis, vel vt aliunde recipientis, veluti subtiliter in sexto Quolibeto quæst.14.explicat Egidius, putredo pendet quidem ab externo principio, hoc est à calore ambientis, sed hoc principium confert vim putrescibili corpori, quatenus ei tribuit à primordio præternaturales caloris gradus facessentes demum in propriam frigiditatem, quam in putredine habere qualemcumq; efficientiam superius cum Aristotele ostendimus. Quod non contingit in combustione, in qua omnis alteratio, omnis mutatio solius externi principij est soboles, at in putredine externum quidem dominatur principium, & veram sibi vendicat efficientiam, interius tamen etiam ipsum passum aliquam vim suscipit effectui conferendam ab externo tamen principio profectam. Non sunt ergo constituendæ duæ putredines, altera philosophorum, quæ naturalis sit, altera Medicorum, quæ præter naturam, nec admittendæ sunt illæ differentiæ, quas inter istas viri illi clarissimi constituunt. Distinguunt primo genere, quia naturalis fit corruptio vsque ad elementa, in præternaturali hoc non sit necessarium, corruit hoc discrimen, quia in omni putredine hoc vsu venit, vt modo fiat cum abolitione formæ substantialis, quando est perfecta, modo cum sola immutione accidentalis, quando est imperfecta, vt patet etiam ex Aristotelica diuisione in putredinem secundum totum, & secundum partem, & ex definitione viam, & terminum corruptionis complectente. Secundo distinguunt subiecto, quia naturalis putredinis subiectum sit mixtum integrum per se subsistens, vel pars separata à toto habens ratione totius, putredinis præternaturalis subiectũ sit pars in toto, humores in corpore putrescentes, sed respondendum quamlibet putredinem respicere & totum, & partes, hoc est posse fieri tum in toto, tum in partibus, quia respicit mixtum vt mixtum, non vt totum, vel partem, ad illud, & hanc indifferenter se habens, quod expressit Aristoteles dicens simpliem generationem, & putredinem inesse animalibus, & plantis, & horum partibus. At Medici non possunt considerare nisi putredinem substantiæ partialis, quia considerant in corpore viuente, quod, dum vita superest, non potest totum putrescere, cum hoc pacto post mortem solum putrescat, vnde dixit philosophus corruptionem esse viam ad putredinem. Ex quo patet inanis eorum distinctio, qui putredinem philosophicam faciunt morte posteriorem, Medicam eadem priorem, quia philosophica potest esse & prior, & posterior, considerata à Medicis non potest db allatã causam esse nisi prior, vt distinguantur non secundum essentiam, sed secundum maiorem, vel minorem ambitum. Tertia differentia nulla etiam est, qua asserunt per putredinem naturalem corrumpi mixta etiam benè temperata, per alteram plerumque perperam temperata, quia dupliciter respondemus, primo quodlibet putrescens corpus eatenus putrescere, quatenus à bona temperie recedit, dominãtibus qualitatibus passiuis supra actiuas, secũdo ex mala corporũ temperatura nõ fieri vt alio genere putredinis pereant, sed vt citius, & intempestius pereant. Quarta differentia, quòd in naturali humidum necessariò definat in fimum, in altera non contingat, refelli etiam potest ex eo, quòd omnis

omnis completa putredo hunc parit effectum, cuius rei locuples est Galenus testis in primo de differentijs febrium testatus humores in febribus putrescentes interdum facessere in cineres. Quintum discrimen de causa interna in putredine naturali, externa in altera nullum planè est, cum omnem putredinem statuerit Aristoteles ab alieno calore pendere, qui sit ambientis, in quo vniuersa interpretum schola concordat. Vltimam differentiam non habere locum dubitauerit nemo vel parum in Aristotelica lectione versatus, hanc differentiam in eo constituunt, quòd in putredine naturali externa causa sit aer tantum, in altera putredine sit aer, aqua, & quodlibet corpus ambiens, sed hoc sustineri non potest, quia causam putredinis adducens Philosophus nominat calorem alienum, hunc autem explicans dicit esse calorem ambientis, quo communi nomine omne corpus circumpositum, & putrescibilem substantiam circumambiens insinuat, vt interpretes ferè omnes explanant. Frustra ergo inquiritur discrimen ad separandam philosophorum putredinem à putredine Medicorum, quæ vnam habent, eandemq; essentiam. Quod notissimum fuit Galeno magnis laudibus Aristotelicam definitionem extollenti, eandem putredinis formam, eandem causam efficientem adducenti, & eandem definiendi rationem æmulanti, vt inferius ostendemus. Hinc Vallesius, qui quartum Meteorologicum doctissimis illustrauit commentarijs, hanc putredinis considerationem examinans hæc scripsit. Errant multi Medici asserentes, de alia putredine differere hic Aristotelem, atq; de alia Galenum, vbi de succorum, aut excrementorum, aut membrorum putredine disputat, eo quòd hic de putredine, quæ est naturalis interitus, fit disputatio, apud illum de putredine, quæ fit per morbos. Verum vt melius innotescat vnam esse, eandemque putredinem, Galeni definitionem in medium allatam, examinemus, & cum Aristotelica conferamus.

Galeniœ definitionis ad explicandam putredinem allatæ examinatio.

CAPVT X.

Galenus igitur in secundo de differẽtijs febrium, dicebat excrementa corporis talem habere proportionem ad putredinosum calorem in eis accensum, qualem ligna ad ignem obtinent, quia ex ipsis lignis, dum alterãtur, generatur ignis, hæc tamen minimè in infinitum tempus sufficiunt ad alterationem, sed terminus alterationis ipsis est humoris innati consumptio, cuius consumptionis accessus cremationis inuehit finem, & eorum reliquijs imponitur cineris nomen, Putrescentium quoque humorum calor permanet dum prorsus sint assati, sed reliquias terrestres habent exiguas, non multas instar lignorum, quòd in propria substantia elementi humidi non sicci includant affluentiam. corruptio illa quidem lignorum violenta, quia combustio, at humorum considerata corruptio naturalis, quia putredo. Ita Galenus mixtorum corruptionem & violentam, & naturalem ponit ob oculos, & vtriusq; conuenientiam, & differentiam exponit, violentam corruptionem facit combustionem, naturalem putredinem, vnde apertè colligitur error asserentium

rium quandam esse putredinem violentam, qualis apparet in humoribus, cum Galenus humorum corruptionem vocet naturalem, quia putredo fit, quasi dicere velit omnem putredinem, qua putredo est, esse naturalem. Hanc ergo definiturus Galenus, qui in secundo illo de differentijs febrium Aristotelicam definitionem extulerat laudibus, huius Philosophi insistens vestigijs vsus est hisce in Vndecimo Methodi verbis. σηψις εστὶ μέταβολὴ τῆς ολὴς τȣ σώματος σηπομένις ὀυσιας επὶ φθορὰν ὶπὸ τὴς ἔξοθεν θέρμασίας. hoc est putredo est mutatio vniuersæ corporis putrescentis substantię ad corruptelam ab extrinseca caliditate. Quæ verba caloris proprij, & naturalis in putrescente corpore corruptionem insinuant. nam quid est aliud mutari vniuersam corporis putrescentem substantiam ad corruptelam, quàm corrumpi proprium, & naturalem eius calorem, cuius incolumitas arguit formæ incolumitatem, & corruptionem, vt calore corrupto, & euanescente nulla sit amplius mixti forma superstes? A calore igitur pendet omnis mixti corporis substantia, quia cum hæc sit soboles formæ substantialis, forma calorem habet indiuiduum Comitem, nec potest sine eo consistere. Ac tanto quidem magis hoc verum est in Galenica doctrina, quanto hæc magis defert corporum temperaturæ, primarumq; qualitatem mixtioni, à qua omnem omniũ deducit, deducendamq; censet substantiam, vt patet in libris de elementis, ac de temperamentis, & in primo de vsu partium. Quod quidem vel ex eo liquet, quòd paullo pòst allatam superiorem definitionem, quædam verba addit Galenus, quibus plurimam animalium substantiam in calido, & humido positam constituetur. Quòd si constituamus etiam formam substantialem in mixto à temperatura distinctam, vt ponunt Peripatetici, & confirmat interdum Galenus, tunc valdè quoq; accomodata est Galenica definitio, quia insinuat qualemcumq; caloris proprij corruptionem, quæ via est ad corruptionem substantiæ, à propria forma pendentis. nam dicere mutationem totius substantię putrescibilis corporis ad corruptelam est innuere non solum totalem, sed etiam partialem putredinem, in qua nondum est corrupta substantia rei, sed est mutatio ad corruptionem, quæ progrediente labe potest contingere, vt Galenica definitio complectatur, & viam, & terminum, & prima cõtineatur mutationis vocabulo, secundus nomine corruptelæ. Et quia tota mixtorum substantia pendet à proprio, & naturali calore, qui primus fuit mixtionis opifex, & est perpetuus, dum viget, conseruator, ideo hæc mutatio ad corruptelam insinuat præcipuè labem in hoc excitatam calore, cuius labis eadem planè affertur causa, quam attulerat Aristoteles, externa scilicet caliditas, quæ tantum obest mixti incolumitati, quantum propria, & genuina prodest, hæc enim proprium subiectum sospes tuetur, & omnem ab eo longè repellit iacturam, extrinseca verò hanc promouet, omnemq; mixti substantiam demolitur, vt ibidem considerat Galenus. Qui cum eandem in putredine consideret, constituatq; causam cum Aristotele, eundem etiam putrefaciendi innuit modum, per prolectationem scilicet caloris proprij factã à calore ambientis, qui similitudinis iure ad se allicit insitam in mixto caliditatem, & quanto maior est externa caliditas extensiuè potius, quam intensiuè, tanto est interna ad suc-

cum-


cumbendum parati or, & quanto hęc validior, tanto illa ad vincendum ineptior, vt vehementia caloris proprij summoueat putredinem magnitudo caloris alieni eandem promoueat. In quo simul conspicitur prædictæ opinionis falsitas, quæ humorum putredinem à causa interna deducebat, & vocabat interitum violentum, cum Galenus omnem putredinem in calorem externum tamquam in causam referat, & naturalem interitum nominet. Nec verò damnandus in eo Galenus, quòd nullam fecerit frigiditatis mentionem, tamquam causæ ad putredinem efficiendam concurrentis, vt fecit Aristoteles, quia cum mutatio ad corruptelam totius substantiæ putrescibilis corporis, quod est solum mixtum, arguat corruptionem caloris proprij veram cuiusq; substantiam vel constituentis, vel comitantis, arguere etiam videtur accessum propriæ frigiditatis, quæ recessum caloris necessario consequitur, vt hæc frigiditas non minus in Galenica, qaam in Aristotelica definitione innotescat, tamquam Implicito modo contenta à solertibus ingenijs eruenda. Nec instātia de combustione vrget, quasi huic etiam definitio illa sit communis, quia præter alias responsiones habemus istam, quòd in combustione non est mutatio totius putrescibilis substantiæ ad corruptelam, vt dissoluantur miscibilia, & reuertantur in pristinam simplicitatem, & corrumpatur illa integritas mixti ex pluribus constituta, vt contingit in putredine, quæ nil aliud quærit, nisi vt dissoluantur mixta in simplicia, & corrumpatur media forma ex pluribus conflata, & remaneant pristinæ elementorum formæ, at in combustione dissolutio mixti in simplicia non quæritur, sed eius mutatio in ignem, cuius forma proponitur generanda, vt combustio non propriè sit mutatio totius substantiæ ad corruptelam, sed ad generationem ignis pro fine propositam, vt calori putrefacienti sit propositum dissoluere miscellam, & plura simplicia excitare pristino nexu soluta, calori autem comburenti sibi patiens assimilare, mixtiq; vniuersam substantiam, exceptis paucissimis quibusdam reliquijs terreis in ignem conuertere. Hùc accedit, quod nomine caloris alieni malè possumus intelligere calorem comburentem, hunc enim dicere debemus igneum, qui est in summo, & solus potest comburere, dicentes autem calorem extrinsecum intelligimus recedentem à summo gradu, & eiusdem ferè ordinis cum calore mixti, nisi quòd hic intrinsecus, alter autem est extrinsecus. Non potest ergo Galenica definitio accomodari combustioni rectè, partim quia combustio pendet à calore igneo, qui non venit nominādus simpliciter calor externus, sed suo nomine exprimendus, partim quia combustio respicit pręcipuè conuersionem mixti in ignem, non eius dissolutionem in simplicia, & respicit potius terminum ad quem, quā terminum à quo, putredo autem, & Galenica eius definitio e contra se habet, & insinuat potissimum dissolutionem mixti in elementa, separationem humidi à sicco, non nouam corporum generationem, sed eductionem eorum, quæ delitescebant in mixto si non actu perfecto, actu saltem imperfecto, qui modus existendi dicitur ab Aristotele secūdum potentiam, & virtutem in primo libro de ortu. Hæc ergo separatio insinuatur, & maior habetur ratio termini à quo, quàm termini ad quem, quia consideratur mixti mutatio ad

corruptelam, quatenus amittit nexum, & vinculum humida cum siccis connectens, hoc est calorem proprium, vt pristinæ formæ à mixtione productæ proponatur iactura, non alterius nuper genitæ acquisitio. Est ergo sola putredo, si vera fatenda sunt, mutatio totius substantiæ corporis putrescibilis ad corruptelam ab alieno calore, quia in sola putredine perit vniuersa mixti substantia, & prodeunt elementa suo nexu soluta, nec vlla fit noui corporis generatio. Verum alicui negotium fortasse facessent illa Galeni in secundo de differentijs febrium verba, superius commemorata, quibus excrementa putrescentia talem habere proportionem ad calorem ex eis accensum asseuerat, qualem ligna ad ignem obtinent, sed ligna combustionem perpetiuntur, vt hanc eandem excrementa putrescentia perpeti videantur. At responsio fuerit esse inter hæc conuenientiam cum magno coniunctam discrimine, conueniunt ligna, & excrementa, quia vtraq; corrumpuntur à calido, illa quidem igneo, hæc autem putredinoso, differunt, quia ligna combusta corrumpuntur violenter, excrementa putrescentia pereunt naturaliter, in lignorum combustione est noua generatio ignis, & humoris innati omnimoda consumptio, in excrementorum putredine non fit noua generatio, & humidi innati non consumptio, sed eductio, & exeunte calore comitati extractio. Quæ omnia Galenicam sententiam, & dictione diligentius attendenti innotescunt. Ex dictis constat magnam esse conuenientiam inter Aristotelis, & Galeni definitionem, siue genus putredinis conspicemur, siue subiectum, siue caussam efficientem. nam quantum ad genus, hoc Aristoteles facit corruptionem proprij caloris, Galenus mutationem ad corruptelam totius substantiæ putrescibilis corporis, quod idem est, cum propria huius corporis substantia pendeat à calore proprio, subiectum Aristoteles facit humidum vnumquodq; quia humidum est illud, quod priuatum calore suo secernitur in putredine à sicco, hoc idem subiectum colligitur ex Galeno, qui asserit animalium corpora, in quibus considerat putrescentes humores, suam habere essentiam in calido, & humido constitutam, vt ad primum pertineat genus corruptionis, ad secundum subiectum putredinis humidum à sicco secernentis, causam demum efficientem Aristoteles facit extraneam caliditatem, quam vocat ambientis, hanc eandem constituit ipse Galenus externæ caliditati omnem putredinem referens acceptam, & externam vocans quamcumq; à propria, & interna separatam, tantum corrumpere valentem, quantum interna, & natiua valet cōcoquere. Vnde idem Galenus in 3. Comment. 3. Epidem. dixit, videtur ex materia humida oīs fieri putredo, causa verò effectrice externo, & præter naturā calore. Iā satis patere potest, quomodo in animaliū corporibus putrescant humores, nam locis contenti calidioribus, & vberiori scatentes humiditate, contrahunt facili negocio putredinem, quia proprius eorum, naturalisq; calor vincitur, corrumpiturque ab externa caliditate, ea scilicet quæ residet in corpore continente, quæ calorem succorum proprium ad se alliciendo prolectat, vt pro eo ac fieri possit humidum à sicco recedat, qui recessus plerumq; ob humorum liquiditatem non est insignis, nec

valdè conſpicuus, vt ex Galeno in ſecundo de differentijs febrium commemorato colligitur. Dum putreſcunt humores, incrementum ſuſtinent caliditatis partim ob natiuam exterius progredientem, partim ob aduentitiam eis ab ambiente impertitam, & vt calidiores facti fuligines depromunt, & emittunt calefaciendi facultatem habentes, quæ in cor dis ſinus ingrediendo poſſunt contentos inibi ſuccos ad preter naturalem quendam feruorem, febris nomine inſinuatum, traducere. Quamobrem Galenus calidorum morborum in libro de morbificis cauſis cauſas enumerans refert eas omnes in motum, in putredinem, in calidi corporis viciniam, in conſtipationem, in calidorum ciborum vſum. Ac de putredine verba faciens ait ex ea calefieri tùm reliqua corpora omnia, tùm maximè ſemina, aut ſtercora, profiteturq; ſe vidiſſe columbarum ſtercora, quæ ob putredinem accenſa arderent. Verum hic oritur dubitatio, ſi putredo eſt corruptio caloris, vt ſupra concluſimus, quomodo ergo incaleſcunt putreſcentia corpora, & priſtini caloris accipiunt incrementum? reſponſio multiplex eſt, primo quòd augetur calor preternaturalis, non qui naturalis eſt, additur aduētitius, & demitur proprius, & proprius etiam ab internis ad externa euocatus magis ſenſum pellicit, ſecundo quod à primordio corpus putreſcens euadit calidius partim ob externæ caliditatis participationem, partim ob propriæ diffuſionem, ſed temporis proceſſu idem refrigeſcit omni calore, tùm proprio, tùm alieno deſtitutum. Putreſcentes ergo humores in corpore calidiores exiſtunt, indeque geniti vapores ad cor peruenientes eius ſuccos ad febrem vſq; calefaciunt, vt calor humorum putreſcentium pendeat à putredine, calor ſuccorum cordis à vicinia corporum calidorum, hoc eſt fuliginum putridarum ab humoribus elatarum, & ad cordis ſinus peruenientium. Patet iam quid ſit putrida febris, & quam habeat generationem, & quid ſit ipſa putredo, & quomodo hæc humoribus addita generandæ febris habeat vim. Nunc putridarum febrium cauſas breuiter conſiderandas ſuſcipiamus.

De putridarum febrium cauſis.

CAPVT XI.



PVtridarum febrium, vt putridarum proximæ cauſę ſunt vapores ipſi putres cor impetentes, vaporum ipſi humores corporis putreſcentes, humorum putreſcentium vt putreſcentium tranſpiratio prohibita, prohibitę tranſpirationis obſtructio, obſtructionis demum copia, craſſities, viſciditas ſuccorum. nam confluentibus multis, craſſis, viſcidis humoribus in partes, inde excitantur obſtructiones conſuetis vijs obicem ponentes, à quibus obſtructionibus inhibetur conſueta, inſenſibilis tamen corporis difflatio, qua ceſſante, coercitisq; euacuandis excrementis acrioribus inaugetur, exaggeraturq; calor in partibus hanc difflationis prohibitionem ſuſtinentibus, qui calor ad humores inibi contentos relatus habet rationem alieni, & quaſi calor ambientis vim retinet proximos ſuccos ad putredinem adigendi. Non fit ergo hæc febris ſine putridis fuliginibus, nec iſte ſine putredine, nec talis putredo ſine prohibita tranſpiratione, nec prohibita tranſpiratio ſine obſtructione, nec obſtru

ctio sine multis, vel crassis, vel viscidis succis. quia si debent incalescere, imo calefacti esse humores cordis, necesse est vt calidiores fuligines, quales e putri minera extolluntur, illuc peruenerint, sunt autem istæ fuligines putrescentium humorum soboles, & putrescũt humores quando non habent congruam difflationem, quæ difflatio obstructionis impeditur interuentu, & est obstructio multorum, crassorum, viscidorumq; humorum fructus. Quam rem cumulatè explanat omnem Galenus tùm in secundo de differentijs febrium, tùm in Vndecimo Methodi, vbi alibi traditam doctrinam repetit, illa tantum putrescere corpora, quæ cum calida, humidaq; sint natura, nec perflata, nec ventilata, in calido, humidoque loco maneant, vt horum putredo supponat opportunæ transpirationis impedimentum. Sed hoc decernit non posse fieri impedimentum in vniuerso præsertim corpore nisi vel finibus vasorum stipatis, vel tota cute, & accidere in finibus vasorum stipationem vel ex vehementi extrinsecus refrigeratione, vel ex succorum extrorsum in ipsis confertim ruentium crassitudine, multitudine, vel lentitia, vt prohibitę transpirationis causa sit vel constipatio, vel obstructio. Quæ quidem obstructio habet præcipuè locum in ea efficienda transpirationis prohibitione, à qua pendet putrida febris. Verum hic dubitauerit aliquis. *Si potest esse putredo sine prohibita transpiratione, & à putredine humorum manare possunt fuligines febrē putridam inducentes, quid opus ad eius generationem est prohibita trãspiratione?* Quòd autem sine ista possit esse putredo ambigat nemo, qui consideret prauos cibos in ventriculo posse putrescere nulla intercedente difflatione prohibita, vt semiputres ingredientes cibi completam ibi facili negocio putredinem contrahant, quod confirmatur claro Galeni testimonio in libro de inæquali intemperie asserentis sine obstructione dari putredinem his verbis. Non ea solum, quæ impacta sunt, & perspiratu carent, putrescũt, verum ea quidem celeriter, & maximè, sed putrescunt & alia multa, quę putredini sunt opportuna. Ex quibus liquet verbis obstructionem esse non necessariam, licet valdè opportunam ad putredinem inducēdam. Huic dubitationi hæc afferatur responsio, aliud esse loqui de putredine, aliud de putrida febre, illa potest esse sine prohibita transpiratione, & sine obstructione, hæc verò non potest. nam putrescunt ea omnia, quæ mixta sunt, & qualecumque humidum habent, dum internus eorum calor extrahitur, educiturq; ab externo vincente, siue hæc mixta obstructis locis contineantur, siue apertis, licet longè facilius putrescant obstructionibus comitata, quia tunc destituuntur congrua ventilatione proprij caloris conseruatrice, cuius defectu inualescit, viresq; acquirit hostilis calor externus, & longè difficilius ob contrariam causam putrescant in apertis, liberisq; locis constituta. Iure igitur Galenus dicebat non impacta solum, & perspiratu carentia putrescere, quamquam hæc celeriter, & maximè, sed alia omnia, quæ sunt putredini opportuna. Quasi diceret, putrescunt omnia, quæ & subiectum habent dispositum ad contrahendam putredinem, humidum, nempè cum calido mixtum, & principium effectiuum ad eam producendam paratum, calorem nempè externum validiorem, quia simul iunctis actiuis & passiuis, remoto impedi-

impedimento, quæ inde nata est egredi passio egreditur, vt in nono Metaphysicorum docuit Aristoteles. Non est ergo necessaria vel impedita transpiratio, vel obstructio ad inducendam putredinem, quæ sponte sua potest irrepere in corpora ad eam recipiendam accomoda, debitamque dispositionem adepta; hæc tamen impeditæ difflationis, & obstructionis necessitas habet locum ad inducendam febrem putridam. nam posita quacunq; putredine in humoribus corporis nulla fit generatio febris, nisi putres vapores ex illa minera geniti pertingant ad cordis ventriculos, inibiq; contentos humores faciant calefactos, vt in primo de differentijs febrium docet Galenus, & in Vndecimo Methodi, & sexcentis alijs in locis repetit, at si non foret impedita corporis transpiratio, si præsto non foret obstructio, vapores nō peruenirent ad cor, sed per ἄδηλον διαπνοὴν, hoc est per immanifestam transpirationem ex vniuersi ambitus meatibus egrederentur. Ad putristam febrem exiguntur plura, quam ad putredinem, quia ad hanc sufficiunt condiciones illæ, copia humidi ex parte rei putrescibilis, vigor caliditatis ex parte ambientis, sed ad putridam febrem non satis est has condiciones suppetere, non satis est ipsam putredinem vigere, verum opus etiam est vaporum putridorum ad cordis sinus aduentu, qui patet expeditus in occlusa constitutione consuetam difflationem prohibente, apparet autem interruptus in apertione meatuum liberam transpirationem efficiente. Sed vrgebit adhuc aliquis fortasse, quòd non solùm putredo, sed putrida etiam febris fieri sine transpirationis prohibitione possit, quandoquidem in aere versantes pestilenti inquinamentum inde frequenter accipiunt, & putridis pestilentibus febribus affliguntur, licet nullam habeant molestam obstructionem, nullam impeditam difflationem, imo quanto isti meatus habent rationes, tanto sunt ad hanc febrem subeundam paratiores, quātum attinet ad aeris infesti ingressum, licet aliter se habeat quantum pertinet ad apparatum morbosum. Quod ex præclara Hippocratis doctrina colligitur in libro de Alimento, & ex his Galeni verbis elucescit in primo de differentijs febrium. Supponatur pro exemplo in ipso aere inuehi quædam pestilentiæ semina, atq; eorum corporum, quæ versantur in eo, hæc esse variorum excrementorum plena, paratorum quidem ex se ipsis putrefieri, illa sine excrementis, ac pura, atq; addatur prioribus inesse obstructionem meatuum vndiq; ac plethoram appellatam, ac vitam otiosam in multis epulis, & ebrietatibus, & Veneris vsu immodico, & cruditatibus, quæ omnia prædicta necessariò consequuntur. Alijs autem omnibus corporibus puris, ac sine excrementis insit vltra ea, quæ diximus, commoda, quòd omnibus spiraculis corporis neq; obstructis, neq; pressis angustia benè transpirat, exercitatio verò prudenter instituta, ac victus ratio moderata, deinde his ita subiectis cogitabis num sit verisimile, vtraq; corpora conspiratione putridi aeris affici. Nonne consonum est hæc statim à prima inspiratione initium putredinis accipere, vnde in maiorem noxam prolabantur, quæcumq; autem vacua excremētis, & pura sunt, ea vel vllo modo, vel exigua labe infici, vt facilè ad habitum naturæ recurrant. Ex his quidem Galenicis verbis innotescit corpora excrementosa, & obstructa esse magis in pestilenti

lenti aere febribus obnoxia (quia iuxta dictum philosophi in secundo de anima actiuorum actus fiunt in subiecto bene disposito) sed tamen nec pura, & obstructionum expertia esse ab eisdem tuta, vt hinc pateat non esse obstructionem, seu prohibitam transpirationem ad has inducendas febres necessariam. Verum huic etiam dubitationi respondere licet, differre pestilentem febrem à putrida simpliciter dicta, quia pestilens putrida ponit humores cordis in putrida dispositione, febris autem simpliciter putrida ponit eosdem in sola calefacta. Quod colligitur ex Galeno in tertio de præsagitione ex pulsibus duplicem præcipuè pestilentem febrem memorante, quorum altera ipsam cordis substantiam putrescentem excipit, altera verò humores in eius finibus contentos solùm putrescentes. Vnde Auicennas prima Fen Quarti Canonis loquens de pestilenti febre dixit aerem pestilentem venire ad cor, & corrumpere temperiem spiritus, qui est in ipso, & putrefacere circumdantem ipsum humiditatem, vt inde per vniuersum corpus præternaturalis caliditas diffundatur. Possunt ergo putrescere cordis humores per solum putridi aeris adhæsum nulla etiam intercedente obstructione, quia quod tangitur à putrido putridum fit, sed non possunt reddi calefacti in simplici putrida febri nisi per accessum vaporum à putri minera prodeuntium, nec possunt isti vapores ad cor accedere, nisi præclusum habeant in corpore per alias vias egressum, vt non sit ad generationem febris pestilentis necessaria obstructio, sine qua potest illa etiam putrida excitari, sit tamen adortum putridæ simplicis adeo necessaria, vt sine eius interuentu, nullum persit habere locum. Concludamus ergo putridæ febris causam esse ipsam putredinē, putredinis causam esse transpirabilis excrementi retentionem, huius retentionis obstructionem, obstructionis multitudinem, crassitudinē, & lentorem humorum, vt hæc sit affectuum, & causarum ordinata connexio, putrida febris, putredo, prohibita transpiratio, obstructio, humorum crassities, lentor, multitudo. Qua de re consonū est rationi Galeni verba perpendere in Vndecimo Methodi sita, rem hanc omnem non minus eleganter, quàm cumulatè explicantia, sic tamen vt ad exactum sensum eruendum solertiori indagine videantur indigentia.

Galenici dicti ad causas putridarum febrium attinentis explicatio.

CAPVT XII.

CVm vellet Galenus in memorato libro curatorias indicationes ad genus putridarum febriū attinentes excerpere, summatim primo singula genera, quæ in nobis præter naturam sunt in his febribus dicta repetendo collegit sic inquiens. Ad curatorias indicationes propositi nobis febrium generis reuertamur, repetamusque singula genera, quæ in nobis præter naturam sunt, non causarum modò, verumetiam morborum, & symptomatum. Et causarum quidem genera sunt multitudo, & crassitudo, & lentor humoris. Causa simul, & symptoma est transpirabilis excrementi retentio. simili modo causa pariter, & affectus est ipsa putredo. Morbus verò tùm obstructio, tùm febris ipsa, symptoma verò est ipsa transpirabilis excrementi retentio. Recenset his verbis

inter

inter causas Galenus multitudinem, crassitudinem, & lentorem humoris, quia causæ hæ sunt obstructionũ, quibus viscera, & vasa corripiuntur, quæ multis, vel crassis, vel lentis repleta succis vias deferũt obstructas, nec ad naturalis effluuij egressum pristino more expeditas. Vnde transpirabilis consequitur excrementi retentio, obstructarum viarum soboles, quam vocat causam simul, & symptoma. est. n. causa putredinis, symptoma obstructionis, causa quidem putredinis, quia hæc transpirabilis excremẽti retentio auget, exaggeratque alienam caliditatem humores infestantem, & ad putridum inquinamentũ adigentem, est symptoma obstructionis, quia à viarum obstructione pendet hæc effluuij retentio, tamquã symptoma pertinens ad retentum immodicum. simili modo causam, & affectum vocat ipsam putredinem, hæc. n. est causa febris orientis à vaporibus putridis ad cordis sinus accedentibus, & humores inibi contentos ad calidam intemperiem adigentibus, eadem vocatur διάθεσις Græce, hoc est dispositio, seu constitutio præter naturam, quia de rebus præter naturam omnibus erat sermo propositus, & est putredo affectus præter naturam vt symptoma, quo symptomatis nomine in quinto de simplicium medicamẽtorum facultatibus insinuauit putredinem Galenus, est autem symptoma pertinens ad affectum corporis præter naturalem, ad qualitatem nempe mutatam, quia in humorum putredine immutantur colores partium, qui iuxta dictum Hippocratis efflorescunt in cute similes dominãtibus humoribus, immutantur odores, sapores ab ægrotantibus percepti, immutantur tactiles qualitates tùm primæ, tùm secundæ à naturali statu recedentes, & hæc omnis immutatio est ipsius putredinis indiuidua Comes, quia putrescentes humores sunt fluxiliores, molliores, calidiores, odorem, saporem, colorem à naturali difformem præferentes, vt non solùm sint causa febris, sed immutatæ etiam qualitatis, ideoque symptomatici affectus subiecta, vt hoc pacto putredo, & causæ naturam obtineat, & naturam symptomatis si non formaliter, saltem connotanter. Et quia affectus, seu dispositio non solum significat symptoma, sed etiem morbum vel ipso Galeno teste in primo de symptomatũ differentijs, possumus etiam dicere putredinem esse affectum non modo vt symptoma, verum etiam vt morbum quatenus putredo est comitata calore alieno, & intemperie calidiori attinente ad partẽ, vbi humores putrescunt, in qua parte dicitur focus residere putredinis, vt hæc intẽperies calidior sit morbus partis illius, vel etiam partium omnium in vniuersali putredine, nec tamen est febris nisi prius cor fuerit affectum, & à corde calidum reliquis partibus fuerit communicatum. Putredo quidem sumpta formaliter nil aliud est, nisi humidi à sicco secretio, at sumpta causaliter, vt vocant, innuit semper, & connnotat alienam caliditatem, quæ ratione remanentis in partibus inquinamenti incrementum accipit, & morbosa enadit, ipsa igitur putredo considerata cum sua causa contentiua, vel quasi contentiua habere potest rationem affectus morbosi, & potest eadem esse, & causa morbi, & morbus, morbi causa quia febrem efficit, morbus quia calidam intemperiem partis, vel partium connotat, nec unquam ab hac intemperie recedit, dum vigens putredo consistit. Putredinem quidem

dem Fernelius vocat morbum formæ, ac totius substantiæ, cuius naturam morbi ab intemperie facit toto cælo disiunctam, sed hanc doctrinæ innouationem iure merito à clarissimis viris explosam neque admittendam censemus, leuibus fundamentis innixam, & præclara Galeni dogmata communi doctorum confirmata consensu perturbantem. Satius ergo est putredinem ad intemperiem redigere, vt declarauimus, & sic Galeni dictum explicare causam simul, & affectum vocantis putredinem ipsam, quamuis magis arrideat prima explicatio, eam inter symptomata reccenses, quæ magis arrident eo præcipuè nomine, quòd Galenus inquit simili modo, & causam, & affectum esse ipsam putredinem, referens modi similitudinem ad prædictum transpirabilis excrementi retentionem, quam simul esse dixerat causam, & symptoma, vt pariter ipsa putredo partim inter causas, partim inter symptomata veniat referenda. Quod confirmatur vel eiusdem Galeni testimonio putredinem his verbis in Quinto de simpl. medicam. facult. symptoma nuncupatis. Septica medicamenta ita vocantur, licet non sint verè putrefacientia, symptomatis similitudine, cum vtraque corrumpant corpus citra doloris sensum. multis. n. modis corrumpi quid potest, si quidem quæ nimio plus refrigerata sũt, aut excalfacta, tùm exiccata, aut humectata, ea omnia corrumpuntur, cæterum non quicquid corrumpitur, putrescere dicimus, sed quibus id cum fœtore accidit. Hæc Galenus, ex quibus apparet ab eo putredinem vocari symptoma, quasi malam qualitatem, ab intemperie cùm fætore coniuncta manantem. Iàm obstructionem, & febrem vocauit tantummodo morbum quarum rerum primam constat pertinere ad morbum instrumentalem in mala conformatione, & in via constitutũ, secundam ad morbum partium similarium in intemperie collocatum. Et ad ipsam obstructionem tamquam ad morbum referens rursus ipsam transpirabilis excrementi retentionem vocat eam tantummodo symptoma, quia vt vmbra corpus, ita obstructionem cõsectatur huius excrementi retentio, & est symptoma ab ipso obstructionis morbo productum, quia ex partibus, vel vasculis humore vel multo, vel crasso, vel lento infarctis, & obstructis non potest fieri consueta difflatio, sed cohibetur pristini effluuij egressio, & fit symptomatica excrementorum euacuationi destinatorum retentio. Quę superius non solum symptoma, sed etiam causa fuerat nuncupata, quia tunc ad plura referebatur, non ad solam scilicet obstructionem, cuius est soboles, verum etiam ad putredinem, cuius est auctrix, vt prima ratio ne sit symptoma, secunda verò causa. At quando ad solam obstructionem refertur, vt postremo loco fecit Galenus ansam faciendi accipiens ex obstructione commemorata, solius symptomatis nomenclaturam suscipit, nec est inanis repetitio, sed accomodata variarum in considerando rationum distinctio. Sunt igitur septem præter naturam subordinata in febribus putridis humorum multitudo, crassitudo, lentor, obstructio, excrementi transpirabilis retentio, putredo, febris, vt tria prima sint causa quarti, quartum quinti, quintum sexti, sextum demum septimi, & hęc dicta sint de causis putridarum febrium internis tamen, & proximioribus, quia externarum, & remotiorum nullam suscepimus faciendam

men-

mentionem, illas tantum conside- rasse communi quadam ratione con- tenti, quæ potiorem habent ad sup- peditādas indicationes facultatem. nam præclaram habemus Galeni doctrinam in quarto Methodi, quæ docet nullam externarum, seu primi tiuarum causarum curationis indica tricem esse, quamuis Empiricis pars sit totius syndromes, siue concursus ad curandum obseruati, rectæ tamen sectatoribus methodi nil indicare, sed ad affectus aliquando cognitio- nem conferre.

Dubitationis ad causas febrium putridarum attinentis examinatio, & solutio.

CAPVT XIII.



HÆc de causis febrium putridarum sentētia, quam communis Medicorum excepit consensus tamquā à Galeno propositam, & frequentius repetitam, non arrisit clarissimis viris, quorum in putredine explicanda suo etlam Marte philosophantium commemorationem superius fecimus, aliam circa huiusmodi causas doctrinam paucis, vt ipsi rentur, animaduersam in medium adducentibus. Damnant ipsi peruulgatissimam hanc opinionem existimantium putridis febribus nullas alias congruere causas, nisi prohibitam rranspirationem, & obstructionem, quatenus hęc necessariam euentationem inhibeat, & euentatio inhibita putredinem inducat putridarum febrium auctricem. Hanc igitur opinionem damnant, & ratione, àuctoritateq; conuincendam susci- piunt. Ratio illorum hæc est, quòd cum putredo omnis siue naturalis, siue præter naturā sit corruptio mixti similaris ab extranea caliditate, non ob solam prohibitam transpirationem augetur hic calor extraneus, sed ob alias etiam causas, in quas etiam referenda erit putredo. Auctoritas multiplex Galeni adducitur ostendentis ex pluribus causis augeri calorem extraneum, quas in libro de causis morborum, & in primo de differentijs febrium quinario complectitur numero, transpiratione videlicet prohibita, motu, vicinia corporis calidi, calidorum assumptione, & putredine, vt his quinque modis fieri debeat putrida febris. Adiungunt auctoritatem aliam ex secundo de differentijs febrium in capite de febre sanguinis, qui nō ex vnica, sed ex multiplici causa declaratur putrescens. Ex libro tandem Galenico de inæquali intemperie deducunt clarissimum testimonium non ex sola obstructione putredinem fieri; sed ex pluribus causis alibi relatis, quos locos præcipuè referunt partim ad libros de differentijs febrium, partim ad librum de causis morborum. Nec admittunt responsionem eorū, qui affirmant posse dari quidem putrescentes humores sine obstructione, & prohibita transpiratione ex alia causa pendentes, sed hoc non efficere putridam febrem, hanc non admittunt responsionem, quia de humoribus primas obsidētibus vias statui hoc possit, vt nisi obstructio intercedat, veritaq; euentatio, febrilem non inducant calorem, non possit de humoribus intra venas ex defectu facultatis putrescentibus asseuerari, qui nulla interposita obstructione putrescentes necessariam inuehunt febrem. Falsum ergo esse concludunt ex sola obstructione, & constipatione transpirationem impe

diente fieri febrem putridam, imo hanc plures habere causas, vnde pendeat, partim externas, partim internas, vt inter externas referant aerem, cibos assumptos, medicamenta putrescentia, inter internas contactum rei putridæ, intemperiem humoris putrescentis, & caliditatem externam. Ac vt externarum missam faciamus considerationem in nullum dubium reuocandarum, contactum rei putridæ asserunt fieri vel ratione partis solidæ putrescentis, vel ratione humoris, intemperiem humoris intelligunt, cum euadit intemperatus vel ob humiditatem, vel ob frigiditatem putredini magis obnoxius nomine caliditatis externæ comprehendunt non solam prohibitam transpirationem, sed omnem causam, quæ potest extrahere calidum innatum ab humore putrescente, siue sit calor solis, siue motus medicamenti accepti, vel iræ immodicæ, siue alia quæcumque causa. Sed non solam obstructionem faciũt prohibitæ transpirationis causam, verum facultatem etiam, & instrumentorum inobedientiam adiungunt, cum facultas nempè est imbecilla, & arteriæ, venæque corporis malè obediunt. Sed quoniam hæc determinatio videtur esse contra Galeni auctoritatem asserentis nono, & Vndecimo Methodi a sola prohibita transpiratione fieri febrilem putrediné, & hanc solam causam commemorantis, respondent ipsi hoc esse de solis synochis febribus intelligendum, de quibus solis fit Galenicus ibi sermo. Ad auctoritatem eiusdem Galeni in primo de differẽtijs febrium capite tertio scribentis corpora posse humores corruptos contrahere ex malis cibis, nec tamen febri laborare, nisi obstructio accedat, & prohibita transpiratio, respondent verba tunc fieri de humoribus corruptis, qui primas vias obsederint, non de his, qui venarum ambitu contineantur, sine obstructione etiam putredinem subituri. Hæc est illorum de causis putridarum febrium explanata opinio, his, quæ narrauimus, fundamentis suffulta. Cui tamen nulla esse ratione acquiescendum censemus, quia habet & rationem, & auctoritatem valdè repugnantem. ratio est ex eo deducta, quòd non potest fieri febris putrida simplex, hoc est pestilentiæ expers, nisi putridę fuligines ad cordis sinus perueniant, & morbosam caliditatem humoribus illis imprimant, at non potest fieri hic putridarum fuliginum accessus, nisi obstructio, & vetita transpiratio præsens sit, his namque absentibus genitæ fuligines euanescunt, & per ambitum corporis detruduntur, vel saltem à natura prouidentiæ plena à penetralibus cordis arcentur, Vnde prodijt Hippocratis dictum in libro de alimento ab iniurijs internis tutos esse illos, qui raros habent, & patulos corporis meatus, his autem iniurijs obnoxios illos, qui eorundem meatuum angustiam fuerint nacti. Potest nimirum fieri putredo sine obstructione, vt supra etiam diximus, sed hęc putredo non potest esse febrilis causa, quia licet ex se promat fuligines putridas, hę tamen non retinentur ad cordis sinus peruenturæ, sed foras excluduntur in tenues auras abituræ. Nec oportet dicere id verum esse in humoribus, qui in primis vijs contenti putrescant, qui febrem non faciunt nisi adiunctam obstructionem habeant, non esse verum in his, qui intra venas ex facultatis languore putruerint citra obstructionem etiam febrem facturi. nam quicquid fit de hac labe humorum, obstructionis non indiga, ex

hac

hac quidem ortæ fuligines putres, si meatus prestò fuerint aperti, suam habebunt difflationem, nec ventriculos impetiuerint cordis ad excitandam febrem. Accedit clarissima Galeni auctoritas hoc testatum sæpius relinquentis, & præcipuè in Vndecimo Methodi, atq; adeo prius in nono cum febrili putredine prohibitam etiam transpirationem assiduè coniungentis, imo de hac prohibita transpiratione pulchram distinctionem afferentis, posse hanc fieri vel constipatis corporis partibus, vel obstructis, & primo quidem modo fieri plerumq; febrem, licet continentem, non putrem, at secundo modo fieri etiam putrem, si constipatio in primo sit vehemens, obstructio in secundo insignis. Nec admittenda venit allata responsio, Galeno in his libris sermonem esse de febribus synochis, & continentibus ad omnia vasa attinentibus, quia licet fateamur in Vndecimo præcipuè Methodi synochos in exemplum assumi, vniuersalis tamen methodus particulari adiungitur febrium generi, & vniuersalis methodus ex vniuersali desumitur putredinis, & causæ eam facientis natura, vt declarauit ipse Galenus in sexto capite scribens. Aliæ quidem curationis indicationes ex communi genere earum, quæ ex putredine sint ortæ, accipiuntur, aliæ ex propria earum substantia. Quibus verbis indicationem proponit putridarum febrium communem, & particularem, & præmissa in septimo capite ipsarum diuisione triplici, vt febres aliæ putredinis causam præsentem habeant, aliæ non habeant, vt vel per totum animal, vel per partem aliquam diffusa putredo sit, vt vel cum inflammatione sint coniunctæ, vel citra hanc consistentes, & proposita ad considerandum indicatione communi, quæ à causa sumitur adhuc manente, & quæ à putredine, vt inde possit fieri ad magis particularia accessus, aggreditur in octauo capite examinare communem indicationem à putredine, & causa putredinis desumptam, ac de putredine, & causa sic loquitur, vt prohibitæ transpirationis, & obstructionis necessariam mentionem faciat, & in difflationis debitæ defectum febrilis caloris originem referat. Hæc non est peculiaris indicatio febrium continentium quatenus continentes sunt, sed est generalis indicatio earum quatenus sunt putridæ, secundum quam considerationem cum vniuerso putridarum genere habent communitatem. præclarum enim ordinem, vt diximus, proposuerat Galenus in illo septimo capite indicationum omnium ad febres putridas attinentium, indicationem nempè à causa adhuc manente putredinis indicationem ab ipsa putredine, indicationem à putredine per totum corpus diffusa, aut per maximè principalia vasa, indicationem à putredine vnam partem corporis occupante, indicationem à putredine vnam quandam partem obsidente, indicationem à curandis particulis suggestam, indicationem demum à viribus ægrotãtis præstitam, qua indicationum serie affirmat absolutam contineri de sanandis putridis febribus methodum. Hinc in octauo capite Methodum hanc persecutus à putredine primum indicationes deducebat per quas putridus, corruptusque humor omni ratione vacuetur, putrescens moderatis motibus, & refrigerante perspiratu ad exactam symmetriam adducatur, & ad indicationem à causa putredinis petitam descendẽs hanc causam nil aliud esse dicebat nisi prohibitam

transſpirationem per contraria ſummouendam, & quia vel denſatis exiguis meatibus fit, vt conſtrictis corporibus, vel humoribus tùm abundantia, tùm craſſitudine, tùm lentitia ſua obſtruentibus, denſitatem quidem indicare rarefacientia, conſtrictionem fundentia, abundantiam vacuantia, craſſitudinem diſſecantia, lentorem detergentia. Verum quia dictę cauſæ vel totum afficere corpus poſſunt, vel vnam quampiam partem, ideo ſtatuebat vel toti corpori indicata remedia eſſe adhibenda, vel parti ſolùm affectæ; varianda tamen pro varietate partis. Quibus verbis clariſſimè oſtendit eandem putredinis cauſam habere locum & in ſynochis febribus, quarum putredo vniuerſum corpus, vel maximam, & præcipua vaſa occupat, & in reliquis omnibus putridis, quarum putredo partibus dumtaxat eſt addicta, vt prohibita tranſpiratio, tamquam immediata putredinis cauſa, in omnibus vrgeat, in omnibus contrariorum vſu ſit ſummouenda, illo tantum intercedente diſcrimine, quòd in ſynochis remedia ſunt toti corpori adiungenda, in reliquis febribus verò partibus ſolum affectis. Quę ſi vera ſunt, vt eſſe veriſſima cõſtat, quomodo poſſunt aſſerere Galenum in ſolis continentibus febribus prohibitam tranſpirationem facere putredinis cauſam? non ne oſtendimus nos eandem in omnibus putridis proponi, quia omnes habent putredinem, & putredo omnis eſt prohibitæ tranſpirationis ſoboles? non ne oſtendimus illud ſolum intercedere diſcrimen, quòd in continentibus prohibita tranſpiratio obſidet vniuerſum corpus, vel plurimas eius partes, in reliquis putridis ad partes determinatas venit referenda? Non eſt ergo hęc ſynocharum proprietas, ſed putridarum omnium communitas. Quod niſi dicamus, corruit tota machina ad curandas putridas febres à Galeno in illo vndecimo pulcherrimè extructa, corruit illa præclara Methodus Galenica, cuius in pręcedẽtibus capitibus meminimus, vt curaturus febrem neceſſe habeat putredinem inhibere, vt altera indicatio oriatur à febri, altera à putredine, & à febri rurſus duæ, vt accenſa febris portio curetur, accendenda inhibeatur, & aliæ duæ à putredine, vt putredo facta ſanetur, generanda ſiſtatur, & quia generanda pendet à tranſpiratione impedita, ab hac etiã aliæ duæ indicationes, vt humor retentus euacuetur, retinendus prohibeatur, & quia prohibitio præſidijs fit de obſtruentibus, aliæ duæ emergunt indicationes, vt facta obſtructio ſanetur, futura propulſetur, ſanatio fit per deobſtruentia, propulſatio per affluxum obſtruẽtium ſuccorum compeſcentia. Hæc eſt pulcherrima Methodus, quam vel omnibus putridis ſanandis communem fecit Galenus, vel ſolis continentibus propriã, ſi communem, habemus id, quod volumus, omnes putridas pendere à prohibita tranſpiratione, ſi propriã, quis non videt auctoris defectum, nullam regulam tradentis curandarum reliquarum febrium, quæ plures ſunt, & frequentiores, & ſolas continentes conſiderantis, quæ pauciores ſunt, & rariores, cum tamen vniuerſalem curandarum omnium rationem fuerit & pollicitus, & profeſſus? Nec valet Valleſij conſideratio Galenum quaſi per neceſſarias cauſas reſoluere febrem putridam in putredinem, hanc in prohibitam trãſpirationem, hanc in obſtructionem, hanc in abundantiam, craſſitiem, lentorem humorum, non quòd putauerit non poſſe fieri putredinem

ſine

fine impedita transſpiratione, ſed quòd cenſuerit in curatione perinde eſſe, ac ſi non poſſit fieri, quia in laborantibus febri putrida optima ſemper ſint remedia aperientia; non valet, inquam, hæc animaduerſio, nam ſi poteſt eſſe febris ſine impedita transſpiratione, quid opus eſt aperientibus vim augendæ febris habentibus; etſi aperientia ſemper iuuant, contrarietatem in corpore ſupponunt, clauſionem videlicet, & impeditam tranſpirationem, cum contrariorum contraria ſint remedia. Ex dictis ergo innoteſcit nullam eſſe reſponſionem eorum, qui ad continentes ſolas febres referunt prohibitam tranſpirationem tamquam putredinis cauſam, quam cum Galeno explicauimus omnium putridarum communem, veluti nulla eſt etiam eorundem reſponſio ad locum Galeni allata in primo de diff. feb. cap. 3. vbi humores poſſe corrumpi affirmat, & febrem tamen non inducere, ſi deſit obſtructio, & impedita tranſpiratio, quem locum de humoribus primarum viarum intelligendum contendunt, non ſufficit hæc reſponſio, quia Galenus humores ibi conſiderat in vniuerſo corpore conſiſtentes, & plethoram efficientes, qui vel in ventriculo, & iecore coctionem temporis proceſſu nanciſcuntur, vel in vniuerſum etiam corporis habitum per apertos meatus euacuandi tranſumũtur, ſi corpora benè difflentur. At ſi meatus obſtruantur, humoresque ſtipentur, putridarum febrium decernit fieri inſultum, quia promptiſſimè putreſcant quæcumque calida, & humida & multa ſunt in locis calidis, niſi difflentur, ac refrigerentur. Reſtat vt rationes eorum ſoluamus poſt labefactatas reſponſiones. Arguebant ergo ex natura putredinis, quæ pendet ab extranea caliditate, & caliditas extranea non à ſola manat tranſpiratione prohibita, ſed ab alijs etiam cauſis ſæpius à Galeno commemoratis, reſpondemus caliditatem extraneam à multiplici quidem prodire cauſa, ſed caliditatem putredinis febrilis ſimplicis, non peſtilentis effectricem à ſola impedita difflatione; & hanc ſolam caliditatem conſiderari à Galeno putridas febres examinante. Aliud eſt conſiderare putredinem abſolutè, aliud putredinem febrilem, illa poteſt citra impeditum tranſpiratum conſiſtere, hæc non poteſt niſi in febribus peſtilentibus, vt ſupra explicauimus, ad quam peſtilentem putredinem reſpiciens Galenus in libello de inæquali intemperie dixit accendi poſſe febrem & citra phlegmonē ex ſolis humoribus putreſcentibus, quòd non ea ſola, quæ inculcata ſunt, & perſpiratu prohibita putreſcant, verum celeriter ea, maximeque, cæterum putreſcant & alia multa, quæ putredini ſunt opportuna. Quod Galenicum dictum veritatem habet in peſtilentibus febribus, & habere etiam poteſt in ſimplicibus putridis, ſi diſtinguamus prohibitam tranſpirationem in apprehenſam ſenſu, & ratione contemplabilem, quaſi dicere velit Galenus nō ſolum in prima, ſed in ſecunda etiam febricitare homines poſſe, quæ explicatio colligi poteſt ex illis verbis (quæ inculcata ſunt, & perſpiratu prohibita) ex quibus innui videtur difflatio impedita ſenſui manifeſta, qualis ſolet eſſe in partibus phlegmone affectis, præterquā febris quòd fieri poteſt etiā ex impedita tranſpiratione ſolo ratiocinio contemplabili, quam etiam complectens in Vndecimo Methodi omnem febrem putridam

tridam in difflationem retulit impeditam. Quantum ad auctoritatem secundi de diff. febr. in capite de febre sanguinis, vbi Galenus eum putrescere asserit cum à natura non vincitur, respondemus sanguinem, vt febrem facit, duplici nomine ab eo constitui putridum, & quia non difflatur, & quia à natura non vincitur, imo hæc naturę, seu facultatis imbecillitas, cuius defectu non vincitur sanguis, est cum impedita transpiratione coniuncta, siue in venis sit hæc imbecillitas, siue in arterijs, nā cum vis earum languet, retinentur excrementa euacuanda, vnde emergit obstructio, & impedita difflatio, Quod ex quarto Capite Vndecimi Methodi, in quo illi multum constiruunt momenti, apertè innotescit, vbi hæc inquit Galenus. Ostensum est, vbi morborum causas reddidimus, illa tātūm putrescere corpora, quæ cum calida, humidaq; natura sint, neque perflata, neq; vētilata, in calido, humidoq; loco maneant. Quod si in motu sint, ventilenturq; ac perflentur, posse ea non putria, integraque seruari, potissimum quæ corpora sua ipsorum natura reguntur, vt animalium, & stirpium. Ea namq; (sicut in opere de natural. facult. est proditum) ab initio congenitos secum motus habent, quibus superflua excernant. Ostensum non minus & in alijs duobus libellis est, quāta sit tum respirationis, tum pulsuum vtilitas ad perflatum, ventilationemq; corporis, atque eius natiuum calorem tuendum. Itaq; si quid in eo manifestè putrescere debebit, dictas transpirationes impeditas esse oportet. Ex his Galenicis verbis patet non fieri putredinem insignem sine aliquo transpirationis impedimento, & facultatem imbecillam non per se, sed interuentu impeditæ difflationis fieri putredinis causam. Maneat ergo inconcussa Galeni doctrina in libris methodicis omnem febrem putridam in putredinem, omnem putredinem in impeditam transpirationem, omnem impeditam transpirationem in obstructionem referentis.

Quæ indicationes veniant in putridis febribus colligendæ.

CAPVT XIV.


SI dicta de communibus indicationum spetiebus memoria repetamus, facilè inueniemus quot sint, & quales in putridis febribus colligendæ. nam in his omnes illæ locū habēt, quæ in quibusuis morbis veniunt adimplendæ. erat Galeni sententia xi. Methodi diariarum, & hecticarum febrium esse veram, propriamque curationem, quia in his de summouendo præternaturali affectu vniuersa est Medici cogitatio, at febrium putridarum vocatam curationem secum habere prouisoriam etiam partem quam προφυλακὴν appellant, coniunctam, cum de causa, quæ morbum creat, adimenda in hoc febrium genere onus incumbat. Quæ tamen artis pars curatricis retinet nomen, quia ab ea, quæ purè, sincereque prophilatica dicitur, in eo dissidet, quòd sub hac iàm sensibiliter ex ipsa causa morbus est genitus, in prophilatica imminet generandus. Ad curationem igitur putridæ febris non solum essentia morbi, sed ipsa etiam causa venit indicatoriè consideranda, & quia morbo ceu aduersatrix virtus est opposita, quam solet hæc febris labefactare, hæc toto medici conatu occurrit subleuanda, ideoque alia

etiam à virtute indicatio apparet elicienda. Ita fit (quod supra etiam ostendimus) vt iuxta Galeni in decimo Methodi decretum tria prima sint, quæ in propositis ob putredinem febribus agendorum indicationem præbeant, febris nempe, effectrix eius causa, tertia virtus ipsa; ita quidem vt duo prima summouenda sint, tertium verò retinendũ quia quod naturale est bonum est, & vitæ, incolumitatisque amicum, at quæ præter naturam sunt mala sunt omnia, salutisque inimica. Tres ergo sunt primæ, & quasi familiam ducentes indicationes, quæ omnes omnium morborum complectuntur, vt supra ostendimus, indicationes, à causa febris, à febri, à virtute, vt prima sit indicatio quasi præseruatoria, quæ tamen curatricis nomen ob allatam superius causam nanciscitur, secunda verè, proprieque curatoria, quia de profligando affectu sollicitudinem prefert, tertia verò vitalis, quia virium tutelam molitur, cum quà vitæ ipsius tutela coniungitur. In qua quidem indicationum concursione solerti opus erit ingenio Medici, qui eas iusta librandas lance suscipiat, & causam, febrem, virtutem inuicem conferat, eisdemque tùm à febri, tùm à causa remedijs indicatis, ad eorum vsum promptè accedat, & pugnantibus inuicem indicationibus, vnã præferat vel quæ à viribus sumitur, vel quæ à causa, vel quæ à febre, & eã, quæ ponderis plus habeat, magis excipiat, eique magis indulgeat, sic tamen, vt nec reliquas, licet infirmiores, despicatur ducat nam verissimum est fundamentum à Galeno in quarto Methodi iactum, appellendum esse animum ad id præcipuè, quod magis vrget, altero non neglecto. Et hic etiam habet locum Hippocratis dictum in Epidemijs asserentis nihil temerè, nihil negligere, quia nec temerè accedendum est ad eam absoluendam indicationem, quæ minus habet momenti, minusque videtur vrgere, nec obiter, vel etiam negligenter versandum in his, quæ licet minus vrgeant, locum tamen in indicando suum habent. Virtus quidem, & morbus, & causa morbifica quid indicent supra ostendimus abundè, virtutem nempè vt rẽ naturalem, vitæque amicam indicare sui custodiam, & conseruationem omnimodam, & morbum, & causam morbificam vt res præternaturales vitæque aduersantes indicare sui ablationem, & custodiam, conseruationemque fieri per similia, ablationem per contraria vt ideo in febribus putridis oriantur indicationes partim similium, partim contrariorum, similium quidem ad conseruandam ægri virtutem, contrariorum ad depellendum morbosum eiusdem affectum. In quo etiam apparet putridarum febrium à diarijs, & hecticis dissidium, nam diariæ nullam ferè, vel exiguam habent à virtute indicationem, habent interdum à causa, & semper ab essentia febris, vt declarat Galenus in octauo Methodi, hecticæ à virtute, & à morbo indicationes suppeditãt, nullam per se à causa deducũt, quia sunt immateriales febres, nec alter indicatur vsus euacuantium, quàm ob affluentiam excrementorũ corpus ita replentium, vt obicem ponant remedijs, & febrem, & virtutem respicientibus. At putridæ febres, & materiales sunt morbi, ideoque causæ necessariam animaduersionem inuehunt, & viribus effatu dignam labem afferunt, ideoque earum habendam rationem insinuant & morbi sunt in intemperie, ideoque

que deductam à propria essentia indicationem habent. Quod in duobus primis de victu acutorum libris nec semel, nec obscurè docuit Hippocrates, & in decimo, & vndecimo Methodi plenè explicauit Galenus, à quo omnes indicationes ad curationem putridarum necessarias ad tria prima genera, ad tres generales, vniuersalesque modos redactas diximus, febrem scilicet ipsam, huius efficientem causam, & ægrotantis virtutem. Nec aliæ excogitari præter istas indicationes possunt, vt patet ex superiori capite de speciebus indicationum in communi, quia vel fuerint præseruatoriæ, & has prębet causa, vel curatoriæ, & has affert febris, vel demum vitales, & has demum impertit virtus. Quòd si tres curatorios scopos in nono Methodi constituit Galenus, eosque ad morbum ipsum, ad corporis temperamentum, & ambientem nos aerem adigit, considerat ibi scopos verè curatorios tantum, in quorum censu nec indicatio à viribus, nec indicatio à causa propriè continetur, quarum postrema præseruationem qualemcumque respicit, prima verò vitæ custodiam, & conseruationem. Vnde hæc legimus in eo libro dicta à Galeno. Prima omnium indicatio est quæ à virtute sumitur, verum non sic prima vt quæ curationem doceat, cum ex numero curatricium indicationū non sit, verum, vt ita dixerim, vitalium, seu ad vitæ custodiam attinentium. A virtute deductam indicationem vocat non curatricem Galenus, quia curatio insinuat affectionis præternaturalis remotionem, virtutis consideratio naturalium affectionum custodiam, & conseruationem, in qua consistit vitæ tutela, ideoque huiusmodi indicatio vitalis obtinuit nomen. nam hæc nil nobis conducit primo, & per se nec ad valetudinem, nec ad ipsam à morbis liberationem, sed ad solam vitam, licet secundario, & ex accidenti interdum virtutis roboratio ad morbi curationem conferat, vt in nono, & Vndecimo Methodi docet Galenus, quatenus scilicet virtus facta validior, & calor innatus euadens vegetior & concoquere potest quæ concoquenda, & expellere quæ expellenda, & alterare quæ alteranda, vt morbosa remoueatur affectio, & pristina restituatur sanitatis possessio. Verum virtutis tutela vitam præcipuè tuetur, ac seruat, & hic est eius primarius finis, sed si valet vlterius ad profligandum morbum, hoc ei conuenit accidentaria quadam consecutione primarium finem comitante. Virtutis ergo indicatio est per se vitalis, & potest solùm per accidens euadere curatoria. Causæ etiam indicatio suopte nutu præseruatoria propriè est, arcendæ imminenti morbi generationi intenta, sed quia in febribus putridis hæc causa partim fecit, partim factura est morbum, ideo potest quodam modo ad curatricem etiam redigi, vt supra diximus, licet non sit propriè talis, verum præseruatoria, vnde mirandum non sit, si Galenus de propriè dictis curatorijs indicationibus loquens omisit indicationes à causa, & à virtute, & commemorauit eam, quæ ducitur à morbo, eiq; adiunxit duas, alteram à temperamento, alteram ab aere, quæ licet ad curationem propriè pertineant, sunt tamen in febribus curandis potius signa principali indicationi affectum consectanti inseruientia, quàm veræ indicationes, vt Galenica verba ponderanti apparet manifestum.

De indicatione Vitali, quæ à viribus deducitur.

CAPVT XV.



QVoniam uitalis indicatio prima est dignitate, vt in nono Methodi docet abundè Galenus, sit hæc eadem nobis considerantibus prima ordine. Diximus hanc vocari vitalem, quæ à viribus desumitur, quia intendere viribus est intendere vitæ sine viribus consistere nequeunti. Hæc indicatio est solius alimoniæ, quia vires indicant sui custodiam, atq; tutelam, vires perennem sustinent lapsum ob necessariam nostræ substantiæ dissolutionem, perennem debent recipere sui restaurationem ob additum alimoniæ vsum, nam cum custodia ac tutela fiat per similia, alimonia est similis, quia licet alimẽtum à primordio sit contrarium alito, in fine tamen euadit simile, vt docet Hippocratis in libro de alimento, Plato in Timeo, Aristoteles in secundo de anima, & Galenus in secundo de naturalibus facultatibus. Quòd si morbosam affectionem, & febrem ipsam nullo pacto offenderet alimonia, nos viribus solis intenti ægros instar sanorum aleremus, vt considerat Galenus circa finem primi de victus ratione in acutis. Sed quia vt sano robur, ita ægroto morbosum affert additamentum iuxta celebrem Hippocratis animaduersionem, ob id morbosa affectio venit in examen reuocanda tamquam vi prædita alimoniæ prohibendæ. nam quanto maior morbus, tanto maior ex alimento veniens iactura, quia diuertit, & auocat naturam à morbificæ materiæ coctione, & qualicumq; elaboratione, innatumq; calorem in alimentali alteranda substantia detinet occupatum. Vnde Hippocrates in prima Aphorismorum particula decernebat, quando morbus extremos habet labores, tenuissimo victu tunc esse vtendum, quia, vt ait Galenus in commentario, tunc phlegmasiæ maximè existunt, siue quis per phlegmasias velit intelligere illas, quæ propriè dicuntur inflammationes, siue etiam libeat febres vnà complecti secundum antiquam vocabuli acceptionem. Accedit illa etiam ratio, quòd melius est naturam permittere circa morbi coctionem vacare, morbo in suo vigore consistente, nec eam distrahere ad cibos nuper acceptos conficiendos. Hinc idem Hippocratis in secundo de victus ratione in acutis ciborum adiectioni intendendum multo minus decreuit, quia, vt animaduertit Galenus in commentario, quantitas ciborum ægris exhibendorum tutiorem habet defectum, quàm excessum, excessu maiorem noxam, & correctu difficiliorem inuehente, defectu verò minorem, & correctioni magis subiectã. Nec documentum huic contrarium tradit antiquus Magister dum in prima Aphorismorum particula statuit in tenui victu ægros delinquere, ideoq; magis oblædi ob difficiliorem erratorum in eo tolerantiam, quàm in paullo pleniore, vnde tutiorem, & minus periculosum concludit non modo sanis, verum etiam ægrotantibus paullo pleniorem victum, quàm tenuem, & admodum exquisitum. Quæ dictio videtur antecedenti quasi è diametro repugnare, quatenus in antecedente victus tenuis commendatur, atq; præfertur, in hac verò aphoristica paullo plenior laudatur, tutiorque censetur. At si quis dicta rime-


tur attentius, omne apparens dissidium de medio tollet facilius. nam primò licet Aphorismum sic explicare, vt dicamus non fieri in eo victus tenuis, & plenioris collationem in ægrotantibus, sed noxarum ex erratis in vtroque victu commissis emergētium comparationem, mox dicere valemus documentum esse Hippocraticum intendendum quidem esse tenuitati victus in morbis præcipuè vigentibus, & huic magis, quàm copiæ, illud tamen respiciendum, quòd errata quædam quasi necessariò obrepunt, ad quorum sustinenda detrimenta parum est victus tenuior aptus, vt ideo Medicus in cibis instituendis non eam omnem tenuitatem amplexetur, quæ sit ægritudinis grauitati consentanea, sed errorum etiam obrepentium, & noxarum inde prodeuntium rationem habeat, ideoque aliquid adiungat ad illam quantitatem, quam viribus sustinendis censeat opportunam, tantillum scilicet, quantum errata committenda, & commodè perferenda videantur exigere, vt modus ciborum non viribus modo retinendis, sed erratis etiam tolerandis adaptetur, quasi innuat Hippocrates non ad extremam victus tenuitatem accedendum in morbis, vbi erratorum imminet discrimen, quia secundum communem paræmiam quod nimis attenuatur facili negotio dirumpitur, sed ad paullo pleniorem, minus exquisitam transeundum, vt non prohibeat tenuitatem, quam semper plenitudini præferendam indicat, sed tenuitati modum qualemcumque imponat, & quosdam quasi cācellos circumscribat. Quam ergo prębet alimoniæ indicationem virtus, adimit ex altera parte morbus, quia illa debet conseruari, hic aboleri, conseruatio fit per similia, abolitio per contraria, conseruatio virtutis per alimenta, morbi abolitio per machinamenta naturæ ab innato calore pendentia, ad conseruandam ergo virtutem alimenta sunt vsurpanda, ad profligandum morbum caliditas innata in officio continenda, ideoq; quoad eius fieri potest liberanda, & eximenda ab onere conficiendorum ciborum, vt morbus sibi vendicet abstinentiam, virtus quærat alimoniam. Verum hanc aliter quærit in sanitate, aliter in morbo, vt obseruat Galenus in Commentario Quarti Aphorismi primæ particulæ, nam in sanis corporibus semper oportet alimentis vel seruare, vel augere naturæ robur, numquam autem demoliri, vt ideo semper sit opus vel plena victus ratione, vel modica, numquam autem tenui, quæ vim habet comminuendi, verum in ægris raro quidem, aliquando tamen maiores, quàm acceperimus, efficere vires debemus, sed plerumque in morbis quidem longis eas fouere, in acutis autem aliquanto imbecilliores tueri studemus. At dicet forsan hic aliquis. Si vires indicant, vt superius ex Galeno dictum est, sui custodiā, quæ fit alimentorum vsu, quomodo ergo debet aliquando Medicus earum imbecillitati operam dare? responsio fit indicari semper custodiam virium, vt vires sunt, sed non semper vt vires tales, quia modo maiores, modo minores, modo æquales his, quas accepimus, veniunt custodiendæ, semper tamen remanent vires vitæ tuendæ accomodatæ, quia nunquam ad tantam virium infirmitatem vel in acutissimis morbis est accedendum, quin æger sit aptus ægritudini ferendæ, conseruandæq; vitæ. nam si natura

est

est Morborum Medica iuxta Hippocratis dictum in Epidemijs, & hæc agit tantummodo cum est suis viribus Comitata, semper tantum virium est relinquendum, quantum ad ægritudinem superandam satis fore sit sperandum. Hùc accedit, quòd vires per se indicant solam sui custodiam, ab alimentis opportunis expectandam, & si diminutionem earum aliquando molimur, hoc fit ratione morbi acutè vrgentis, & ratione materiæ morbificæ partim euacuationem, partim coctionem desiderantis, quæ quidem euacuatio, & coctio licet accidentaria ratione per inediam etiam aliquatenus fieri potest, quatenus scilicèt calor innatus humores naturæ rebelles attenuádo dissipat, & eius gratiam recepturos alterando concoquit, vt ostendit Galenus Quarto & Vndecimo Methodi, & in Commentario decimoseptimo secundi Aphorismorum, & in libello aduersus Erasistratreos, & sexcentis alijs in locis. Hoc est illud, quod idem dixit Galenus in commentario superius memorato primi de victus ratione in acutis, nisi esset morbosa affectio, quam alimonia offendit, nos virtuti soli intendentes, ægris vt sanis alimenta fore daturos, sed quia morbus sæpius noxam affert, ideo eum non tamquam cibi indicatiuum, sed tamquam prohibitiuum in examen reuocari. morbus namq; auxilia indicat, plebotomiam videlicet, clysma, cataplasma, purgationem, oxymel, aquam mulsam, & aliorum vnumquodque & vt indicat remedia, sic vetat alimẽta. at virtus econtrario suopte nutu indicat alimoniam, remediorum vsum non solum non indicat, sed interdum etiam prohibet. nam virtus vel est valida, vel imbecilla, valida non reclamat quidem euacuationi, eam tamen non insinuat aliunde insinuatam, sed imbecilla euacuationem inhibet ipsam, & arcet. Morbus ergo indicat remedia vt depellatur, virtus indicat alimenta vt conseruetur, & quia depulsio fit per contraria, conseruatio per similia, ideo in morbo depellendo contrarijs contendendum, in virtute conseruanda similibus vtendum.

De Varijs speciebus alimoniæ à viribus indicatæ.

CAPVT XVI.


Conseruatio calidi innati est conseruatio vitæ in eo residentis, ab eo pendentis. nam viuere, quatenus significat iuxta philosophos actum secundum, nihil aliud est nisi munia, & operationes obire animæ potissimum nutrientis, vt in libris de anima, & in opusculo de vita, & morte Aristoteles docet, sed hęc munia, & istæ operationes non obeuntur nisi ope innati calidi, quod ita se habet ad animam, vt se habet instrumentum ad artem. At calidum innatum perpetua indiget alimonia, qua non suppetente absumitur corpus, vt in decimo quarto Aphorismo primæ particulæ dixit Hippocrates, qui ex maiori, vel minori caloris copia claram deducebat vberioris, vel parcioris alimenti necessitatem. nam calor noster est instar flammæ, vt ex Aristotele docet Galenus in libello de marasmo. flamma perpetuam habet corruptionem, & generationem, ideoq; perpetuum exigit pabulum, tamquam necessarium suæ substãtiæ fulcrum. Flammæ, & ignis naturæ reliqua- p. aph. l. 14

tria elementa fiunt alimenta. nam & aere, & aqua, & ipsa terra nutritur ignis. Nostro pariter calori, quasi nostro igniculo iuxta Platonis etiam in Timeo sententiam triplex congruit alimentum, quod quadam analogiæ ratione triplex redolet elementum; cibus nempè, potus, & spiritus, vt cibus terram quidem redoleat, potus aquam, spiritus aërem, non quòd cibus solam terrenam includat substantiam, potus solam aqueam, spiritus solam aeream, sed quòd singula hęc alimenta ex hac præcipua elementari constant natura, dum prædominantis habetur ratio. Hinc Hippocrates in libro de flatibus dixit corpora omnia tùm hominum, tùm reliquorum animantium à triplici nutrimento sustentari, quorum hæc sint nomina, cibus, potus, spiritus. Quem Hippocratis locum pulchrè expressit in secundo de natura Deorum M. Tullius tribus rebus animãtium vitam teneri profatus, cibo, potione, spiritu. Cuius dicti veritas facili negotio innotescet intuenti nullum esse aliud, vt diximus, in nutritione propositum, nisi calidi innati tutelam, & qualemcumq; deficientis refectionem, calidi autem ipsius naturam & in solidis partibus residere primigenium humidum calore superfusum continentibus, & in succis humoralibus in deficientis humidi naturam quocumque modo facessentibus, & in spiritibus ipsis partim insitis, partim infusis suauem vitę ęstum suo quasi igniculo fouentibus, vt in Quinto de simplicium medicamentorum facultatibus, vt eius sexcenti alij mittantur loci, abunde explanat Galenus. Qui ob hanc etiam causam in Vndecimo Methodi dixit virium substantiam tùm ex spiritu, tùm ex carnosa specie, tùm solidis ipsis compleri, & ex his, quæ similia sunt, suam cuiq; διαμονὴν, hoc est custodiam nos debere moliri. Spiritui quidem ex respiratione, ac transpiratione, & qui ex sanguine attolitur vapore, solidorum generi ex solido nutrimento, carnoso generi per eam naturam, quæ in medio solidorum ac humidorum corporum est. Quibus nimirum verbis clarè nos docuit quænam sint ex parte virtutis, ad quam solam pertinet indicatio vitalis, indicantia omnia, & quænam indicata omnia, nam cum virtutem in tribus constitutam affirmet, in spiritibus, in partibus solidis, & in carnosis, hæc tria facit indicantia, quatenus hæc tria sunt virtutem referentia, indicata verò facit etiam tria illis proportione respondentia, alimoniam tenuem spiritibus respondentem, crassam solidis partibus, mediocrem uerò carnosis. Dicamus ergo uirtutem in communi cõsideratam indicare alimoniam in communi, unde pendet eius custodia, uirtutem particularem indicare alimoniam particularem, residentem in spiritibus indicare alimoniam tenuem, in solidis crassam, in carnosis mediocrem. Quæ quidem partes carnosæ complectuntur humores, & succos ad celebrem tripartitam Hippocratis diuisionem superius commemoratam attinentes, in humano corpore spiritus, solida, humores considerantis, & impetentia, continentia, contenta uocantis. nam appositi, agglutinatique humores, accedente substantiæ similitudine, in carnem facessunt. Quę caro tamquam ex humoribus confecta non eandem requirit sui custodiã, quam uel spiritus, uel solida exigunt, sed tenuiorem alimoniam, quàm ista, crassiorem, quàm illi, nam cum ali-

monia

monia debeat rei alitæ esse consentanea, & caro nec crassam consistentiam habeat, quæ reperitur in solidis, nec tenuissimam, quæ in spiritibus inest, sed mediam quasi naturam possideat, ideo alimoniam etiam indicat mediocritate quadam præditam, vt solidorum alimentum plus debeat obtinere substantię terrenæ, spirituum plus aereæ, carnosarum partium plus aqueæ. Ciborũ tres pręcipuos facit gradus Hippocrates in libro de veteri Medicina, quia vel solidos cibos cõsiderat, vel sorbitiones, vel potiones, vt fiat semper ad maiorẽ tenuitatem accessus, quatenus cibi solidi crassiores sunt sorbitionibus, sorbitiones potionibus, vt sorbitiones in medio solidorum, & potionum consistant, ideoque cibi solidi solidis potissimum partibus conueniant, sorbitiones carnosis, potiones spiritibus, quia facilè potiones in sanguinem facessunt, & ex sanguineo etiam vapore spiritus ipsi reficiuntur, & quia in omnibus edulijs, siue soliditatem habeant, siue sorbitiones sint, siue potiones, omnes continentur elementares substantiæ, vt in singulis insit & ignea, & aerea, & aquea, & terrena natura, vt docet Galenus in libris de elementis, & de alimentis, ideo in singulis edulijs quod magis terreum est, pertinet ad solidas partes, quod magis aereum ad spiritus, quod magis dėmum aqueum, & intermediam quasi sortem nactum ad partes carnosas. Talis est indicatio virtutis alimoniam indicantis, ac talem alimoniam indicantis vt in tali, vel tali substantia resìdet. Sed quia virtus in febricitante, & putrida febri laborante consideratur vt iuncta, & comitata tali morbo, ac tali morbifica causa, ideo vim habet indicandi alimentum non modo quoad substantiam, verum etiam quoad qualitatem, quia virtus ratione febris indicat alimentum refrigerans, & humectans, vt ostendit Galenus in octauo Methodi, ratione causæ febrilis, quę est putredo, indicat refrigerans, & exiccans, vt idem explanat in vndecimo Methodi, vt substantia alimenti deducatur à virtute, qualitas eiusdem à comitantibus virtutem, nempe morbo, & causa morbifica, nam alimentum vt refrigerans, & humectans habet rationem sanantis, vt refrigerans, & exiccans habet rationem etiam præseruantis, ideoque non à virtute propriè vt tale, sed à morbo, & causa morbifica iudicatur, vt substantia alimenti à viribus, qualitas à morbo, & causa pendeat, & substantia similitudinem quærat vt indicationi vitali satisfaciens, qualitas contrarietatem inuehat indicationi curatoriæ, & præseruatoriæ intenta. Verum hic dubitatio emergit ex eo, quod Galenus in eodem Vndecimi Methodi capite, in quo affirmauit à triplici virium substantia, solida, spirituosa, carnosa, triplicem indicari alimoniam, consistentem, tenuem, mediam, adiunxit eius quidem modum inueniri ex conseruandæ substantiæ modo, qualitatem verò ex eius temperie, Quæ cum vel optima sit, vel aliquatenus vitiosa, primam semper esse seruandam, secundam in sanis vel seruandam, vel alterandam, in ęgris autem seruandam, quippe temperamẽtum præsens maxima indicandi vi præditum sit retinendum, & pro varietate partium varium sit similibus retinendum. Ex qua Galeni sententia colligitur alimoniam febricitantibus similem ad proprij temperamenti tutelam esse exhibendam. Quomodo ergo indicatur contraria.

ria, vt diximus, ratione morbi, & causæ morbificæ? responsio hæc sit, quòd in ægris duplicem temperiem vitiosam possumus attendere, alteram quidem intra latitudinem sanitatis, & vt naturalem munia obeunda non lædentem, alteram extra hanc latitudinem, & functionibus incommodantem, prima conseruanda venit, quia non datur ansa eius in morbo corrigendæ etiam vitiosæ existentis, vt declarat Galenus in libris de sanitate tuenda, & conseruatio fit vsu similium, secunda verò adimenda, & pro virili abolenda tamquam præternaturalis, & morbosa, abolitio autem fit vsu contrariorum, quæ tamen contrarietatis indicatio ita fuerit in febribus explenda, vt altera similitudinis studiosa nullo pacto sit negligenda, quam rem à Galeno in octauo Methodi abundè explicatam habemus, vbi discimus à febri iure contrarietatis semper frigidum, & humidum indicari victum, ab ætate febricitantis, natura, consuetudine colligi similium indicationem, veluti etiam à regione, anni tempore, statu cœli, si temperata sint, at si hęc intemperata, contrariorum prodire insinuationem, vt opus sit solerti Medicorum iudicio indicationes omnes modo conformes, modo contrarias conferentium, & vrgentiorem, & plus obtinentem momenti præferentium, quæ vrgentior, & magis momentanea indicatio sit quæ sumitur à febri, modo sit magna febris, vt hæc vnica reliquis omnibus præponderet, sed si parua sit febris, reliquas omnes vnà coniunctas expendendas, & si æquè in suo genere indicent cum febri, necubi inclinandum, sed medium victus modum seruandum, at si altera indicatio exuperet, vel febrilis, vel aliunde deducta, tantum à temperato, medioque victu recedendum, quantum ea, quæ pollent, sua contraria superant.

De alimonia indicata à viribus ratione spirituum.

CAPVT XVII.



Vires corporis spiritibus innixas fouet, ac retinet alimonia, vt diximus, tenuis, quæ alendæ substantiæ propriam æmulatur naturam. Hæc autem ducitur alimonia partim ex aere, partim ex sanguineo vapore, vt superius ex Galeno deduximus. nam spiritus nostri, vt ex eodem constat auctore in tertio de naturalibus facultatibus, & in libello de sanguine in arterijs contento, conflati sunt ex aerea substantia, & ex tenuissimo sanguinis halitu, & quoniam est constitutionis, & reparationis materia eadem, ab eodem aeris, sanguinisque halitu veniunt spiritus reparandi. Ambientis quidem, vt considerat Galenus in Vndecimo Methodi, proprium pro natura sua nomen est aer, & in hac absoluta significatione nil aliud est, vel dicitur quàm aer, at relatus ad nos auxilium euadit, vel detrimentum, & vel salubris causa, vel morbosa efficitur, quatenus scilicet vel opem corpori vel noxam impertitur, vt aeris naturam semper obtineat tamquam originariam, & propriam, auxilij, vel detrimenti nuncupationem interdum inducat tamquam aduentitiam, & aliunde susceptam. Ad spiritus ergo fouendos, & renouandos aer exigitur temperatus, ab omni labe alienus, qualis in duodecimo Methodi describitur,

tur, qui nihil ex metallis, aut caminis, aut barathris sibi admiſceat, nihil ex putredine leguminum, vel olerum, vel animalium, vel cuiuscumq; rei contrahat, nullos ex paludibus, vel ſtagnis, vel fluuio halitus recipiat. nam hæc inſpirata ſubſtantia ſpirituoſam poteſt vim illæſam tueri, nec inſpirata ſolum, ſed per occultos etiam corporis meatus attracta, per quos vi tranſpirationis inſenſilis fuliginoſa prodit materia excluſa. Vnde manauit Hippocratis dictum in ſexto Epidemiorum, carnes ex ventre, & externis partibus trahunt, ſenſus oſtendit quòd corpus tum intro, tum foras ſpirabile ſit. Verum quia febricitantes caloris quendam perpetiuntur exceſſum æſtu moleſto conflictati, ideo aere opus habent refrigeratoriam vim habente, vt aer indicetur purus quidem, & illibatus, ſed refrigeratorius, vt ſit auxilium non ſolum alimentarium, ſed etiam medicamentoſum, quippe qui ad corrigendam intemperiem febrilem appareat opportunus, quo nomine eſt quid indicatum non à virtute, quæ indicationem ſolum vitalem facit, ſed à febri, cuius eſt propria indicatio curatoria. Hinc Hippocrates in ſexto Epidemiorum remedia proponens arcendæ ſiti accomoda, quæ teſte Galeno ad vniuerſum victum febrientibus opportunum pertinet, continentiam oris conſulebat, taciturnitatem, ſpiritus cum potu frigidi introductionem, quia hinc non leuis datur refrigerij inducendi anſa, dum non modo bona aeris ſubſtantia, ſed frigidiuſcula etiam qualitas ad ipſum pulmonem, atq; adeo cor perreptat, & penetrat. Quãobrem Galenus in decimo Methodi aerem ſuſcipiens pro febricitãtium vſu conſiderandum, ita decernit, vt ſi tẽperatus ſit, qualem ſe exhibet, tali vtamur nihil amplius de illo ſolliciti. Quod Galenicum dictum rationi eſt apprimè conſentaneum, quia licet ratione febris ſit indicatio refrigerandi, & refrigeratorius exigatur aer, hoc tamen munus præſtare etiam temperatus poteſt ob vim naturaliter medio inſitam, veluti ſæpe in problematis oſtendit Ariſtoteles, vt alteri extremo collatum alterius extremi facultatem obtineat, ideoque tepidum relatum ad frigidum calefaciendi, ad calidum refrigerandi vim poſſideat. Temperatum ergo aerem ſine alteratione vſurpandum proponit Galenus, ſed ſi calidus valdè fuerit, in contrariam qualitatem arte vertendum, ſubterraneis inuentis domibus frigidiſſimis, maximè perflatis, & ad ſeptentrionem verſis, tum auribus quibuſdam ſuauioribus opera noſtra paratis, vel alio aquarum confluxu, vel aqua frigida de vaſis in vaſa transfuſa, & domo continenter aqua frigida aſperſa, roſisque humi fuſis, vel vitium capreolis, vel ruborum ſummitatibus, vel lentiſci ramis, vel alijs refrigeratorijs ſtirpibus, hominumque turba à cubiculi ingreſſu prohibita. Sic aer calidiſſimus, qui in æſtate ſolum calida, & ſicca poteſt contingere, non in hieme locum habere, proponitur alterandus, at qui modice frigidus ſit, talis ſinendus, qui verò frigidiſſimus, ad reſpirationem talis admittendus, vt præclarum æſtus in corde exiſtentis refrigerandi inſtrumentum, ſed ad externum per ambitum corporis ingreſſum non admittendus, quippe denſat, cogitq; cutem, ac putreſcentium humorum effluxum tranſpirare prohibet. ea namque aeris uel ſubſtantia, uel qualitas, quæ per pulmonem raritatis

plenum habet ad cor accessum facilem, per cutem iàm prius stipatam habet nullum, ut nimium frigidus aer cutim densando sibi ipsi præcludat uiam. Notandum tamen præbet Galenus maius fore ex frigida inspiratione commodum, quàm ex cute densanda incommodum, præsertim cum operimentis hanc calfacere liceat. Quæ præclara Galeni animaduersio ad Hippocraticam alludit sententiam in sexto Epidemiorum exaratam, quæ somnum in frigore sic iubet capere, ut sit dormiens stragulis opertus. nam cum in dormiente calor sit intro adactus iuxta regulam asserentem uigilantis exteriora calidiora, interiora frigidiora, dormientis contrariam esse rationem, & tamquam intro reuocatus sit admodum etiam adauctus, refrigerio opus habet, quod ambientis frigidioris accessus præbet, sed hic accessus fieri per inspirationem debet, per quam ad cordis sedem expedita uia patet, non per transpirationem, quia ob ambientem refrigerata, ac densata cute profundæ corporis partes incalescerent magis, & inspirati aeris refrigerium iuuaret minus, ut satius sit retrahere calorem, ad cutim calefacientium usu operimentorum, frigidum uerò inspirare, ut utrinque ad mediocritatem temperamenti calidum corpus agatur, sicut in commentario inquit Galenus, qui illam Hippocratis sententiam non seorsum, quod multis placuit, enarrandam, sed cum præcedenti censuit coniungendam, quæ calidæ naturæ refrigerationem, potum aquam, quietem consulebat, ut eidem naturę somnum in frigore cum stragulorum operimentis capiendum suadeat. nam corporis operimentum duo præstat, impedit cutis stipationem, quæ exaggerandi caloris interni facultatem habet, & facit eiusdem cutis apertionem, quæ internarum fuliginum effluxum, unde magis interior temperatur æstus, promouet, ut uersari in aere frigido, corpore tecto, sit uti inspiratione, ac transpiratione ad spirituum custodiam percommoda, ut superius ex Galeno in Vndecimo Methodi diximus, cum inspiratio non solum refrigeret, sed materiam etiam inuehat, transpiratio in festam, excrementitiamque substantiam educendo euehat. Ad quam faciliorem eductionem conferunt etiam membrorum frictiones in examen inferius reuocandæ. Frigida igitur in aere inspirato exigitur ratione febris qualitas, non frigida in exterius attracto, & ob eandem febrilem intemperiem requiritur etiam in inspirato humida, ut siccæ febricitantium caliditati opponatur frigidus, humidusque aer, at ratione putredinis frigidus quidem indicatur non tamen humidus, sed siccus, cum in putrescente materia caliditas uigeat, humiditasque præternaturalis contrariorum appulsu corrigenda, ut ideo in putridis febribus temperato sit opus in passiuis aere, ut aliquid & febri, & causæ condonetur, in actiuis autem tum frigido arte facto, cum se non temperatum offert, sed intensiori aliquo æstu præditum. Ita fit, ut his febricitantibus inspiratio congruat refrigeratoria, transpiratio copiosa, quia hoc pacto & febribus intemperies emendatur, & morbifica causa corrigitur putridarum difflatione fuliginum, succorum dissolutione obstruentium, & debita spiritibus custodia adhibetur congruæ alimonię tenuitatem obtinentis ingressu, excrementitiæ materiæ

germanam eorum constitutionem infestantis egressu. Verum iure Galenus respirationi, ac transpirationi vaporem e sanguine sublatum adiungebat ad spiritus recreandos, qui non aerem solum, bonamque temperiem requirunt ad sui constitutionem, sed tenuem etiam, ac vaporosam e sanguine profectam substantiam, cuius cumulatam prębent boni cibi, & temperato sanguini generando idonei suppellectilem, vt ex hac vaporosa sanguinis substantia cum accedente per inspirationem aere commixta, opportuno trāspirationis vsu adiuta, spiritus foueantur, debitamq; renouationem accipiant, tenui suppetente alimonia, qualis eorum substantiæ congruit, tenuitatem adeo amanti, vt iuxta egregiam Auicennæ in libro de viribus cordis animaduersionem sit cœlestis naturæ quasi æmula, & iccirco luminosa, rebusque lucidis delectata, quo nomine tenuissimum sibi vendicat alimentum à respiratione, transpiratione, ac sanguineo vapore deductum, nobis ante Galenum ab Hippocrate insinuatum, qui in opusculo de alimento dixit Principium alimenti spiritus esse nares, os, guttur, pulmonem, ac reliquam transpirationem, vt respirationis, ac transpirationis, & vaporis ex ingestis per os, & in sanguinem conuersis manantis non obscuram apud solertia ingenia excitaret mentionem.

De alimonia indicata à viribus ratione partium carnosarum, & solidarum.

CAPVT XVIII.



NOn eadem partibus carnosis, & solidis debetur alimonia, quam deberi spiritibus diximus, quia non eadem illis, quæ istis, subest natura, & similia similibus sunt adiungenda, quippe in proprio quantum fieri potest statu veniunt conseruanda. Vt ergo spiritus tenue indicat alimentum, sic partes solidæ solidum, carnosæ mediocre & humidorum, solidorumque corporum medium. Quod insinuaturus Hippocratis in libro de alimento dixit eos, qui velocissima indigent appositione, per olfactum esse nutriendos, qui minus veloci, his humidum alimentum esse accomodum, qui adhuc tardiori, his solidum conuenire, per primos spirituum nutritionem innuens, per secundos carnosarum præcipuè partium, per vltimos solidarum. Quo etiam factum est, vt more suo quasi ænigmaticè loquens humidum alimentum facilius transmutati affirmauerit, quàm siccum, & siccum facilius quàm humidum, quod licet absolutè verum sit, quia facilius vinum alteratur, quàm caro, & iusculum, quàm panis, & facilius caro hædina, vel auium transmutatur, quàm vinum coctum, vel etiam carnis bouinæ contusum, tamen hunc etiam habet sensum, humida à carnosis partibus, solida à solidis melius transmutari ratione intercedentis similitudinis, & cuiusdam quasi naturalis cognationis, quam in alterandis, conuer-

tendisque edulijs plurimum habere momenti locuples est auctor in primo de alimentis Galenus. hæc enim similitudo, & cognatio facit, vt proprias habeat, sibique consentaneas humana natura escas, & alits alienas agnoscat, penitusque dissentaneas, vt quę feris conueniunt, sint hominibus aduersæ, & inter homines quæ sanis commodæ, ægrotantibus incommodæ, vt considerat Hippocrates in libro de veteri medicina; ideo inuenta esse in humanum vsum ostendens & alia edulia, & panem præcipuè, & mazam, & aduentante morbo solidis cibis suffectas esse sorbitiones, & potiones, tanto ad coctionem suscipiendam paratiores, quanto minorem habēt concoquenti calori vim resistendi. Sed hic emergit non prætereunda dubitatio. nam si ægrotantibus sorbitiones, vel potiones conueniunt, non conueniunt solida edulia sanorum propria, vt decernit Hippocrates, quæ ratio habebitur solidarum partium, quæ solidam exigunt alimoniam, vt supra cum Galeno diximus, quandoquidem sorbitionum, potionumque administratio carnosarum potius partium, & spirituosæ substantiæ reparationem respicit? Confirmatur dubitatio ex illo Hippocratis decreto, quo in Aphorismis victum humidum febricitantibus adaptat, & pueris, & talem seruare victum assuetis, sumpta à febri contrarietatis indicatione, similitudinis ab ætate, & consuetudine, vt Galenus non solum in commentario Aphorismi, sed in octauo etiam Methodi declarat. Quomodo ergo ægroti, & multo minus febricitantes, siue quomodo febricitantes vel quà ægroti, vel quà febricitantes solidos cibos efflagitabunt, at si non accipient, quomodo solidarum defectum partium supplebunt? non possumus dicere in putridis non inferri labem solidis partibus, sed solum affici spiritus, affici partes carnosas vt ex humoribus conflatas, & conseruandas, quia quicquid fit de partium solidarum affectione in putridis, illud compertum, exploratumque existit tempore etiam sanitatis perennem esse, nec vmquam deficientem solidarum qualemcumque dissolutionem, cui quasi ex altera parte respondens reparatio sit debita. nam licet Galenus in Vndecimo Methodi dicat in partibus considerari tùm qualitatem, tùm quantitatem, & hanc semper manere eandem qualitate immutata in solidis, ita vt in his, qui augentur, numero dumtaxat maneat eadem, in adultis autem, & absolutis etiam magnitudine, hæc tamen permansio, hæc eiusdem status conseruatio quoad sensum præcipuè venit intelligenda, secundum quem nulla videtur animaduerti varietas, vt in libro ad Thrasibulum de omni varietate sanis contingere decernit Galenus. Dicamus ergo ad propositam dubitationem eximendam in omni cibo, siue sit tenuis, siue mediocris, siue crassiusculus, aliquid contineri solidi, quia cibus omnis est quid mixtum, alioquin non esset cibus, nec vim nutriendi nactus, vt apparet ex Aristotele in libro de sensu, & sensili, & ex Galeno in primo de alimentis. Ac veluti pars quidem solida ita suam habet soliditatem, vt non respuat suam etiam aquositatem, & suam qualemcumque spirituositatem, & humor preter hanc aliquam etiam habet soliditatem, & spiritus insuper humorosam quandam, & solidam præfert substantiam, ita nutrientia corpora siue maximè aerea sint, suam habent soliditatem, siue

siue maximè terrea suam spirituositatem, siue intermedia habent vtrumque sic fiet vt vel ex humido alimento suscepto febricitans solidas partes reficere possit, ex ea nempe portione, quæ in humido plus retineat solidi. Hùc addamus, quòd licet febricitantibus humidus victus præscribatur, non ideo tamen omnis solidus interdicitur, quippe non desunt solida edulia, quæ sint faciliora concoctu, quàm sint vel ipsa humida, veluti auicularum carnes, quas & Hippocrates in secundo de diæta, & Galenus in primo de alimentis cócoctu facillimas statuit, ideoque Aristoteles in primo æthicorum in exemplum cibi leuissimi adducit, hæ, inquam, carnes citius, & commodius, quàm ius bouillum, concoquuntur. Et quoniam cibaria sunt vel valentis, vel mediæ, vel imbeccillæ materiæ, vt docet abundè celsus in secundo libro, & Galenus in libello de cibis boni, & mali succi, prima ad solidas præcipuè partes, secunda ad carnosas, postrema ad spiritus fouendos, ac renouandos opportuniora videntur, omnia sunt tamen omnibus sustinendis idonea secundum ratam portionem, & nutriendis accomodatam. Potiones ergo odoratiores spiritibus præcipuè aptabuntur, iuscula bonarum carnium partibus carnosis, iuscula concretiora, & cuiusdam quasi gelu formam præferentia, qualia sunt contusa, & ob inditam crassitudinem coalescentia partibus solidis, quibus etiam carnes omnes, omniaque edulia nondum in formam liquoris adacta sunt opportuna alimenta. Hinc factum est, vt Galenus in omni syncope, siue homini contingat crudorum onere humorum oppresso, siue tenuium succorum nimiam dissipationem patienti, vinum conuenire dixerit in duodecimo Methodi, quia syncopes tam quam præceps virium lapsus, spirituum iacturam habet adiunctam ope vini propinati, tenuem, celeremque alimoniam præbentis, opportunè reparabilem, in quo libro illud etiam venit obseruandum, quòd in iactura spirituum alimenta proponuntur tenuia reparandæ spirituosæ substantiæ accomodata, in iactura partium solidarum alimenta inducuntur crassam consistentiam habentia solidis reparandis opportuna.

De prædictarum alimoniæ indicationum sufficientia, & præstantia.

CAPVT XIX.


Diximus cum Galeno conseruandam alimentis esse spirituosam, carnosam, & solidam substantiam, quia hoc pacto conseruamus virtutem in his tribus constitutam, quibus continetur innatum etiam calidum, per hæc tria diffusum, & in solidis potissimum implantatum, & præter carnosam molem spiritibus etiam comprehensum, vt cuilibet innotescit Galeni librum aduersus Lijcum, & Quintum de simplicium medicamentorum facultatibus vel oscitanter legenti. Hinc mirari non debemus, si Galenus tres illas substantias tamquam virium fundamenta, veraque fulcra enumerans nullam fecit innati calidi mentionem in illis tribus cumulatè comprehensi. Verum admirabitur forsan aliquis, cur idem in duodecimo Methodi essentiam virium, quibus nostrum regitur corpus, ad solos spi-

ritus, & solidorum temperamentum corporum adegerit, nulla facta carnium, excitatave animaduersione; sed hanc deponere admirationem debuerit hoc meditatus sermo nem ibi fuisse de præcipiti virium lapsu per sincopem facto, ad quam syncopem carnosum genus parum facit, præterquam quod ibi solidorum nomine carnes etiam ipsas firmiorem spiritibus consistentiam habentes, ideoque interdum inter solida relatas, intelligere commodè licet. Sunt autem vires istæ in tribus illis facultatibus positæ animal gubernantibus, toti corpori ex suo quodam veluti Fonte sigillatim distributis facultate videlicet naturali ad hepar præcipuè relata, indeq; per venas vndequaque permeante aliqualiter, vitali in corde constituta, indeque per arterias partibus omnibus se communicante, ac denique animali cerebrum insidente, indeque per neruos suam vim vniuerso corpori impertiente, harum quidem facultatum robur est virium robur, harum salus est virium conseruatio, quia nil aliud est vires conseruare, vt cum Galeno diximus, quàm vitam tueri, nec aliud vitam tueri, quàm harum facultatum actiones integras, incolumesq; seruare. nam vita vel est viuentis essentia iuxta Aristotelis dictum in secundo de anima, si sumatur nempe pro actu primo, vel viuentis propria operatio, si sumatur pro actu secundo, & pendet omnis viuétium operatio ab enumeratis facultatibus, quarum incolumitas operationum parit incolumitatem, vnde conspicuus prodit, manifestusque vitæ actus. Qui ergo nouit quantum sit in vita momenti, nouit simul quantum sit in conseruandis viribus ponderis, quarum indicatio reliquis omnibus præcellit, & præponderat, quippe vita est omnium fundamentum, nec potest morborum curatio induci, nisi vbi vitæ adsit, suppetatque vigor, quia iuxta dictum Hippocraticum in Epidemijs, Natura est morborum medicatrix, & hæc est natura viuentis, quæ non medetur nisi vigeat, nec viget nisi aliquale virium robur retineat. Prima igitur, & præcipua omnium est à viribus sumpta indicatio, non quidem vt curatoria, quia non respicit primario, nec per se morborum curationem, sed vt vitalis, quod supra etiam ostendimus, quia tendit ad vitæ tutelam, & incolumitatem, quamquam si non per se, & primario, per accidens saltem, & secundario morbis etiam curandis suam operam præstat. Quod præclarè in Vndecimo Methodi explanat Galenus ex eo, quòd putredo morbosa non fit in corpore inanimato, sed in viuente, quod tùm alterare potest, tùm concoquere, tùm vtile reddere, & ad meliorem quandam frugem adigere quicquid putrescentium velut semiputrescens, semique malum est, quæ quidem viuentis corporis potentia, & facultas excitatur, augeturque inducto virium robore, vt hac ratione virium conseruatio accidentario quodam modo ad morbi etiam curationem conducat, quatenus validiorem naturam efficit ad coctiones, aliasque functiones depellendo morbo idoneas obeundas.

De

De varia indicatione à viribus desumpta.

CAPVT XX.



Erum licet hæc vera ſint, tamen non tàm ad morbum curandum, quàm ad vitam tuendam conſeruandæ vires accipiuntur, quas quidem in ægris à Medico ita conſiderandas decreuit Galenus in Methodi Nono, vt aliquando hanc animaduerſionem maximè neceſſariam affirmet, omnibus, quæ circa ægrum adminiſtrantur, in ſolam ipſarum gratiam relatis, aliquando mediocriter neceſſariam, vt hinc quoque aliquid conſilij ad facienda petatur, non tamen præcipua facien dorum hùc vergat ratio, aliquando tàm leuiter ad remediorum inuentionem conferre, vt ob leuitatem lateat, aliquando omitti, ſilentioque obuolui, quaſi nulla ex hac animaduerſione percipiatur vtilitas. Primus quidem caſus apparet in ægrotantibus inſignem præferentibus virium infirmitatem, in quibus deſipit qui de curando morbo cogitat, & non omnes cogitationes, omnemque induſtriam ad reparandas, ſubleuandasque collapſas vires conuer tit, & ſoli indicationi vitali, neglecta interim curatiua, intendit, alioquin iure audiet obiectamentum illud, cuius argutè dicti meminit Galenus, morbus quidem curatus eſt, ægrotus autem mortuus eſt. nam ille eſt terminus in ægrotantibus propoſitus, quem non tranſibit is, qui ex arte generosè contra morbum pugnat, vt tuto medeatur, veluti in duodecimo Methodi ſtatuit Galenus, at non poteſt mederi tuto, qui ſinit vires collabi, nec eas ſuffulcit, quarum diſſolutio vitæ diſſolutionem habet adiunctam. His ergo fulciendis opera tunc danda, cum earum abolendarum imminens apparet diſcrimen, hinc vel in ipſo acceſſionum principio licet febricitan tes nutrire, quando præ inedia in ſummam inciderunt imbeccillitatem, vt ſolet vſu venire picrocholis, ac temperamento calidiori, ſicciorique præditis diuturnius ieiunium perpeſſis, quibus nulla habita febris, & incipientis acceſſionis ratione veniunt opportuna alimenta pro pinanda ad imminentem à virium caſu mortem arcen dam, vt ſe factitaſſe in iuuene quodam febricitante, alijs reclamantibus Medicis, qui curationi intererant, auctor eſt in Decimo Methodi Galenus. Nec alimenta ſolum tunc temporis adhibenda, ſed ea etiam alimenta, quæ morbi facultatem augendi retineãt, quale in febribus fuerit vinũ, quod quia calidum, & ſiccum, fouere febrem, inaugereque valet, ſed quia celeriter refectorium eſt, & citam præbet alimoniam, vel in ſummo febris ardore, ſi vires vndique langueant, & fatiſcant, exhiberi ſecundum rationem poteſt, vt in propoſito caſu fecit Galenus, & in ſyncopis, in qua præceps fit virium lapſus, acceſſione faciendum in duodecimo Methodi ſuaſit. Sic igitur maximè neceſſaria eſt virium indicatio, vt vniuerſum medentis conſilium ad earum tutelam, refectionemque dirigatur, quamuis manifeſtum immineat ex faciendis morbi incrementum. Si vires etenim quacumque ratione ſuſtinentur, quamuis morboſus affectus augeatur, ſemper ſpes remanet eius diminuendi, ac ſuperandi, at ſi vires collabantur, & corruant, licet magna fiat mòrbi remiſſio,

missio, nulla spes superest cõsequendæ salutis, quæ sine virium tutamine nullum potest habere locum. Secundus casus patet in his ægris, qui febrem deferunt cum humorum corruptela coniunctam. nam in his oritur indicatio euacuandi, quia quod corruptum est, id alienum est à natura, & quod est tale, id se auferendum dictat, sed hanc ablationem ipsa corruptela virium faciens imbecillitatem inhibet, & quod est affectus remedium, id virtutis custodiæ est dissentaneum, affectu euacuationem vsu vel phlebotomiæ, vel purgationis factam præcipiente, virium autem infirmitate vtrumque auxilium respuente. In qua indicationum contrarietate illud capiendum consilij, vt partim euacuando, partim nutriendo procedamus, & per euacuationem affectui, per nutritionem virium infirmitati obuiam eamus, quod vitiosum est, per primam detrudentes, quod salubre est per secundum reponentes, & vtramque non confertim, & affatim, sed sensim, & paullatim præstantes, quam curandi rationem à Medicis vocatam ἐπίκρασιν in Methodi nono proponit Galenus. nam per boni alimenti adiectionem fit praui, corruptiq; humoris contemperatio quædam, vnde hæc vox ἐπίκρασις est deducta, quasi contemperationem dixeris. Hinc Galenus in primo Aphorismorum dicebat, si vires ægri debiles fuerint, & morbosa dispositio sit ex corruptione humorum, uel defectu, parum alimenti, & sępius talibus afferendum, parum quidem, quia virium imbecillitas non potest vniuersam simul alimenti copiam sustinere, sæpius autem, quia multis indiget dispositio, defectus siquidem exigit adiectionem, corruptio verò contemperamentum. Sed illud habet defectus humorum à corruptione discrimen, quòd in illo nullo euacuandi, omnis est suscipienda alendi sollicitudo, quia defectus solam adiectionem insinuat ab alimentis opportunè oblatis petendam, in hac tum euacuandi, tum nutriendi viget cura, quia humor corruptus partim euacuandus, partim contemperandus, euacuationem requirit quatenus recipere naturæ gratiam non potest, contemperationem exigit, quatenus melioris adiectione succi, & qualicumque alteratione ad meliorem adigi frugem valet, & quantum vis languens alimoniam dictat, tantum humor peccans euacuationem suadet, vt non præcipua quidem, nec omnis ratio virium habeatur, sed mediocris illa, & omnis in alternum morbi, & virium respectum distribuatur, modo ad morbum tollendum, modo ad vires ipsas reficiendas præsidijs vsurpatis. Quo in casu quia indicationes inter se pugnant, & se inuicem oppugnant, curatoria scilicet & vitalis, ad eam nempè methodum est confugiendum, quam nos docet Galenus in nono, & in Vndecimo Methodi, vt indicantium tùm dignitas, tùm magnitudo perpendatur, & ea, quæ dignior, maiorque sit indicatio præponatur. Ac dignitas quidem vel à vitæ pendet, vel à sanitatis respectu, magnitudo autem vel propriæ indicantium substantiæ rationem, vel à naturali habitu consequitur recessum. Virium ergo vitalium indicatio dignitatem dicitur habere, quia vitæ ipsius momentum continent, insignis febris indicatio habet magnitudinem, quia præternaturalis hic calor secundum propriam substantiam est magnus, & magnum habet à naturali constitutione re-

ne re-

ne recessum. In hoc ergo præcipuè casu verissimum est illud Galeni in septimo Methodi præceptum, quod vbique memoria tenendum proposuit, in harum pugna indicationum committendum non esse, vt dum alteri nimium sis intentus, alterius omnino obliuiscaris, sed vtriusque memor quoad licet vtrunque misceas. Tertia virium animaduersio est, cum illa quidem in parandis remedijs adeo latet ob leuissimam vim, quam retinet, indicandi, vt vix aliquam sui notionem præbeat, quod quidem vsu venit, cum vacuantia remedia citra virtutis noxam vsurpari possunt, vt inde nec vtilitatem effatu dignam, nec iacturam ipsa reportet, vnde leuissimum illud est, quod ipsa ad sui conseruationem indicat. Quòd si nullum planè vel commodum, vel incommodum ex his, quæ ad profligandum morbum adhibentur, ad vires accedit, tunc ipsarum consideratio tamquam inutilis, & superuacanea omittitur, & postremus quattuor propositorum casus oboritur; nam cum vel commodum magnum, vel incommodum ex vacuantibus præsidijs ad vires accedit, ab his magna sumitur indicatio, quia cum euacuatio viribus valdè officit, prætermittenda venit, & harum custodia præcipuè procuranda, & cum euacuando ipsas erigimus, & subleuamus, vt contingit in plenitudine quoad vires nuncupata, tanto magis euacuationi operam nauare debemus, quãto magis non solum minuere morbum, sed vires etiam augere speramus, quodam quasi onere, vnde prius premebantur, solutas. nam quæ vno, eodemque tempore & affectus curationi, & virium conseruationi conducunt, sunt hæc quidem præsidia calculum omnem referentià, omneque punctum ferentia, vt cum primæ notæ indicatio sit quæ sumitur à virtute, secunda quæ à morbo, horum præsidiorum indicatio vtramque notam contineat, ideoque ipsorum vsus citra controuersiam adhibendus veniat. Quæ omnia à Galeno partim in nono Methodi, partim in Vndecimo cumulata oratione explicantur.

De regulis quibusdam in vsu alimoniæ à viribus indicatæ obseruandus.

CAPVT XXI.

EX hactenus dictis apparet maximam, omniumque primam esse virium insinuationem, quæ nil aliud dictant, nisi sui custodiam, veluti morbus sui ablationem, hæc autem custodia in duobus consistit, veluti apparet in duodecimo Methodi, vt earum substantia seruetur incolumis, ab inanitioneque immunis, & earum temperatura, & qualitas naturali constitutioni retineatur consentanea, quæ si præsens fuerit, seruanda, si absens, inducenda. Temperatura quidem in substantijs solidis, & carnosis præcipuè attendenda, quæ præcipuè viuunt, qualitas in spiritibus obseruanda. Partibus ergo magis terreis, vt supra ex Galeno in Vndecimo Methodi animaduertimus, conueniunt alimenta magis terrea, humidioribus magis humida, magis aereis quæ plus habent aereæ substantiæ, sicut calidioribus quæ magis igneæ naturæ participent. Hinc deducendæ erunt materiæ particulares omnes in cibis, potione, aere, & omnibus peragi solitis. Et quia in alimentis

mentis considerare possumus quattuor illa, quæ in omnibus præsidijs consideranda proponit Galenus in primo de Arte ad Glauconem, qualitatẽ, quantitatẽ, modum, & opportunitatem, horum quidem omnium indicationes ex ipsis viribus cõmodè eliciuntur. nam veluti alimentalis substantia ab ipsa virium substantia, quę in ipsarum organis, siue subiectis attenditur, indicatur, ita qualitas à partium temperamento, & spirituum qualitate, cuius temperamenti, & qualitatis conseruationi nuper diximus esse incumbendum. Quantitas autem alimentorum indicatur à quantitate virtutis in tribus illis superius enumeratis subiectis residentis, quorum singula propriam pro natura sua tùm qualitatem habere, tùm quantitatem dicebat Galenus in Vndecimo Methodi, vt qualitas indicet alimentorum qualitatem qualitas, inquam, in congruo calidi, frigidi, humidi, sicci temperamento constituta, quantitas autem insinuet quantitatem, quantitas, inquam, hoc est magnitudo solidarum partium, quæ in corporibus increscentibus non manet eadem, in adultis manet eadem, & carnosarum, & spiritualium substantiarum, quarum quantitas in omnibus pariter corporibus siue increscentibus, siue adultis euariat, & modo incrementum accipit, modo verò decrementum. A maioribus ergo solidis indicatur plus nutrimenti, à minoribus minus, eademq; animaduersio partibus carnosis, atq; adeo spiritibus congruit. Vnde aliquando febricitantibus sufficient leuiora fercula, vt ptissana, panis contritus, aliquando erit ad validiora accedendum, vt firmiora iuscula ouis comitata recentibus, vt carnium confusa. Quantitas ergo alimenti indicatur à quantitate virtutis, siue organorum, vel subiectorum, in quibus residet virtus, atque adeo à quantitate actionis à virtute profectæ, nam quo maior, & vegetior est coctio à virtute vsurpata in alimentis elaborandis, eo maior, & largior esse debet eorundem suppeditatio, quia quantum concoqui potest, tantum ingeri debet ratione virtutis concoquentis, & quod pertinet ad quantitatem uirium, ut ex Galeno colligitur in primo ad Glauconem. Ac ueluti actio uaria uirtutis uariam indicat ciborum multitudinem, ita uaria eiusdem passio uarium insinuat eorũdem modum, quia si parum uirtus patitur, conuenit solidiorum ciborum usus, si patitur multum, conuenit liquidorum, quam quidem uirtutis maiorem, uel minorem in conficiendis cibarijs passionem, & hinc deriuatam uariandi modi, seu formæ assumendis cibarijs congruentis insinuationem pulchrè explicat Hippocrates in libro de arte Veteri, ubi discrimen inter cibos sanorum, & ægrotantium à uaria passione deducit facultatis concoquentis, quæ minor sit in sanis, maior in ægris, ut supra etiam considerauimus. Tempus, & opportunitas cibandi ultima erat in cibis obseruanda condicio. nam, ut ait in secundo libro Celsus, ægro uehementer nocet, quoties in eius, quod assumitur, uel tempore, uel modo, uel genere peccatur, & multus est Hippocrates & in primo Aphorismorum, & in primo de uictus ratione in acutis in opportunitate cibandi exponenda. Hæc igitur pendet, si Galeno credimus in Vndecimo Methodi, à maiori urgentia uirtutis, quàm morbi, & morbificæ causæ, quando illa scilicet plus potest indicare, quàm hæc ualeant prohibere. Et quia putridæ [illegible] fe-

febres vel continuæ sunt, vel intermittentes, in continuis quidem, & continentibus, præcipuè, quæ vnicam habent accessionem, facilis tolerantia, & consuetudo spectari debet, vt cibus tunc temporis offeratur, quando meliusculè quam prius se habent febricitantes, & quando in sanitate cibos erant assueti assumere. hoc enim tempore nec morbus, nec materia morbifica præcipuè vrget inhibendo, & plus premit ipsa virtus indicando, quippe quæ & commodius concoquere possit vt minus à morbo conflictata, & magis cibum exposcat vt ei tunc assueta, cuius assuetudinis maximam esse vim & in secundo de victus ratione in acutis, & in libro de Arte veteri declarat Hippocrates. At in febribus intermittentibus hæc adhibenda cautio, vt opportunum cibandi tempus ex duplici coniectemus respectu, ex summo præcedentis accessionis vigore, & futuræ principio, vt quàm longissime ab vtroque nutriamus. Si spatium inter hæc duo tempora fuerit amplum, facile fuerit cibandi opportunitatem inuenire, at si exiguum, alterutrum vsu veniet, vt vel ægrum adhuc valdè calentem nutriamus, vel sequentis accessionis inuasione iàm iàm affutura. Quo in casu necesse erit discernere tempus minus noxium, ac distinguere à magis nocituro tùm ex loco affecto vnà cum affectu, tùm accessionis, & principij, & summi etiam vigoris consuetudine. nam iecore, vel ventriculo inflammato pessimum est ante accessionem proximam nutrire, vbi non adest hæc inflammatio, infirmiori virtute præditis vtilissimum. In alijs verò animalis instrumentis ex ratione tum situs, tum dignitatis quòd iàm dictis proportione respondeat æstimandum. Iàm summi vigoris, & principij accessionis morem sic oportebit animaduertere. In summo vigore notandum, an citra magnitudinem febrilis calor siccus sit, & squallens, an citra siccitatem vrens, in primo casu humectante victu madefacere oportet, vt excedēs mitigetur siccitas magnum negotium allatura. in secundo magna caloris expectanda remissio, ne ignis igni addatur. In principio accessionis obseruandum num corporis extrema perfrigeret, & magnam caloris ad interiora reuocationem faciat, an omnino corpus non premat. hoc secundum vt facile, & mansuetum erit despicatui ducendum; in priore facienda distinctio, nam vel sine visceris inflammatione, & succorum plenitudine fiet illa caloris interius retrocessio, & poterunt tunc cibaria sine damno paullo ante exhiberi, quia nec augebitur inflammatio, nec irritabitur plenitudo. At propter contrarias causas vel urgente phlegmone, vel premente plenitudine, cauenda erit ante accessionem ciborum administratio, quippe quæ magni futura sit detrimenti causa. Hæc est Galeni sententia in illo vndecimo Methodi, qui in febribus huiusmodi inediam tàm diu sustinendam proponit, quam diu vires sint ferendo, vt in quibusdam febribus continuis septimo die terminandis toto progressu inediam vsurpandam statuat, modo virtus permittat. Quod suis illis temporibus, quæcumque tandem fuerit causa, contingere potuit, nostris certè non potest. Verùm Galenica nutriendi doctrina in hoc consistit, tunc esse præbendam alimoniam, cum indicatio virtutis vincit morbosi affectus prohibitionem. Vnde Hippocrates in primo acutorum statuens tempus

valere plurimum in morbis omnibus, & prẹsertim in acutis, & potissimum quibus febris vehementior suberit, summumque periculum, tale tempus dandæ sorbitionis tum per initia, tum per omnem morbi decursum decernebat seruandum, vt si pedes frigidi fuerint, non modo à sorbitione, verum etiam à potu caueatur, sed cum caliditas ad pedes descenderit, tunc dare expediat. In cuius sententiæ commentario annotabat Galenus, quòd veluti vnus alimoniæ scopus est virtutis custodia, necessaria accedente simul morbi contemplatione, ita ex morbo non prohibente cibi offerendi tempus inuenitur. Quibus verbis id volebat innuere, non indicari quidem cibandi opportunitatem à morbo, qui potius nutritioni reluctatur, sed ab eo permitti ab vrgente virtute indicatam, permitti, inquam, ita, vt administrari alimonia, & ingeri fine vlla ferè noxa possit, cui noxæ obnoxia est in accessionum & principijs, & incrementis facta cibatio, quia tunc viget calor febrilis vsu ciborum necessarium accipiens incrementum. nam cum optimum nutriendi languentes tempus sit cum moderatissimè habuerint tùm Thorax, tùm Venter, deterrimum cum hæc viscera deterrime habuerint, quod secundum contingit in accessionum principijs, primum autem in declinationibus, ideo in his cibaria probè propinātur, in illis eadem summouentur, quia in declinationibus virtus indicat, & morbus non prohibet, in principijs autem morbus prohibet, licet indicet virtus, & plus ille vrget prohibendo, quàm hæc indicando. Iure ergo dixit Galenus tempus nutriendi sumi à morbo non prohibente, non quia indicetur à morbo, sed quia permittatur, quatenus virtus quidem indicat, sed morbus non semper permittit, non enim in principio accessionum, nec in vigore permittit. Quamquam aliquando tanta est vis indicandi in virtute, vt inchoantibus etiam, atq; vigentibus accessionibus sit necessarium alere, vnde in commentario dicebat Galenus quātum est ex primo virtutis scopo interdum per accessionum initia alimoniæ existere necessitatem. Quæ omnia prius etiam breui summa complexus fuerat Celsus, hæc in tertio libro conscribens. Cum febris instet, incipiat, augeatur, consistat, decedat, deinde in decessione consistat, aut finiatur, scire licet, optimum cibo tempus esse febre finita, deinde cum decessio eius consistit, tertio, si necesse est, quandocunque decedit, cætera omnia periculosa esse. Si tamen propter infirmitatem necessitas vrget, satius esse consistente iam incremento febris aliquid offerre, quàm increscente, satius esse instante, quàm incipiente, cum eo tamen, vt nullo tempore is, qui deficit, non sit sustinendus. Hæc Celsus, cuius etiam illud est eadem loco monitum non contemnendum, operam esse dandam, vt securo animo ægri cibum accipiant, vt corpore tantum, non etiam animo laborent, ideoque nutritionis tempore omnem esse molestum nuncium, cuius oblata sit occasio, omittendum, in aliamque horam differendum. Sed quomodo sit verum quolibet febris tempore posse ægrum aliquando nutriri, in sequenti capite venit examinandum.

Quo-

Quomodo à viribus sumatur indicatio alendi in vario accessionum tempore.

CAPVT XXII.

MOrbus, vt ex dictis constat, tantum abest vt alimoniam indicet, vt eam potius inhibeat, dimittendamque suadeat, quippe qui præter naturam existens sui tantum ablationem insinuet vi contrariorum moliendam, & ab innato calore perficiendam. quia ipsa contraria vsurpata ad morbosam affectionem tollendam ab ipso calore dirigi debent, in vsumque propositum conuerti, non potest autem hæc præstare calor si ad elaborandam, conficiendamque alimoniam fuerit conuersus, & à proposito sibi scopo deterritus. Et quanto magis viget morbus, maioresque affert ægrotanti labores, tanto magis conflictatur virtus, maiusque sustinet deferendum onus, ideoq; non est addenda afflictio afflictæ nouo cibariorum onere imposito, sed sinendum cum materia illam morbifica colluctari, vt paucioribus intenta possit commodius voti euadere compos. Morbi ergo consideratio nutrimenti inhibet vsum, & quantum ad ipsum pertinet, numquam de cibis cogitamus, quia sæpius noxam afferunt, ideoque à morbo prohibentur nullum inde leuamẽtum, sed irritamentum potius accepturo. Quod quidem de cibis, quatenus vim habent nutritoriam, venit intelligendum, non quatenus suscipiunt facultatem medicamẽtosam, vt apparet in ptissana, quia hoc nomine à morbosa affectione non modo admittuntur, verum etiam indicantur, vt non solum in commentario primi de victu acutorum, sed sæpius in Methodo medendi declarat Galenus. Vt alentes ergo prohibentur à morbo cibi, & quo maior est vis morbi, magisque viget, eo maior est nutriendi ab eo profecta inhibitio, vnde dixit Hippocrates in primo Aphorismorum, cum morbus extremos habet labores tenuissimo victu esse vtendum, vt interdum vsque ad septimam vel sola aqua prissanæ cum oximelite, vel solo eiusdem ptissanæ Cremore sint veteres vsi, vt patet ex Hippocrate in libris acutorum, & sæpius testatur Galenus sexcentis in locis. Hinc etiam pendet, quòd in febribus vel inchoantibus, vel vigentibus non est opportunus ciborum vsus, quia tunc temporis est conflictata natura, deterrimè se habente & thorace, & ventre, cum hæc viscera sint præter naturali, febrilique calore tunc referta, qui calor neutiquam est ad conficiendam alimoniam accomodatus, sed ad accipiendam potius inde irritationem dispositus. Ex quo fit, vt hisce febrium temporibus importunissima sit alimonia, in declinationis ideo tempus differenda, cum febrilis caliditas à medijs partibus corporis ad infimas, ab internis ad externas progreditur, tantum pedibus infesta, quantum prius fuerat thoraci, & Ventri ad meliorem tunc dispositionem redactis, ideoq; commodius, & leuius impositum ciborum vsum laturis. Hac de causa Hippocrates in primo Aphorismorum scriptum reliquit in accessionibus esse abstinendum, quia sit nocuum dare cibum, & qui per circuitum habent accessiones, hos in ipsa accessione abstinere debere; vt sit commune præceptum in accessioni-

bus non esse cibandum, siue sint accessiones febrium cōtinuarum, quæ licet semper habeant febrilem calorem adiunctum, habent tamen statis quibusdam horis illum remissiorem (endosin hanc solet vocare Galenus) alijs autem intensiorem, siue sint accessiones febrium intermittentium, quæ habent suam periodum, in qua non solum declinatio, sed etiam intermissio febris, quam apirexiam idem vacat Galenus, habet locum. In vtroque febrium genere continuitatem vel includente, vel excludente accessio arguit peiorem temporis partem, quia in continuis significat factam exacerbationem, & consequens incrementum quousque calor incipiat lentescere, in intermittentibus denotat principium febris, & incrementum, & statum vsque ad declinationis aduentum, & quia tunc natura conflictatur valdè, pugnatque cum materia morbifica, & viscera naturalis æconomiæ sunt malè parata, magnumque sustinent negotium, vt docet Galenus non solum in secundo de differentijs febrium, sed etiam tertio de presagijs pulsuum, ideo decernit Hippocrates cibum hoc tempore exhibitum esse apprimè nociuum, quia naturam magis affligit afflictam, ad nouum opus auertit occupatam, & nouo caloris additamento lacessit magno prius incendio vexatam. Hoc nimirum tempore contingit illud celebre D. Pauli ad Corinthios, esca uentri, & Venter escis, imo potius esca uentrem, quàm uenter escā afficit ob maiorem ciborum in uiscus, quā uisceris in cibos actiuitatem. Abstinendum ergo in accessionibus, quæ in continuis febribus proportionem, ut uocant, habentibus occupant deteriorem morbi partem, in intermittentibus autem continent insultum, incrementum, & statum, ut utrinq; alimoniam respuant, importunissimo, si detur, tempore administratam. Quare non solum in aphorismis, sed sexcentis alijs in locis hanc doctrinam inculcat Hippocrates indelebili memoriæ mandandam, ut accessiones alturi fugiamus, magnum alioquin miseris ægrotantibus detrimentum importaturi. Et non solum in primo acutorum hoc scriptum reliquit mandatum, ut superius annotauimus, sed in quarto etiam libro uel ipse, uel ipsius æmulus auctor idem censuit repetendum, uerbisq; tum uberioribus, tum clarioribus explicandum. obseruentur (inquit) ita febrium accessiones, ut nunquam, cum adsunt, uel cum futuræ sunt, sorbitiones exhibeas, sed uel cum cessant, uel quieuerunt, & maximè à principio recesserunt. Frigentibus ergo pedibus nec potum, nec sorbitionem, nec aliud quippiam huiusmodi dabis, sed maximum existimato, si id tantisper obseruaueris donec ualdè incaluerint, deinde ita quod confert exhibe. Quibus quidem uerbis, atq; adeo consequentibus docet Hippocrates uerum nutriendi febricitantes tempus, quod quidem nec imminente, nec inuadente accessione est opportunum, sed declinante solum, cùm febrilis calor ad pedes, relictis supernis partibus, descenderit, & urina, reseratis omnibus ferè corporis meatibus, cœperit currere, quia tunc cessant omnia symptomata prius infesta, & cibi exhibitionem prohibentia, quæ ibidem recensentur, uentris calorem dico, & nauseam, hyppocondrij intensionem, corporis iactationem, mentis turbationem, ægri dolorem, lancinationem, uellicationem, uomendi affectationē, & ab humorum

uomitu

vomitu molestiam. Hanc quidem nutriendi normam adeo mordicus retinendam, autumauit Galenus, vt in primo ad Glauconem tertiana febri laborantes alternis dumtaxat diebus alendos proponeret, noxam veritus in die infestantis accessionis à ciborum captu imminentē. Quod Celsi etiam fuerat in tertio suæ Medicinæ expressum placitum. Verum, licet hæc verissima sint, & concordi Medicorum omnium confirmata consensu, non habent tamen veritatem perpetuam, quam nulla medica præcepta habent contingenti materiæ inhærentia, cuius proprium est Aristotelis testimonio in sexto æthicorum numquam habere immutabilem veritatis constātiam, quia incidit aliquando tempus, vt non solum in ipsa accessione, sed in ipso accessionis principio cogamur nutrire. Quod ni fecerimus, superiori de vitanda accessione inhęrentes præcepto, morientem interdum, & semper in extremum vitæ discrimen deductum ægrotantem viderimus. At quænam sunt hæc incidentia tempora, quæ accedentes occasiones? illæ nimirum, si virium vrgeat insignis imbeccillitas, præsertim cum febris ex inedia suum habuerit ortum, si vrgeat imminens, & quasi properans syncopes, cuius proprium est præcipitem inuehere virium lapsum. nam tunc plus habet momenti virtus indicando alimoniam sustinendis corruentibus viribus necessariam, quàm habeat morbus eā inhibendo, tamquam curationi, & minori ægrotantis molestiæ aduersantem. indicatio enim vitalis, à viribus suam nacta originem, familiam ducit inter omnes indicationes, vt superius ex Galeni doctrina in Methodi nono declarauimus, illo etiam addito, quando plures inter se indicationes altercantur contrarietatem præseferentes, ei semper plus deferendum, quæ plus mouet, eam verò plus mouere, quam digniora, maioraque indicantia præscribunt, quorum dignitatem, vel vitæ, vel sanitatis respectu iudicamus, magnitudinem autem vel ad propriæ substantiæ vel ad declinationis à naturali habitu rationem referimus, vt docet vndecimus Methodi. Sed quis non videt quàm digniora, maioraque indicantia vitalem indicationem præscribant in magna, atque præcipiti febricitantis infirmitate? Cui nisi opem feramus alentes, certum instat secuturæ mortis periculum. nam virtus, quatenus vitam conseruat, sine qua nulla potest sanitatis esse possessio, habet vehementiam dignitatis, quatenus consideratur vt dissipabilis vel ob temperaturam, vel ob ætatem, vel ob aliam causam habet vehementiam propriæ essentię, quatenus demum consideratur vt in aliquo ægrotante dissipata, & à primo tono valdè dissita, habet vehementiam declinationis à naturali statu, vt eadem sibi vendicet omnem vehementiam tum dignitatis, tum propriæ essentiæ, tum declinationis enarratæ, cui parem non habet indicandi vehementiam morbus, sed longè remissiorem, ideoque subit vicem permittentis, quatenus scilicet non amplius prohibet indicatum à virtute, nempè alimoniam, sed eius vsum permittit. Non ergo mirum, si quando virtus habet omnem vim indicandi, siue dignitatem respicias, siue magnitudinem vel ratione propriæ essentiæ, vel ratione declinationis à naturali habitu, tunc trahit ad se omnia, & potest omnia, nec vllius indicantis repugnantiam moratur, sed ita suum

indi-

indicatum vrget, vt adhibendum nulla interposita mora suadeat, ad hocque vim coactiuam inferat; quia alimoniam magna quasi voce clamat, labentes vires reparandas dictat, quibus reparandis nullus competit alius modus, quàm ab alimentis deductus; vt alimenta suppeditare cogamur, nulla habita morbi, seu causæ morbificæ ratione, nullo temporis facto delectu, nulla suscepta accessionis, febrilisque inuasionis animaduersione. nam facta collatione indicantium, intendendum est ei quod vehementissimè indicat, cæteris tunc quasi silentibus, veluti contingit in maxima virium infirmitate adeo febricitantem aggressa, vt proximam sincopem minitetur, tunc enim virtus maximè omnium, & ferè sola indicat, cuius conseruatio est vitæ conseruatio, at vita ipsa nihil est in animalis corpore potius, vt ideo virtus omnium prima sit custodienda, eiusq; indicatio sit in primo loco sita, secundum locum sibi vendicet indicatio à curando affectu deducta, mox reliquæ indicationes consequantur. Quod vberrimè fuisse à Galeno in nono Methodi explanatum sæpius animaduertimus. Quidquid ergo indicationi vitali repugnat, id secundi est loci, posterioremque vim habet ad indicata vitalia relatum. Et si aliqua cum viribus consonant, & vno quasi consensu in idem coeunt, hæc omne ferunt punctum, & sunt citra vllam controuersiam vsurpanda. Sed cum aduersam inter se vim habent, quæ viribus aduersantur, interdum sunt omittenda, interdum paullatim adhibenda, nam si curandus affectus vacuationem requirit, vires autem ad extremum infirmitatis corruerunt, reficiendis viribus intenti sanantium præsidiorum simus obliti. Sed vbi tantum acceperunt leuamenti, vt nullam, vel perexiguam ab euacuatione sint percepturæ offensionem, affectui etiam curando poterimus ex parte operam dare. Sic statuit Galenus in proposito nono Methodi primatum indicationis à virtute pendentis insinuans, quam vocat primam indicationem non vt curatricem, sed vt vitalem, seu vitæ custodem, quia quod ab ea primum desumitur est vt viuamus, additum autem in sermone illud primum monet, quòd ex accidente aliquando virtutis roboratio ad affectus curationem conducit. Verum nos modo consideramus indicatum à virtute pro vita tuenda, fugandoq; vrgente virium lapsu, quod indicatum tanti est momenti (quæ præcipua fuit in hoc capite sollicitudo) vt ne dum in accessione ipsa, sed vel in ipso accessionis insultu primo, quasi regularum Medicarum immemores, cogamur ægrotantes nutrire.

Exemplaris ex Galeno eiusdem rei ostensio.

CAPVT XXIII.



HAnc modo explicatam rem nemo melius, nemo solidius, nemo vberius docuit ipso Galeno, qui eam in decimo Methodi sic examinat, ponderandamque suscipit, vt nihil amplius desiderandum relinquat. Proponit ibi pulchrum casum febricitantis acuta febri, ac temperamentum calidum, & siccum habentis, plenumque squalore, vt caninam quandam videretur præferre temperiem. Huius curationi cum non ipse

ipſe ſolum afforet, ſed alij etiam Medici diatritariæ viæ ægrotos fame conficientis ſectatores, placuiſſe illis quidem per plures dies inediæ vſum, ſibi autem quotidianam ciborum adminiſtrationem affirmat, quam vſurpatam cum illi increparent, & magni cauſam detrimenti fuiſſe prædicarent, à ſe factum commemorat, vt ſtatuta die acceſſionem ieiuno fieri fineret, ſed inde tantam fuiſſe noxam conſecutam, vt Hippocraticam planè faciem ad extremum ferè maraſmum deductam febricitans ille præferet, & morti iàm proximus videretur, conclamantibus, & conquærentibus eius propinquis, quòd Medicorum diſſidium miſerabiliter perderet ægrum. Hinc factum eſt, vt tunc Galenus, qui ad coarguendos, & conuincendos diatritarios illos Medicos inediam illam permiſerat, imo imperauerat, & Cremoris Ptiſſanæ, & vini tenuis aqua diluti ciathos aliquot ægrotanti exhibuerit, vel in ipſa nutriens acceſſione, cuius integrum diſceſſum, plenamque febricitantis integritatem ſi voluiſſet expectare, non tam diu, ut ipſe teſtatur, mors ægrotanti expectaſſet obrepere. Ad hanc igitur euitandam, nulla interpoſita mora, cibauit, ſimulque omnes docuit, non ſolum in ipſa acceſſione, ſed in prima etiam acceſſionis inuaſione cibandos interdum ægros, eos nempe, qui ob calidiorem, ſicciorem que temperiem, ob fluxilem, & facilè diſſipabilẽ ſubſtantiam nequeunt inediæ incommodum ſuſtinere, quippe qui non humorum modo efferueſcentiam, inſignemque calidorum halituum prouentum, & internam quandam quaſi phlogoſim ob ciborum defectum perpetiantur, unde febrium & inchoamenta frequentia, & incrementa fiunt maxima, ſed animi quoq; deliquijs, & præcipitibus uirium lapſibus corripiantur, ac diuexentur. Hos igitur qui fame cruciat, & uel in ipſa acceſſione non nutrit, certus eſt mortis eorum auctor, ad quam obeundam expeditum illis parat, & compendiarium curſum. Hoc idem legimus in duodecimo Methodi, ubi de febribus magnorum genere ſymptomatum comitatis uerba fiunt, & febres præcipuè ſyncopales in examen reuocantur in his corporibus contingentes, quæ tenuioribus affluentia humoribus facilem, inſignemque ſubſtantiæ diſſipationem ſubeunt, quibus quocumque tempore febris cogimur cibum dare, ut ſincopem uel præſentem curemus, uel imminentem arceamus. non enim tantum poteſt febris inualeſcẽs impedire, quantum uirtus concidens alimentum inſinuare. In quocumq; igitur caſu deſtitutæ, & proſtratæ uirtutis ſiue ob intemperiem calidiorem, & ſicciorem uel natiuam, uel aduentitiam, inediæ onus ſuſtinentem, ſiue ob ſyncopis caſum quacumque tandem ratione accedentem, non oportet antiquum ſeruare documentum de cibis in febrium inſultu omittendis, ſed nullo habitu febris reſpectu, nullo facto temporum delectu, nutrimentis eſt manus danda, alioquin uirtus tota euaneſcit, ſine qua nec ulla poteſt eſſe morbi curatio, nec ulla uita ſuperſtes, & qui tunc febri curandæ uult operam dare, non animaduertit ſe curationem tentare cum diſpendio, uel potius exitio auctoris illius, qui curationem omnem molitur, & perficit. Quem quidem auctorem quis neſcit eſſe calorem innatum, ſiue naturam ſuis uiribus nitentem? Quam ideo Hippocrates in Epidemijs uocauit medicatricem,

cem, & Galenus in undecimo Methodi sanitatis causam ostendit arte ipsa, quæ solum ministerium præbet, longè priorem, & potiorem. Hæc igitur nobis præcipuè respicienda uenit, & conseruanda. Vnde Galenus in commentario loci illius Hippocratici, cuius supra fecimus mentionem, de tempore exhibendæ sorbitionis, dicebat hoc quidem tempus ex morbo non prohibente inueniri, sed quantum attinet ad primum uirtutis scopum interdum & per accessionum initia alimoniæ existere necessitatem, sicuti & in sanis, ubi primum in naturalibus euacuationibus quis eò deuenerit, ut propè laborare uideatur, refocillatione est opus. Sed huic præbendæ alimonię necessitati non semper paremus, sed tum solum, cum insuperabilis est necessitas, & periculum est, certumque uitæ discrimen in mora, alioquin nutritionem in commodius tempus differimus, ut ibidem explanat Galenus, cui quidem dilationi nullum relinquunt locum superius enumerati casus fatiscentis, & undique deiectæ uirtutis, ad quam leuandam, & quomodocumque sustinẽdam quocumq; febrium tempore ad ciborum pręsidium, tam quam ad sacram anchoram, confugere debemus, adeo ut uel in primo insultu, uel in summo ardore nedum alia edulia, sed ipsa etiam oua recentia, ipsum etiam uinum suppeditare possimus. Ex his liquet, rectè dictum à Galeno fuisse tempus exhibendæ alimoniæ sumi à morbo non prohibente, quia à uirtute non sumitur indicatio temporis, sed solius exhibitionis alimentorum, quæ administranda, nullo habito temporis delectu, uirtus ipsa suadet, interdumque cogit, & morbus tunc non prohibet, quia eius indicatio obruitur, eius inhibitio obscuratur, & ueluti leges inter arma silent, ut ait ille, ita curatoriæ leges conticescunt inter imbecillitatis arma uirtutem prosternere aggressa.

De Vini usu in febribus putridis indicatione à viribus sumpta.

CAPVT XXIV.



Inum esse liquorem, & succum corpori nostro tum nutriendo, tum curando idoneum, ut ideo & nutrimenti, & medicamenti operam præstet, nemo est uel mediocriter in arte uersatus qui nesciat. nam sæpe apud Hippocratem, & Galenum Lectori sese offert hæc uaria uini consideratio, ut modo eius alteratoria, modo nutritoria facultas in examen reuocetur, ueluti apud Hippocratem in libello de liquidorum usu consideratur ut medicamentum, in tertio de uictus ratione in acutis ut alimentum, & apud Galenum in libris de alimentis, & de Methodo redigitur ad utrumque examen. Nunc dimissa facultate medicamentosa, quę nullam habet cum indicatione uitali propriam cognationem, solam nutritoriam considerandam suscipimus, quam qui à uino remouendam censent (cuius opinionis non defuerunt auctores) hi uidentur nodum in scirpo quærere iuxta parœmiam, & in luce meridiana caligare. nam uinum mixtum ex elementis omnibus conflatum, in quo si materiam consideres, præualet humor aqueus, unde Aristoteles quarto Meteorologicorum illud redigebat ad aquam, quippe quod suę substantiæ fundamentum, & quasi

stratum

habeat aqueum vitis humorem, sed si eiusdem quasi formam considetes, multum habet caloris inclusum extrinsecus accedentis, partim nempè à solo communicati, partim à sole impertiti, vt duplici hoc nomine caleat, mixtumq; euadat humidū, & calidum, humanoque temperamento his qualitatibus gaudenti accomodatissimum, absque vllo dubio in censu alimentorum vinum ipsum est reponendum. nam mixtum illud, quod naturæ nostræ cognatum est, & quodam familiaritatis iure deuinctum, à nostroque calore immutari in nostræ substantiæ similitudinem potest, vero nutriendi priuilegio fruitur, talem autem naturam vino congruere infitiari possit nemo. Nec enim valet illa obiectio, quòd ipsum non crassescat tamquam aquea natura præditum, cuius proprium dixit Philosophus in Meteorologicis non crassescere, quia vel ipso experimento innotescit tantum ipsum à calore incrassationis sortiri, quantum ad præstandam alimoniam videtur requiri. Nec vllos mouere debet celebre illud Hippocratis dictum in fine libri de alimento, quo humidum vocat ὄχημα τῆς τροφῆς, vehiculum nutrimenti, quasi omnis humor, liquor omnis hunc duntaxat vsum habeat, quòd alimentum per se alioquin non permeaturum ob crassitiem per partes nutriendas instar vehiculi, & quasi currus ratione suæ tenuitatis vndequaque perreptantis inuehat, & perducat: hoc, inquam, dictum non debet mouere, quia aquam potissimum respicit, cuius est pręcipua, & inseparabilis proprietas vt humida sit, vt præclare considerat Galenus in primo de simpl. facultate, & hunc fuisse germanum Hippocratici dicti sensum locuples est testis idē Galenus in quarto de Vsu partium. Hùc accedit, quòd vinum considerari potest vt humidum, & vt transmutabile ratione cognationis in nostrum succum. vt humidum habet rationem vehiculi, & confert etiam ad reliquam alimentalem substantiam deducendam, vt transmutabile in nostrum succum habet rationem veri alimenti. Hinc Galenus tum in tertio de temperamētis, tum in eodem de alimentis asseruit vinum tanto celerius nutrire nostra corpora, quanto minorem exposcit mutationem vt vertatur in sanguinem, qui cum magnam obtinet similitudinem; nam verissimum est Aristotelis in secundo de ortu proloquium, in rebus habentibus symbolum dari transitum faciliorem. Quamobrem Hippocrates in libello de alimento velut his, qui tardiori appositione opus habent, solidum proponebat alimentum, ita his, qui celeri appositione indigent, humidum ad resumendas vires dicebat optimum, his autem, qui adhuc celeriori indigerent, ad olfactum confugere suadebat. Hoc iacto fundamento de vi nutrimētali vini, quod nullatenus concuti, conuellique potest, & concedi ab omnibus rectam doctrinæ viam ineuntibus debet, illud statim consequitur, vinum vt materiam alimenti congruam conuenire indicāti virtuti, idem tamen à febri ipsa putrida sæpius prohiberi. nam cum febris hæc & intemperies sit calida, ac sicca, & materiam morbificam habeat sæpius crudiusculam, & cum insigni obstructione coniunctam, non potest admittere vinum vi calefactoria, & exiccatoria præditum, crudioris materiæ agitatiuum, & per fluentium humorum inuectionem amplificandis obstructionibus opportunum. Quòd si

in Epidemijs Hippocrates calidis naturis consulit potum aquam, refrigerationem, quietem, veritus ne vsu calidorum excedens calor accipiat incrementum, labemque maiorem ruitineat: quàto magis hoc prębet consilium febricitantibus, in quibus iàm calor adeo inualuit, vt præter naturalis, promendisq; actionibus ineptus euaserit? Hinc Celsus, quasi alter Hippocrates Latinus, in tertio libro asseruit in acutis præcipuè morbis summouendum statim esse vinum, quod subtractum, plus quam si cibo aliquid dematur, adiuuet. Vinum ergo non conuenit putridis inchoantibus, inualescentibus, & vigentibus febribus, ne ignis addatur igni iuxta Platonis in libris de legibus dictum, Vnde Galenus in septimo Methodi in ipsismet tabescentibus, qui magna indigent, celerique refectione, vini vsum, si febricitent, pertimescit, & in octauo Methodi rerum febricitantis corpus calfacere valentium censum quendam efficiens ipsum etiam vinum enumerat, & in primo de arte ad Glauconem in tertiana febri non statim ad vini vsum accedit, sed expectandam morbi declinationem, materiæq; coctionem qualemcumque proponit, & hoc quidem vel in ipsa febri intermittente, vt hinc suspectiorẽ hunc esse potum appareat non opportuno tempore adhibitum nam, vt præclarè dixit Erasistratus, quę alimenta fortes habent, validasque vires, vt opportunè adhibita miram afferũt vtilitatem, sic intempestiuè vsurpata effatu dignum inuehunt detrimentum. Verumtamen licet hæc verissima sint, incidunt tamen aliquando occasiones, vt quocunque tempore, nullo habito delectu, liceat, ac tuto libeat vinum propinare febrientibus, & hæ quidem occasiones tum obrepunt, cum maximus adest virium languor, maximaque imbeccillitas, celerem, nec leuem refectionem exposcens, vt indicatio vitalis trahat ad se totam Medici cogitationem, & plus ipsa valeat talem alimoniã, cuius materia est vinum inter cætera, indicando, quàm febris hanc vlterioris caloris, & siccitatis, aliorumque malorum ministram prohibendo. nam nisi vires sustineantur, nisi necessaria vsurpetur refectio, repentinus irruit interitus, & omnem adimit curandæ febris ansam, vt sit augere paullisper morbũ tutius, dummodo augeantur vires, & vita melius consistat, & natura quodammodo reuiuiscat, quæ cum sit præcipua curationis effectrix, frustra expectat à ministrantibus causis operam auxiliatricem, si ipsa languet prostrata, atq; fatiscit. Sed quia non omnis virium infirmitas eadem est, nec ab eodem quasi Fonte deducta, verum alia quidem vasorum sequitur inanitionem, alia excrementorum copiam quasi opprimentem, alia demum morbi acumen, & prauitatem, vt licet ex Hippocrate colligere in secundo acutorum, distinguendæ erunt variæ infirmitatum in viribus apparentium species, quia iuxta Hippocraticum dictum cognitæ quidem salutem, ignoratę autem pernitiem possunt afferre. Viribus ergo ob inanitionem languescentibus alimoniæ præsidium est adhibendum, ideoque vinum præbendum, quia corrigenda venit facta substantię dissipatio, & contrarij ope sarcienda præcedens detractio, hoc autem contrarium est adiectio, quæ vino commodius, quàm vllo esculento fieri potest, non solum quia facilius est impleri potu, quam cibo, vt dixit Hippocrates in Aphorismis

(hæc

(hæc enim ratio Galeni testimonio complectitur liquidiora omnia) sed etiam quia vinum celerem facit, paucaque indigentem mutatione nutritionem, vt superius ex eodem Galeno annotauimus. nã cum duo præcipua sint, quæ valdè, repenteq; nutriunt, stillatitius liquor ex capi, alteriusve id genus Auis carne confectus, & ipsum vinum, hoc magis, quàm ille hanc operam nauat, quia vinum maiorem habet cum sanguine similitudinem, & flagrantiorem habet odorem, cuius non exiguam esse vim ad citius nutriendum clara est Hippocratis auctoritas in annotato superius loco libelli de alimento. At si virium imbeccillitas non inanitionis sit soboles, sed grauantis materię, & propemodum opprimentis multitudinis fructus, non eadem adest exhibendi vini occasio, sed vrget potius inhibitio, quia tunc non adijcere oportet, verum detrahere, nec est defectus in necessarijs, sed in superuacaneis excessus, & exuperatio, vt non faciendæ nutritionis, verum moliendæ euacuationis subeunda sit cogitatio. Quod appositè docet Hippocrates in commemorato secundi acutorum loco, & Galenus in duodecimo Methodi, vbi febricitantium ad animi syncopale deliquium examinat propensionem ex varia causa pendentem, quarum altera sit insignis succorum tenuitas dissipandæ substantiæ opportunissima, altera verò eorundem crassities, & copia ad innatum calorem opprimendum, & quasi suffocandum aptissima. Quid si virium languor à febris proueniat prauitate, maloque more? Considerandum erit qualis sit febrilis calor, num intensus, an remissior, & num plus vrgeat febris, an imbeccillitas, & num humores adhuc integrè crudi, an aliquam coctionem sint adepti. nam si feruidus calor, & febris, materiæque cruditas vrgeat prohibendo, abstinendum fuerit à vino, sin calor ipse remissior, licet cum prauo more coniunctus, & vires langueant, humoresque cocti aliquantisper appareant, erit adhibendum vinum, benè tamen lymphatum, non solum quia ad vires refocillandas, & ad meliorem tonum adigendas aptissimum, sed etiam quia compescendæ, coercendæque putredini accomodatum, vt ex Galeno inferius considerabimus, putredinis autem inualescentis effectus est ipsa febris malignitas, vt patet ex eodem Galeno in tertio Epidemiorum. Quare qui putredini repugnat, & reluctatur, malignitatis etiam interrumpit progressum, vt ideo possit vinum in hac vltima virium infirmitate non solum vitam tueri viribus reparandis, sed morbum quoque reddere mitiorem putredine compescenda. Ita fit vt ex triplici specie virium infirmarum in duplici ferè opus sit vino ad reparandam, erigendamq; collabentem naturam vitali indicatione vigente, & curatrici non parum præponderante, vt plus moueat imbeccilla virtus roborans auxilium indicando, quàm febris vim calefactoriam, & agitatoriam inhibendo. nam corruentibus viribus, & ad extremum ferè languorem tendentibus, quolibet febris tempore, siue inchoantis nempe, siue increscentis, siue vigentis, siue declinantis, in quolibet morbificæ materiæ statu, siue tenuis, & crudioris, siue crassæ, & concoctæ vinum venit porrigendum, quia licet alia sint ad nutriendum validiora, vt aqua carnis, & destillatum, & contusum, hæc tamen omnia maiori

naturæ conatu ad necessariam immutationem perficiẽdam indigent, nec ita celerem præstãt alimoniam, quem conatum minus sustinent vires languidiusculæ, quam celeritatem eædem exposcunt euanescentes, vt hoc nomine vinum, quod & leuem exigit transmutationem, & celerem inuehit nutritionem, longè fuerit præponendum.

De cautione seruanda in vino febricitantibus exhibendo.

CAPVT XXV.



IN magna virium infirmitate quomodo febricitantibus vinũ sit porrigendum apparuit. Nunc adijciendum est, quòd si tanta non fuerit uirtutis imbecillitas, & maior appareat urgentis febris indicatio, in aliud erit commodius tempus uini usus differendus, cum ipsa scilicet febris manifestam habuerit declinationem, & hoc quidem tutius in genere intermittentium, & cum succi claram prætulerint coctionis significationem, quia tunc tutior est eius exhibitio non lædentis calore, ubi non magna supersunt febrilis caloris uestigia, non lædentis agitatione, & confusa quadam perturbatione, ubi materia immobilior, & constantior est dominantis naturæ nutum sectata. Quo quidem tempore uinum ualet non modo ad uires fouẽdas, sed ad morbi etiam reliquias profligandas, ut & uitalem, & curatricem indicationem respiciat. Vnde Galenus in octauo de medicamentis secundum loca optimum de uino testimonium perhibuit dicens uinum conuenientissimum esse citra inflammationẽ, aut erysipelas, aut abscessum, aut calidam temperaturam ægrotantibus, quia & nutriat, & concoquat, & roboret, & putrefactioni resistat, & si intemperies ex humiditate facta sit, & frigiditate, eam citra omnem molestiam, & securè persanet. Neq; hic potest aliquis insurgere dicendo, hæc Galeni uerba potius Medicum deterrere à uino porrigendo in febribus, quando quidem excipiunt ægrotantes ex inflammatione, & calida temperatura, quales sunt febricitantes, quia facile fuerit hanc obiectionem diluere partim ex eo, quòd Galenus ibi loquitur de uino sincero, & aquæ experti, quod in febribus non est usurpandum, partim ex eo, quòd intelligit calidas intemperaturas uigentes, & præ sui uigore negotium facessentes, quales non sunt in febribus declinantibus, præcipuè si fuerint enumero intermittentium, in quibus cum magno ægrorum commodo licet uinum propinare, ut ideo Galenus in primo ad Glauconem tertianæ exquisitæ curationem proponens asserat ægrotantes, antequam concoquatur morbus, à uino prorsus arcendos esse, sed ubi concoqui cæperit, tenue, & aquosum, & paucum ab initio esse dandum, & cum proximus est solutioni, copiosius. In cuius explicatione sententiæ eruditissimus Stephanus Atheniensis prudenter notat in potum proponi non aquam, quæ in Hippocondrijs morando alioqui nocet, sed uinum, quod ob celerem distributionem potest tum excretiones uniuersas prouocare, tum facultates roborare, tum succos in bonam temperaturam transferre, dum ipsum in sanguinem conuertitur, & inutiles materias exonerat, ac transmutat, non dandum tamen

eruditatis tempore, quia tunc materias fundendo obstructiones auget, sed post concoctionem, vt memoratas res efficiat, illa seruata cautela, vt tenue sit, valdeque lymphatum, non antiquum, nec natura calidum, & album potius, quàm nigrum. Quo in loco animaduertendum venit Galenum timidiusculè ad vini vsum accedere, quia tertianam exquisitam susceperat curandam, quæ non cadit nisi in calidissimas naturas, quibus vini potionem aduersam esse testatur in Epidemijs Hippocrates, vt diximus, at in minus exquisitis, & spurijs tertianis, vbi calidiores succi frigidiorum miscella restitutionem quandam sunt nacti, audentius vinum innuit præbendum, cum in eis victus rationem eam laudet, quæ vi quadam calidiori fit, & secantiori prædita sed in vndecimo Methodi vel in ipsis continuis, quas vocat synochos, vinum putat concedendum; nam cum proposuisset in his febribus moliendas euacuationes per vrinam, per aluum, per sudorem, interdum etiam per vomitionem, adiungit post euacuationem totius corporis licere vti medicamento aliquo, cui calor tepidus insit ad rarefaciendum, & in hoc tempore si vinum quoq; aquosum bibatur, id omnes vacuationes promouere. Et paullo post in eodem capite vinum consulit non modo vt materiam remedij curatorij, seu pręseruatorij, sed etiam vt vitalis, per accidens tamen ad morbi sanationem collaturi, quatenus vinum vires potest restaurare, & facultatem concoctricem excitare, & firmare, quæ & alterare valet, & concoquere, & vtile reddere quicquid putrescentium in corpore humorum veluti semiputrescens, seminalumque est. Vnde apparentibus signis coctionis non solum Balneum laudat, vel medicamenta habitum rarefacientia, vel aquam frigidam, sed ipsum etiam vinum. nam si vires validę, & febris ardentissima cum signis coctionis euidentibus, frigidæ potionem audacter suadet, at si vires non validæ, & febris mediocris cum notis concoctionis, balneum proponit, & vnctiones rarefactorias, & vini potionem. Quam tamen censet omittendam vbi nec notæ adsunt coctionis, nec vires validę, ea ductus ratione, quòd desperata tunc sit ęgrotantis salus, & imprudentis consilij sit apud vulgum infamare præsidia quæ multis fuere saluti. Quod quidem Galeni dictum ita debemus interpretari, vt in morbis ad certam mortem tendentibus nullo vtamur remedio, sed solo præsagio ad nostrę existimationis tutelam, vel saltem non vtamur nisi præuia protestatione futuri euentus, quę sola tueri potest artis, & Artificis dignitatem; vt consilium de omittendis præsidijs omnibus tradat Galenus potius vt securum faciat medicum à calumnijs, quibus nimiū viuit obnoxius, quam vt eum deterreat à tentandis remedijs, quæ aliquando præter omnium expectationem ægris vel deploratis fuere saluti. mira enim est varietas, & incredibilis inconstantia euentuum in morbis apparentium, vnde coniecturalis manat artis natura, quam ideo Plato in Epinomide vocauit artem incertis coniecturis, opinionibusque procedentem, in qua, vt dicebat Celsus, obrepit aliquando deceptio tùm in his, quæ pestifera, tum in his, quæ salutaria sunt, vt interdum conualescant qui certo videbantur morituri, & moriantur, qui pro comperto iudicati sunt conualituri. Alioquin crudelis fuerit quodammodo hominis

ægrum

ægrum vel in extremo ſitum periculo deſerere, & ad corporis afflictionem animi etiam moleſtiam eidem adiungere omnibus ſe præſidijs deſtitutum videnti, & ſe quaſi Philoctetem in Lemno ſoli morti aduenturæ relictum conſideranti. Galenicum ergo illud præceptum quærit quid Medico conueniat, non quid ægro commodum ſit, cui magis conducit aliquod tentari præſidium, quàm nullum, & quem conſtat confidentia repleri dum auxiliares Medici manus experitur, vel quocunque modo eas ſibi admoueri ſentit, vel ſi incurabili ſe morbo laborare agnoſcat, vt ait Hippocrates in libro Præceptionum. Adde, quod Galenus in morbis deploratis non laudat vinum vt remedium curatorium, quatenus coctiones, & euacuationes poteſt promouere, non improbat vt præſidium vitale, quatenus vires collabentes poteſt aliquatenus ſuſtinere, & vitam diutius tueri. eſt enim Galenica propoſitio ſæpius in libris Methodi repetita in concurſu duarum indicationum, vitalis, & curatoriæ, ſi prima magis vrgeat, eſſe illi incumbēdum, altera contempta, quia prima vitam conſeruat, cui conſeruandæ omne præcipuum eſt impertiendum ſtudium. Quare languentibus omnino viribus etiam cum cruditate ſuccorum non debet vinum omitti, quia licet non poſſit adhiberi tamquam præſidium profligandi morbi, debet nihilominus tamquam materia celeris, probæq; alimoniæ ad retinendam vitam accomodatiſſimæ. Hac de cauſa credendum eſt Hippocratem in tertio acutorum vel in ipſis morbis acutis, in quibus adſit ſuſpicio de inſigni vel capitis grauitate, vel mentis læſione, non ſolum proponere aquæ potionem, ſed vinum etiam aquoſum concedere, flauumque & prorſus inodorum, ea ſeruata conditione, vt poſt eius potionem aquæ exiguum ſuperbibatur, vt vini potentia caput, mentemque minus tentet. nam quis non videt, quod vrgente capitis dolore, imminenteque mentis hallucinatione vinum non conuenit, magna euaporandi vi præditum, vt docet quartus Meteorologicus, ideoque ad caput replendum, deliramentaque inducenda peropportunum? Et ſi vllum tempus, in quo non conueniat eius vſus, ſi vllus affectus eſt qui eundem vſum prohibeat, tale quidem tempus eſt hoc, talis affectus eſt propoſita capitis diſpoſitio, & ad delirandum propenſio. Sed nihilominus præbet vinum Hippocrates ſaltem aquoſum, odoriſque omnis expers, & euaporatoria vi deſtitutum ob inſinuatam cautelam, quia conſiderat vires interdum adeò langueſcere, ac deprimi, vt per aquæ potum multa incommoda ab eo relata præſtantis magis, magisq; euaneſcant, & ſolo propoſiti vini quaſi fulcro ſuſtineri valeant. Verum quia magnus eſt metus, ne grauiſſima illa ſymptomata inualeſcāt, non exhibet vinum generoſum, at oligophorum, & ſuapte natura aquoſum, ac tenuiſſimum, nec exhibet ſolum, ſed cum conſequente paucula aquæ potione. Quaſi dicat Hippocrates in omnibus acutis morbis, vbi nulla eſt vel de capitis grauitate, vel de mentis læſione ſuſpitio, vinum pro potu eſſe aquæ præponendum, quādoquidem in caſu horum etiam ſymptomatum liceat vti vino tenuiſſimo, cuius potionem excipiat aquæ ſorbitio. Vnde Galenus in octauo Methodi colligebat ex Hippocrate in libris acutorum non diarijs modo febribus, verum

etiam

etiam acutis vinum esse dandum. Vinum (inquit ibi Galenus) ipse conscius es omnibus me eiusmodi naturis concedere, sed quod tum aspectu. tum viribus sit aquosum. id enim ad omnia vtilius, quàm aqua est, vtpote quod & concoctiones iuuet, & vrinas, ac sudores prouocet. Constat autem & Hippocratem nõ in diarijs modo febribus, verum etiam in acutis, ex his, quæ de acutarum victu prodit, vinum dare. Hæc Galenus, qui statim sententiæ in Epidemijs scriptæ de uino calidis naturis vetando satisfacit dicens, quòd dum calidis temperamentis proponit Hippocrates refrigerationem, aquæ potionem, quietem, vberiorem aquæ, quam vini copiam ipsis consulit vsurpandam, vt aquæ nomen non puram & simplicem aquam, sed paucissimo vino comitatam, vt uinum transeat in nomen aquæ uideatur insinuare. Quam quidem interpretationem non solum in octauo Methodi, sed in commentario etiam illius propositionis Epidemicæ affert in medium Galenus. Hãc quidem paucissimam uini portionem multæ aquæ adiunctam si reuocauerimus in examen, illud forsan optimo nixi fundamento constituemus, nullum esse febris tempus, nullam ferè materiæ morbificæ dispositionem, in qua non liceat tali uti potione; quia hæc uim habet humectatoriam, atque adeo refrigeratoriam, ut docet Galenus in libro de cibis boni, & mali succi, in commentarijs secundi, ac tertij de uictu acutorum, ac sexcentis alijs in locis, & non solum humectat, ac refrigerat, sed quoquo etiam pacto nutrit, bilem coercet, ac temperat, uerum euadit nutrimenti uehiculum, mæstitiam pellit, & morositatem, quas maximè excitat, fouetque aquæ potio. De quo perbellum habemus uel apud ipsum Demosthenem testimonium, qui se in Philippicis tuetur aduersus inimicorum conuitia, illud sibi præter cætera obiectantium, quòd tamquam abstemius, & aquæ potator morosus esset homo, moribusque difficillioribus, & asperioribus præditus. Cuius quidem euêtus rationem colligimus ex his, quæ ad aquam improbandam memoriæ mandauit Hippocrates in tertio acutorum, ubi inter cæteras prauas ipsius conditiones annotat ipsam esse biliosissimam omnium, ac tardè permeantem hærere hypocondrijs, & uiscera tumefacere, ut necessarium sit magnum fieri melancolici humoris prouentum, in quem bilis humorem facessat, magnum fieri uaporum tenebricosorum ad cerebrum ascensum, tristes cogitationes, morositatisque plenas inuehentium. At uini diuersam uim quis non nouit? cuius usu non aliter animorum durities emollescit, ac ferri durities igne, ut est apud Platonem in libris de legibus, ubi etiam legimus uinum fuisse donum Deorum humanas ærumnas miserentium, ut esset qualecumque lacessentium curarum leuamentum. Et fuit præclarum Stoici dictum uel ipsius Galeni testimonio in libro de symphoriia morum, ac temperamentorum, ut lupinos aqua maceratos amarorem, sic animos humanos uino percitos deponere mærorem. Hinc in eodem libro Galenus admiratur consilium Homeri inducentis in Odyssea Helenam profitentem arcanum quoddam de succo in uinum immittendo, quo uim animi lætificandi acquireret, admiratur, in quã, Galenus hoc consilium, quòd nihil sit uino opportunius ad mentem exhilarandam, nihil accomodatius, in

quo

quo confirmat Psalmographi dictum asserentis uinum lætificare cor hominis. Verum quanti referat cordis exhilaratio ad pellendos morbos infestantes locuples est testis Galenus in primo de sanitate tuenda, & in libello de parua pila, ubi multos ex animi solo mærore in grauissimas incidisse ægritudines testatur, multos ex sola lætitia ex alijs grauissimis euasisse. Erit ergo portiuncula uini plurimę aquę iniecta quasi Helenę Nepente, quod potionem reddet exhilaratoriam, & cogitationum tristium quasi nebularum depultricem. Nec uenit hęc potio eo nomine pertimescenda, ac prætereunda, quòd possit materias exagitare, & ante apparentem coctionem sudores, & urinas ciere, ante congruam totius corporis euacuationem humoribus impetum prębere, & obructiones in partibus maiores efficere, quia hęc prętari non possunt à potione omnino ferè aquea, perexiguam uini portiunculam continente, quę non tam gustatum titillare, quàm aquam ualeat corrigere. In hac tanta aquę copia delitescit uis uini, licet possit aquę impertire quędam commoda, abolere eius damna, & quędam suę beneficæ naturę uestigia relinquere. nam Galenus in commentario tertij acutorum miris laudibus effert uinum aquosum, quod etiam oligophorum, seu pauciferum dicitur, pro febrientibus, quod ab Hippocrate ibidem uocatur album, tenue, pauciferum, & inodorum, cui soli datum esse affirmat Galenus, ut tum aquę, tum uini mala effugeret, quia secundum ipsum est quasi aqua, quę paullulum sit terrę, calidęque substantię particeps, cui non fuerit opus ad horum unionem multa ope. Hoc ergo febricitantibus permitrit, & iucundissimum uocat. Dices hanc permissionem fieri suppositis supponendis conditionibus, ut non sit febris incipiens, non sit materia excrementitia uberior, non crudior, respondeo has conditiones exigi à Galeno ad usum uini pauciferi cum pauca aquę portione, quia adhuc potest esse suspitio calefactionis alicuius, atque adeo agitationis, sed cum uinũ hoc pauciferum multa diluitur aqua, cessat, & euanescit omnis suspitio, quia ipsum fractum, infirmumque & ad potum inutile reddi affirmat Galenus, si multa fuerit aqua dilutum. Vocat autem inutile ad potum tamquam uinum, quia non retinet incolumes uini proprietates. Hoc modo uti uino est uidere potius, quam potare uinum, ut dixerunt Medici quidam Galenum conspicati seni cuidam ægrotanti quotidie uinum aquosum exhibentem, & uini minimum aquę ipsi instillantem, ut legimus in commentario tertij acutorum. Quę quidem minima uini portio est iuxta dictum Galenicum excitatio quędam, quę ad distributionem aquam trahat, ut dumtaxat aquæ tollatur sinceritas, non autem aqua uinum euadat. Quis hanc miscellam audeat arguere? non enim potest calorem inducere, sed uim potius habet refrigerandi, ut affirmat sępius Galenus in illo tertio acutorum, imo Hippocrates in tertio de morbis uarias potiones adducens refrigeratorias aquam proponit cũ perexigua uini chij portione permixtam, nec potest proposita illa potio, de qua loquimur, materias agitare, & humorum confluxum excitare ad obstructiones augendas, sed potest potius aquę moram in hyppocondrijs contingentem remouere, ex qua mora & bilis potest augeri prouentus,

tus, & viscerum fieri tumor. Ac mihi quidem hac de re cogitanti venit in mentem admirari, quomodo Medicorum aliqui vereantur exiguam vini portiunculam in multa aquæ copia febrientibus exhibere, materiæ agitationem, celeremque & intempestiuam distributionem suspicati, & audacter tamen aquam exhibeant vel cinamomo, vel succo limonum alteratam, vnde maiorem fieri ad vias vrinarias deductionem dubitauerit nemo. Hæc ita se habentia clarè ostendunt quid statuere debeamus de vsu vini in febribus putridis ex Hippocratis, & Galeni mente.

De Varijs gradibus vini in febribus putridis exhibendi.

CAPVT XXVI.



VT hæc, quam habemus pre manibus, innotescat magis, ac dilucidior fiat vtilissima materia, & curiositatis plena, non abs re fuerit Vini potionem in tres quasi gradus distinguere, in quorum primo sit vinum parum dilutum, in secundo vinum & sui natura aquosum, & valdè dilutum, in tertio idem vinum aquosum dilutissimum. Vini potionem primi gradus non admittũt, nec exposcunt febricitãtes, nisi cum vrget virium infirmitas, & indicatio vitalis præponderat ob imminens periculum vel syncopis, vel alterius id genus dissolutionis, quo nomine Galenus in duodecimo Methodi non timidum in propinatione vini se præbet, & hæc propinatio virium languori debita non certum requirit tempus, sed omni morbi tempore fieri potest. Potio secundi ordinis, hac non vrgente indicatione, exhiberi potest euacuato corpore, & apparentibus coctionis signis, quia ad omnia vinum vtilius aqua, vt octauo Methodi dicebat Galenus, & ad coctiones iuuandas, & ad euacuationes promouendas. Potio tandem tertij gradus quocumque morbi tempore vsurpari potest, quia est potio quasi aquea omnino, sed non habet incommoda insignia aquæ sinceræ, quæ fuit correcta, & ad meliorem quandam frugem redacta instillatione paucissimi vini, vt eodem instillationis vocabulo vtar, quo vtebatur Galenus ad insinuandam paucissimam vini adiecti portionem. Quare si aliquando Galenus inhibet vini vsum in putridis febribus, nobis dicẽdum videtur non inhiberi potionem huiusce tertij gradus, sed reliquorum, quia hanc tertiam numquam vel pertimuit, vel pertimescere potuit, quinimo audacter semper vsurpauit, & huic potioni aquæ nomen attribuendum putauit, vt patet in explicatione sententiæ Hippocraticæ de aqua calidis naturis consentanea, cuius supra fecimus mentionem. Et quia hęc potio euadit aliquantisper nutritoria ob illam qualemcunque vini adiectionem, cuius absentia eandem relinquit alitoriæ facultatis expertem, ideo in gratiam etiam virium, quarum semper habenda ratio in his febribus, huius propinandæ suscipitur cogitatio. Quam quidem rem hoc præcipuè tempore considerandam accepimus, quippe qui non tàm medicamentosam, quàm alimentalem vini facultatem in examen reuocemus. Qua quidem facultate maximè opus est cum vires languent, & fulcrum exposcunt, & præcipuè in ætate senili, Vnde Galenus in tertio illo de victus ratione

tione febricitanti seni, vt diximus, quotidie se vinum hoc pacto præbuisse confirmat, & dum dicit quotidie, omnem morbi progressum complectitur, nullam eius diem, nullum statum excludit. Sed hæc indicatio etiam cum vires consistunt est ponderanda, quia semper in putridis febribus aliquid labis contrahunt, & omni studio conseruandæ veniunt, & à maiori, quàm deceat, casu muniendæ. Quarum etiam animaduersio facit, vt non modo ob imbecillitatem, sed etiam ob confirmatam consuetudinem ad vinum febrientibus concedēdum toto morbi progressu accedamus. nam qui ab aquæ vsu abhorrent, & vinum potare assiduè sunt assueti, nec mutationem admittere sustinent, his nullatenus imperanda venit vini abstinentia, quia hæc omnem naturæ æconomiam in his euertit, vires labefactat, & ad extremam ægros infirmitatem deducit. Non negligenda ergo, sed maximi facienda vetus, confirmataque consuetudo, cuius quantum sit momentum vberrimè explicat Hippocrates in secundo de victus ratione, vbi hanc etiam à vino ad aquam, vel aqua ad vinum mutationem examinat, vnde in primo Aphorismorum quomodo à consuetudine sumatur indicatio explicuit per celebrem illam sententiam, Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè vero pueris, & alijs, qui tali victu vti consueuerunt. Vbi triplex proponitur indicatio vsurpandi victus humidi in febrientibus, prima à morbo, secunda ab ætate, tertia à consuetudine, & quia morbus est quid præter naturam, & præternaturalia sunt contrarijs corrigenda, iure contrarietatis conuenit victus humidus in febri, quæ est intemperies calida, & sicca, sed quia ætas puerilis, & consuetudo sunt res naturales, & istæ similibus sunt fouendæ, ideo iure similitudinis ob istas febrientibus hunc eundem humidum victum adiungimus; vt prima indicatio sit curatiua, reliquæ duæ sint vitales; quatenus viribus conseruandis, in quibus vita consistit, intentæ. Hinc Galenus in nono Methodi magnam indicandi vim consuetudini defert, & in octauo examinat præfatum Hippocratis aphorismum docentem indicationes colligere tùm à morbo contrariorum, tum ab ætate, & consuetudine similium, quatenus & ætas, & consuetudo similem sibi exposcunt victum, & à consuetudine semper similium indicationem statuit præberi quousque ęgrotant homines. Et quamuis indicationes quę à febri, à temperamento, ab ætate, à consuetudine, ab alijsque id genus colliguntur inter se interdum discrepantes, inuicem conferendas proponat ibi Galenus, & primas potioresque partes indicationi à febri exortæ videatur deferre, tamen si habeatur ratio consuetudinis, cuius contemptus sit absoluta virium labefactatio, non possumus cum eius methodo negare huius indicationem esse præponendam, quia huic repugnare consuetudini est naturæ reluctari, cui qui aduersatur, vult more Gygantum, vt ait ille, altercari cum Dijs, & dum consuetudinē destruit, destruit naturam, & vires pessumdat, sine quibus non potest vita consistere.

Quod consuetum est (inquit Galenus loquens de somno in commentario secundi Prognosticorum) id bonum est, inconsuetum verò malum, vt maioris facienda videatur consuetudo, quàm natura, quia consuetudo etiam est altera natura, vel


ſaltem naturæ ſimillima, vt dixit Philoſophus in ſeptimo ęthicorum, hæc præclara eueni adducens carmina.

Temporis hanc multi curam affirmamus, amice,
Postremamq; homini naturam dicimus eſse.

Hinc diuidere poſſumus naturam in originariam, & aſcititiam, vt colligitur ex Galeno in Vndecimo Methodi, & conſuetudo inducit naturam præſentem, & præſenti tempore vrgentem, quam ideo Euenus rectè vocarit poſtremam hominis naturam, quę originariam quodam modo obſcurat, & quaſi delet. Vnde mirum videri non debet, ſi tantum venit condonandum conſuetudini, vt vel huius conſideratio ſolius ſatis eſſe poſſit ad vinum febrientibus præbendum, cum nempe adeo inualuit, vt ſemper vſi fuerint vino, numquam perferre potuerint aquã, vel aliam potionem, quam qui pertinaciter eis præbet, vniuerſum ventriculi tonum ſubuertit, vt ingeſtos cibos non modo non concoquere, ſed ne opportuno etiam tempore valeant retinere. Redigitur ergo hæc indicatio ad vitalem, quippe quæ virium conſeruandarum curam ſuſcipiat, quas, neglecta conſuetudine, collapſuras euidenter appareat.

De Ouorum vſu in febribus putridis.

CAPVT XXVII.



Via ſuperius diximus & vinum, & oua recentia interdum febriẽtibus vel in primo acceſſionis inſultu vtiliter exhiberi, veluti de vniuerſo vini in febribus putridis vſu multa hactenus diximus, ita nunc aliqua communiter de Ouis dicamus, ac eo quidem magis, quod multis etiam doctis viris horum in febricitantibus adminiſtrationem ſuſpectam eſſe non ignoramus. Neque verò in hoc propoſito illud dicam, quod Galenus in Vndecimo de ſimplicibus medicamentis conſiderat, oua non eſſe partes animalium, ceu nec arborum fructus, nec grauidarum fœtus, ſed proportione reſpondere his, quæ agnaſcuntur, & cum agnata quædam aliena ſint, quædam familiaria, & propria plantarum, & animalium, ex hoc ſecundo gnere eſſe oua inſtar fœtuum ad generis ſucceſſionem, perpetuitatemque facta, hæc, inquam, & alia huius farinæ non attingam, quia non eſt mihi propoſitum ouorum hic naturam indagandam, enucleandamque ſuſcipere, ſed eorum dumtaxat in propoſitis febribus legitimum, & rationi conſentaneum vſum aperire. Illud potius adducam ex eodem Galeno in tertio de alimentorum facultatibus, ouorum triplicem eſſe præcipuam differentiam, primam quidem penes propriam ſubſtantiam, quia Gallinarum, & Phaſianarum ſunt præſtantiora, peiora anſerum, ac ſtruthocamelorum, ſecundam penes tempus, quia vel vetera ſunt, vel recentia, tertiam penes cocturæ modum, ſecundum quem alia diutius cocta fuerunt, alia ad mediocrem vſque conſiſtentiam, alia dumtaxat excalefacta, vt alia cocta, alia tremula, alia ſorbilia nuncupentur. Medicorum quidem de gallinaceis potiſſimum ouis ſermo eſt, quia phaſianarum magna eſt inopia, Gallinarum copia, ideoque infrequentiſſimè illa, frequentiſſimè hæc vſurpan-

pantur, & non veterum, & longo prius tempore natorum ouorum, sed recentium habetur examen, quia vetustiora malam præbent nutritionem, & sunt ad subeundam facilè corruptelam disposita. Et ad cocturam quod attinet, sorbilium præcipuè, ac tremulorum habenda venit in febricitantibus ratio. Gallinarum ergo oua cum ex duplici substantia instar cæterorum constent, albumine scilicet, & vitello, temperaturam habent parum à simmetro dissedentem, quia albumen frigidiusculum quodammodo est, ideoque ad calidiores affectiones demulcendas peropportunum, ipse autem vitellus non tantam habet vim refrigeratoriam, nec tamen effatu dignam calefactoriam. Vnde Galenus in Vndecimo illo de medicamentis simplicibus eiusdem ferè naturæ vtramque substantiam dixit, parum à simmetria recedentem, quia vtraque substantia sanguinea est, magis, vel minus alterata, maiorem, vel minorem elaborationem à naturali calore nacta, ideoque difformem etiam colorem adepta, vtraq; præter calorem propriæ temperaturæ viuificum quendam calorem includit, vnde animalis fit generatio, eiusdemque nutritio, vt docet Aristoteles in primo capite tertij de generatione animalium, qui in hoc tamen dissidet à Medicorum sententia, quam Hippocrates express sit in libro de natura pueri asserens ex oui vitello nasci pullum, ex albumine nutriri, quòd ipse albumen facit materiam animalis generandi, vitellum escam nutriendi, vnde calidiorem substantiam vocat albumen, tamquam animali calore refertum, frigidiorem statuit vitellum, in quo multum terrenę naturæ contineatur. At Galenus Hippocratica sectatus vestigia aliter sentit, & experimento magis consentit, Hippocraticis verbis insinuato, facitque oualem naturam temperatam, tamquam recentem, nec multum immutatam sanguinis sobolem, cuius sanguinis proprietas est ab extremis qualitatibus recedere, & simmetram constitutionem attingere, vt legimus in libro, & in commentario libri Hippocratici de humana natura, quo etiam nomine veri similis temperiem æqualem possidenti censetur, in hac tamen temperie albumini maior ad frigidum propensio, vitello maior ad calidum attribuitur, & in primo viscidior quædam conditio, in secundo friabilior agnoscitur, in vtroque ob magnam cum sanguine cognationem bona ad nutriendum dispositio constituitur, vt præclarè considerat Galeni pedissequus Auicennas in secundo libro tractatu secundo instituta de Ouis oratione, quibus temperiem moderatam attribuit frigidiusculum albumen, calidiusculum efficiens vitellum, ut hæ duæ substantiæ alteram sibi præstent operam, & altera alterius qualemcumque à moderato compescat, coerceatque declinationem. Cuius etiam Auicennæ illud est celebre dictum, oua tantum habere nutrimenti, quantum habent ponderis, quasi uoluerit dicere oua esse ex eorum ciborum censu, quæ plurimum habent alimenti, parum, uel nihil excrementi. Quo in proposito memoratu digna sunt illa Galeni uerba in octauo Methodi de nutrimento febricitantibus biliosis, & gracilibus exhibendo hæc proferentis. Sanè illud non latet & boni succi, & exquisita debere esse quæ his exhibentur nutrimenta, non tamen

men ea, quæ boni ſucci, propterea quòd exiguum huiuſmodi ſubſtantiæ in ſe habent, nominentur, ac nutrire nequeant, imo quòd vtile plurimum in ſe contineant ſunt namque & maluæ, & braſſicæ, & betę, & lactucæ, ac denique omnia olera, & fructus nutrimenta, cum ſubſtantia in his habilis ad alendum contineatur. Verum ſicut in his exiguum eſt quod nutrit, non exiguum quod eſt inutile, ita in pane puro, & ouis, & carne, & alica plurimum eſt quod nutrit, minimum quod eſt inutile. Ex quibus Galenicis verbis colligitur bonam eſſe ouorum alimoniam, & adeo plenam, vt tantum ferè nutriant, quantum ponderant. Hinc etiam Celſus in ſecundo ſuæ Medicinæ oua facit valentiſſimæ materię, ad quam id omne edulium redigit, in quo plurimum ſit alimenti. Quæ ſententia fuerat prius Hippocratis hæc de ouis in ſecundo de diæta ſcribentis. Volucrum oua validum quid, & nutriens, & inflans habent, validum quidem, quia animalis generationem continent, nutriens verò, quod hoc in pullo lactis rationem habeat, inflans autem, quia ex parua mole in multam diffundantur. Sic breuiſſimè ouorum vim explicuit validitatem deducens ex eo, quod ſubſtantia, quæ animalis poteſt eſſe conſtitutiua, multo magis poteſt eſſe refectiua, & quòd animalis conſtitutio opus eſt multi caloris, & multorum ſpirituum, nutritionem ex eo, quod lacteam continet naturam ad pullum alendum aptiſſimam, facultatem inflandi ex eo, quod ex paruis dimenſionibus diffunditur, ac diffluit in magnas ob copiam ſpirituum contentorum diffuſionem illam efficientium, quam ouorum diffuſionem Ariſtoteles etiam in tertio illo de generatione conſiderauit. Nec tamen hæc ſpirituum cum calore affluentia iuſto calidiorem facit ouorum ſubſtantiam, quia ſpiritus illi ſunt naturales, & calor ille viuificus, & naturali ſubſtantia copioſus, qualitate nõ acris, ſed potius mitiſſimus, & ad mirificũ quoddam qualitatum æquilibrium redactus. Ex his patet Euchimum cibum eſſe ab ouis petitũ, nec huic veritati repugnat Alexandri Tralliani dictum in octauo libro de iecoris inflammatione loquentis, & oua à ciborum cenſu remouentis, quia craſſi ſint ſucci, & flatuoſi; nam ibi Trallianus conſideranda ſuſceperat tenuis ſubſtantiæ edulia, qualia non ſunt oua ratione ſaltem albuminis craſſiorem ſibi conſiſtentiam vindicantis, vitello quidem tenuiori exiſtente, paucam præſertim coctionem adepto. Conuenient ergo in febribus putridis & ratione febris, & ratione putredinis, ratione febris, quia vim habent refrigeratoriam, Vnde Galenus in ſecundo de medicamentis per loca cibos refrigerantes in dolore capitis ex ebrietate proponens, oua adducit in medium, & Auicennas Fen prima tractatu ſecundo libri tertij ad eiuſdem curationem affectus inter cibos refrigerantes vitellum oui recenſet. Qui quidem vitellus licet vergat, vt diximus, ad calidum, quia tamen calorem habet tepeſcentem, calidiores temperaturas poteſt demulcere, tepidioribus rebus magis interdum refrigerantibus, vt in nono lib. Trallianus de Nephriticis affectibus loquens conſiderat, qui etiam Trallianus inibi inflammatione renum laborantibus victum inſtituens inter cætera cibaria conſulit oua gallinarum cohortalium tepida, & molliſſima. Ego ſanè (ait ipſe) noui quendam, qui oua quamprimum eſſent

poſita,

posita, sorbebat citra coctionem, dicebatque se plurimum adiuuari, & rosiones, ac dolores, qui circa vesicam oriebantur, mitiores fieri, vt ferre posset, affirmabat. Ex quibus verbis duo nimirum colligimus, alterum est, vim refrigerandi ouis sponte sua inesse, alterum hanc vim, vbi minor, vel nulla adhibetur coctio, magis erumpere, & elucescere. Ratione etiam putredinis conuenire possunt oua & quà refrigeratoria ad compescendam putredinem, & quà Euchima ad emendandam succorum corruptelam, nam vt acutè animaduertit Celsus in tertio libro, non caret illud ab Heraclide Tarentino dictum ratione, vbi aut bilis ægrum, aut cruditas malè habet, expedire quoque per medicas potiones (addamus nos & sorbitiones) misceri nouam materiam corruptæ. Cui alludens placito Galenus in commentario decimoseptimo primi Aphorismorum illam præclaram regulam protulit, ab humorum defectu exigi adiectionem, à corruptione verò contemperamentum, quod à probis edulijs prouenire constat, & vnde melius contemperamētum prouenire possit, quàm ab ouis temperaturæ mediocritatem nactis? Ac veluti facultate refrigeratoria conueniunt febribus putridis oua, ita facultate humectatoria conuenient omnibus ferè febribus, habita ratione Hippocrati præcepti victum humidum febricitantibus imperantis, quam humectationem ouorum etiam esse propriam locuples est auctor Galenus in libello de Ptisana, cui consentit Auicennas non solum loco superius commemorato, sed etiam in libro de viribus cordis tractatu secundo. Hac quidem ratione hic cibus febribus omnibus conueniret, nisi illa intercederet consideratio, quod quædam sunt febres ex nimia plenitudine ortæ, quæ ideo oua tamquam nimis nutrientia respuunt, & victum potius apprimè attenuantem exposcunt, quales sunt synochæ siue putredinem expertæ, siue putredinis expertes, & quales illæ omnes, quæ adiectione non egent, sed potius detractione. nam cum adiectione est opus vel ratione causæ morbificæ, vel ratione virtutis infirmæ, nulla est febris quę ouorum exhibitionem renuat. Hinc Galenus in primo ad Glauconem in curatione febrium tertianarum exhibet audacter oua, & exhibet tamquam refrigerantia, & humectantia alimenta, tantum abest, vt eorum pertimescas in biliosos humores conuersionem, quæ cogitatio multis ad pauca respicientibus negotium facessit, quos non ineptè vocare possumus ᾠοφόβους Galenum imitati, qui in Methodi nono sanguinis mittendi timidos vocat αἱμοφόβους, & frigidæ exhibendæ formidantes ψυχροφόβους. Horum pellere ridiculum timorem deberet clara Galeni aliter statuentis auctoritas, qui in duodecimo etiam Methodi biliosis febribus laborantes, & in syncopim propensos ipsis Ouis, & præcipuè vitellis nutrit, quod facit etiam Trallianus in ardentium febrium curatione, asserens lactucæ caules refrigerantes, oua, similiterque intybum agrestem, & domesticum, & cucurbitas his, qui perardenti febre laborant, omnia conducere, quibus verbis insinuat vini quandam refrigeratoriã, & humectatoriam ouis se impertire. Quam quidem vim in vitellis potissimum vigere contendit Auerroes in commentario primi capitis tertij de generatione animaliũ vel eo fundamento suffultus, quia extra vitellus citius corrumpitur, quàm albu-

albumen, & quia animalium frigidorum oua plus habeat de vitello, quàm de albumine, adiungitque Medicos vitellum vocantes calidiorem albumine, id non secundum seipsum, sed respectu corporis humani affirmare, quia nil vetet aliquas res esse calidiores alijs, cum tamen sint frigidiores in relatione ad corpus humanum, vt exemplum habemus de vino nouo, & veteri, cum nouum sit absolutè calidius veteri, sed respectu hominis hoc illo calidius. Verum hanc Auerrois explicationem non facilè admiseris, quia Hippocrates, & cum eo Medici calidiorem simpliciter faciūt vitellum, vt substantiam generationi auis destinatam, non nutritioni, vt existimauit Aristoteles, faciunt tamen eundem refrigerandi vi præditum vt ad humanum corpus relatum, & alimenti vicem subiturum, quam tamen refrigerationem retinet vitellus etiam calidiusculus existens, quia, vt diximus, tepidiusculus est ille calor ad inducendum contemperamentum aptissimus. Illa verò consideratio Auerrois magni æstimanda, quam facit in Quinto colliget, asserens oui vitellum esse meliorem albo, nec album esse valdè malum, nisi nimis sit coagulatum, & conquassatum, ac tremulum existēs fieri valdè bonum, vt Galeni dictum in duodecimo Methodi albumen ægrè concoctile vocantis trahi ad bonum sensum possit, & colligi regula corrigendi defectum in albumine existentem per miscellam albuminis cum vitello perexigua adiecta coctione. Quòd si magis libeat mordicus Galenica verba retinere, separato albumine, vitellus erit tutissimus, & vtilissimus pariter in febribus putridis non solùm cum vires collabentes subsidium citum exposcunt, sed alijs etiam temporibus, dum non subest nimiæ inducendæ repletionis metus in febribus cum plethora coniunctis, dum non exigitur inedia in acutissimis febribus, quibus exceptis, reliquæ omnes, & præcipuè longiusculæ ouorum alimoniam & commodè excipiunt, & experiuntur fructuosè, si recentia sint, non ab ortu remota, si sorbilia sint, vel tremula, non durata, quia quantum addis coctionis, tantum addis alimoniæ quidem, sed facilitatis ad immutationem subeundam, & alterationem à uentriculo detrahis, tantum etiam facultatis refrigeratoriæ minuis, vnde vel cruda oua vt valdè refrigerantia vtiliter assumi testem adduximus Trallianum, hoc in renum inflammatione laudantem. Sed hunc de ouis sermonem claudere lubet hoc præclaro Galeni decreto in aureo libello de cibis boni, & mali succi. Oua (inquit) crassi succi censentur, quæ vel elixa, vel tosta penitus sint densata. Frixa verò mali succi, fumosæq; in ventriculo cocturæ existunt, secum etiam corrumpentes admixtos cibos. Mediocriter verò cocta, quæ ideo appellantur tremula, ad coctionem, digestionem, nutritionem, boniquе succi generationem, sicuti & quæ sorbilia dicimus, ad leniendas gutturis asperitates, idonea sunt.



De

De alijs obseruationibus ad victus rationem, ideoq; ad indicationem vitalem attinentibus.

CAPVT XXVIII.



Vlta diximus ad victus rationem attinentia, quibus obseruandis tueri, & pro virili sustiuere vires possimus, pauca adhuc supersunt in eodem proposito dicenda. nam non solum de aere, de cibo, & potu sollicitudo ineunda, sed de motu etiam, & quiete, de somno, & vigilia, de excrementorum eductione, de affectionum animi conformatione. nam in his sex rebus, quas vocant non naturales, recta viuendi residet ratio, & virtutis consistit custodia, vt docet Galenus in arte medica, & in primo de sanitate tuenda. Motus quidem febricitantibus non conuenit, nisi quartana intermittente laborent, in qua diebus melioribus concedit Galenus in primo ad Glauconem ad consueta munia accedere, nec lectulo se continere, alij febricitantes quiescere debẽt, ac decumbere maiori ex parte, vnde iure optimo Hippocrates in sexto Epidemiorum carpit Prodicum febrientes necantem cursibus, luctatione, fomentis, quòd febrile sit cibo rum parsimoniæ inimicum, periodis multis, cursibus, refricationi, laborem labore his. In cuius explicatione sententiæ hæc effatu digna induxit verba Galenus. Prodicus non solum rationalem remediorum inuentionem ignorare visus est, verum etiam obseruationem Empiricam. Nempè ratio laborem labore sanandum esse interdicit, idest damnum damno, & malum malo, contraria siquidem contristanti affectui auxilia, non similia adhibere oportet. Videtur autem similia adhibere, si vtique & ambulationes, & luctationem perfricationemq; & πυρίαν, i, fotum, & famem adhibet. Hæc Galenus communissimę illi inhęrens indicationi, contraria contrarijs tollenda, cuius & communitatem, & ueritatem abundè explanat in Vndecimo Methodi. Ad laborem igitur febris non debet accedere motus labor, sed quiescendi recreatio, quia tã grata defesso quies, quam dulce multa locuto silentium ut ait Plato in Critia. Perbelle ergo facit apud Euripidem Hippocratis contemperoneum Electra, quæ fratrem Orestem phræneticum laudat, quòd nolit e cubili surgere, sed uolens, lubensq; decumbat, ut melius ferocientem morbi impetum compescat,

Ecce lectulus est carus ægrotanti,
Molesta possessio, sed tamen necessaria.

In somno, & uigilia ita se gerant febrientes, ut præcipit Hippocrates in Prognosticis, noctu quidem dormiant si possint, uigilent interdiu, sin minus hunc ordinem seruare possint, diem traducaut ut noctem dormientes, & quacumque liceat hora somnum arripientes, ut docet Hippocrates in libris acutorum. Et quia somnus concoquit, uigilia digerit iuxta Galenicum dictum in duodecimo Methodi, ideo in quibus febribus maiori concoctione opus esse uidetur, maiorem somno operam dẽt, in quibus maior digestio exigitur, non minorem uigiliæ. Quæ inuadentibus præcipuè accessionibus erit usurpanda, ubi somnus laborem

facit

facit iuxta celebrem Hippocratis aphorismum, in cuius explicatione ostendit Galenus quanta sit somni iactura in principio accessionis suscepti, vt non solum producatur accessio, & febrilis calor conduplicetur, sed sæua interdum excitentur symptomata; qualia recenset Hippocrates in illo aphorismo Quartæ particulæ, in febribus ex somno timores, & conuulsiones, malum. in cuius commentario notat Galenus somnum vt materias ad interna reuocantem semper futurum fuisse noxium, nisi ratione coctionis elaboratæ maius afferret commodum, quàm sit ex motu ad interiora consecutum detrimentũ. Aluus sit quotidie excernendis excrementis intenta, & vrina liberè prodeat, quia si hæ excretiones in sanis exiguntur quotidianæ iuxta monitum Hippocratis in libris de diæta, & si alui adstrictio est vniuersi corporis confusio iuxta eiusdẽ dictum in sexto Epidemiorum, multo magis hoc habet infebrientibus veritatem. Animi demum, componendi pro virili veniunt affectus, vt non sit mens nubila, & perturbationum quasi procellis obruta. nam præclarissima est illa Socratis apud Platonem in charmide nuncupata incantatio, quæ animũ prius accipit curis omnibus expiandum, vt inde ad salutem corpori impertiẽdam fiat accessus, in quod mirificus ab animo prodeat boni, malique influxus, in tertio etiam de Rep. ab eodem Socrate insinuatus. Vnde Galenus in primo de sanitate tuenda hanc affectuum conformationem plurimum habere momenti asseruit ad morborum depulsionẽ, & in libello de parua pila tantum in hoc posse affectiones affirmauit, vt ex solo animi mærore in morbos incurabiles aliqui inciderint, & ex sola letitia è grauissimis alij euaserint. Sint ergo ægri corpore tales, non animo, hunc habeant spei plenum, & quam desiderio sectantur salutem, spe etiam amplectantur memores pulcherrimi illius moniti, quod sibimet Orestes apud Euripidem affert.

Habet hoc opinionem sanitatis,
Præstat putare, etiam si reuera ita nõ sit.

Tantum sperent rebus infestis, quantum metuant secundis, vt in his tueri præsentem, in illis recuperare valetudinem possint absentẽ. Timor in ægro vires deijcit naturæ, spes erigit, timor mæstus calorem innatum contrahit, & cordis quasi foco coercet, spes læta diffundit, & ad omnia membra extendit, vt docet Galenus in tertio de symptomatum causis, in timore ergo augetur febrilis calor, & naturæ actio impeditur, in spe verò ille minuitur, hæc promouetur, Quæ sola morbos curat, arte solum ministerium præbente. Hinc prodijt celebre Auicennæ dictum, cum æger timet, time etiam tu. Excitat Medicum ad timendum, quia tunc ars agit sola naturæ destituta benefitio, torporẽ indutæ, & fatiscentis, sine qua irrita fiunt omnia artis auxilia. Nec solum in se speret æger, sed Medico potissimum confidat, cuius confidentiæ magnam habendam esse rationem auctor est Hippocrates in Prognosticis, & in libro Præceptionum, cui tantum deferendum censuit Auicennas, vt in sexto naturalium dixerit ægrum confidentem longe magis ad sanitatem ex hoc solo adduci, quàm ex omnibus Medici operibus. Attende (inquit ille) dispositionẽ infirmi cum credit

se conualescere, aut sani cum credit se ægrotare, multoties contingit ex hoc, vt cum corroboratur forma in anima eius, patiatur ex ea ipsius materia, & proueniant ex hoc sanitas, aut infirmitas, & est actio hæc efficacior, quàm id quod agit Medicus instrumentis, & medijs suis. Ex quibus Auicennæ verbis innotescit quantæ molis sit animum ægri benè esse dispositum, & cum in morborum curationibus nō exiguum sibi locum fortuna vendicet, vt est auctor Galenus in vndecimo Methodi, quam licet videatur excludere Hippocrates in libro de locis in homine, non tamen, si rectè attendamus, excludit; hæc quidem fortuna cum in alijs, tum in eo præcipuè consistit, vt ægrotus animum deferat erectum, parum timeat, multum speret, quod ostendit clarissimè Celsus in principio tertij libri, dum dixit, in nullo morbo minus fortuna sibi vendicare, quàm ars potest, vt pote cum repugnante natura, nihil Medicina proficiat. Scio quosdā textus habere, vt pote cū repugnante fortuna sed hæc lectio non debet admitti, quia in illis verbis vult Celsus reddere sui dicti rationem, quæ ratio nulla esset posito nomine fortunæ imo potius esset principij petitio, at, posito nomine naturæ, clara apparet ratio, quia bonæ fortunæ euentus est ægri animum benè esse compositum, suaq; spe, & confidentia artis operationes fortunantem, quæ irritæ fiunt votique expertes si naturā offenderint mærore deiectam, ideoque nil sibi adminiculantem. Verum vt melius innotescat quantum animi affectus ad immutandum corporis statum valeant, non fuerit à proposito alienum illud breuiter ostendere, non solius philosophi munus esse, sed Medico etiam hoc onus incumbere, vt conformandi, componendique animi curam suscipiat, incolumitati corporis vel tuendæ, vel reparandæ vtilissimam futuram.

De Animi cura à Medico suscipienda.

CAPVT XXIX.

Dictum à nobis sæpius fuit quod à Galeno in libris Methodi sępe dicitur, indicationis vitalis propriū esse vires tueri, quia vita pendet à viribus, quarum incolumitas est vitæ custodia, pernicies est vitæ abolitio, cum uita nil aliud sit, nisi virium vel possessio, vel actio. Sed vires non plautarum proprias quærit Medicus, non proprias animalium, sed hominis proprias, veluti moralis etiam philosophus humanas quærit actiones à plautarum, & animalium actionibus dissitas, vt docet Aristoteles in primo æthicorum; At vires hominis triplices sūt, quippe tres sunt eius facultates, alia altrix in iecore residens, & per venarum canales alimoniam diffundens, alia vitalis in corde consistens, & per arteriarum canales spiritum, & calorem viuificum distribuens, alia ratiocinatrix in cerebro domicilium habens, voluntarijs actionibus vnà cum sensibus præsidens, & per neruorum Canales sensum, motumq; in cuncta mēbra transmittens. Qui vult ergo humanam vitam seruare, has facultates, & harum facultatum actiones incolumes debet retinere, quia mutuam habent consensionem, mutuum obtinent nexum, talemque con-

constituunt triangulum, vt vno pereunte angulo non possint reliqui duo consistere, & simul omnes vel ad salutem, vel ad perniciem videntur conspirare. nam siue vis altrix langueat, siue vitalis siue rationalis vniuersa hominis constitutio fatiscit, atque labascit, & vel citius, vel serius labes vnius facultatis fit reliquis duabus communis, & noxæ alteri communicatæ nulla tempore labente degit immunis, vt docet Galenus in nono Methodi, & in quinto de locis affectis. Quamrem eleganter ab auctore habemus expressam in libro primo de diæta his verbis. In corpore triplices circuitus ignis fecit, vicissim intro, ac foras commeantes, alios quidem ad Cauas partes humorum Lunæ facultate, alios verò ad externam circumferentiam, ad ambientem consistentiam, Astrorum facultate, Medij vero intro, & foras permeantes, calidissimum, ac fortissimum ignem continent, qui omnibus dominatur, omnia secundum naturã obiens, sine strepitu tum ad visum, tum ad tactũ. In hoc anima, mens, prudentia, augmentum, motus, imminutio, permutatio, somnus, vigilia; Hic omnia per omnia gubernat, & hæc, & illa, numquã quiescens. Triplicem circuitũ vocat triplicem hominis facultatẽ, naturalẽ, vitalem, animalem, corpus vniuersum sigillatim circuentem, mutuo nexu iunctã, & cõmunem concentũ harmoniæ efficientem, quam harmoniam corpori saluberrimam à communi concensu fieri, à particulari vnius dissidio dissolui docet. Hunc consensum, hunc concentum, hanc harmoniam respicit, & conseruandam assumit indicatio vitalis, quæ non modo vim concoctoriam, & altricem, non modo vim vitalem, & animosam tuetur, sed vim etiam cognoscentem, & rationalem custodit, & fouet. nam cum hæc languet, ac torpescit, reliquæ etiam duæ ad corruptelam temporis interuallo non multo interiecto successuram vergunt, quippe vires omnes talem, vt diximus, à natura sortitæ sunt connexionem, vt simul habeant incolumitatem, simul subeant corruptionem, amantes inuicem, & redamantes instar Erotis, & Anterotis, quos simul, & inualescentes, & languescentes præclaro figmento descripsit Themistius. Exigunt ergo singulæ vires suum fotum, & suam alimoniam, & habent singulæ sua fulcra. Vis naturalis alimentis ex cibo potuque deductis sustinetur, & corporeis voluptatibus fouetur, vitalis ex aere, puroque sanguine conseruatur, & animosis affectionibus ad sui tutelã vtitur, animalis aura ætherea, vitalibusque spiritibus ad temperiẽ, moderationemque redactis fruitur, proprijsque notionibus, & meditationibus recreatur. Sic induci in singulis partibus sua potest virtus, in altrice, quam concupiscibilem à Platone uocatam ostendit Galenus in sexto de Decretis, temperantia, in vitali irascibilis nomen nacta, fortitudo, in animali ad ratiocinium Euecta prudentia, in omnibus simul quod suum est assecutis, & quod alienum non vsurpantibus absoluta iustitia, vt diuinitus ostendit Plato in quarto de Rep. ciuili inducto exemplo ab Vrbanis artificibus, militibus, Magistratibus petito. Aliud ergo humana vita exposcit, quàm alimoniam, vel potius nil aliud expocit, quã alimoniam, sed hæc non est vniformis, nec vniuoca, sed multiformis, & analoga, quia multiformes sunt, & ana-

nalogæ vires alendæ, & conferuandæ. Non ex ſolo pane viuit Homo, vt Sacræ teſtantur litterę. Hoc profunde meditatus Hippocrates, qui nil molitur ineptè pro corporis conſtitutione bona ſeruanda illud tradidit in tertio Epidemiorum documentum, vt in laboribus vitetur pigritia, in cibis ſatietas quia hæc duo ex parte corporis videtur ſufficere, exercitamentum, & alimentum, ut dixit Plato in Minoe, & explicauit Hippocrates in primo de Diæta, corpori ſuperfluorum ſubtractionem, deficientium adiectionem neceſſariam, & gratia primæ exercitationem, ſecundæ alimoniam opportunam oſtendens. At pro bona totius hominis conſtitutione, pro eius integra, abſolutaque ſanitate ſeruanda non cibos ſolos, nec cum cibis exercitationem ſolam propoſuit; ſed his mentis etiam meditationes adiecit, vt ſuum corpori, ſuum animæ ſuppeteret pabulum, ſuum corpus haberet, ſuum & anima exercitamentum, ſuum utraq; pars obtineret incolumitatis ſuæ fulcrum, ideo illa obſeruatu digniſſima verba in ſexto Epidemiorum exarauit, Labor articulis, carnibus cibus, ſomnus viſceribus, animæ deambulatio cogitatio hominibus. Quibus omnia priſco breuiloquio complexus eſt, quæ totum poſſunt hominem ſoſpitem facere, nullaque re indigentem. nam vel corporis quæritur incolumitas, vel bonus animæ ſtatus. Corporis incolumitatem faciunt labor, cibus, ſomnus, cum enim in corpore vel ventres conſideremus, vel artus, & in artubus vel articulos, vel carnes, in ventribus viſcera, articulis ſatisfacit labor, qui à noxia humiditate vindicat, exuccos facit, & ad opus agiles, carnibus miniſterium præbet cibus in earum præcipuè molē faceſſens, ſuamque eis ſubſtantificam humiditatem impertiens, viſcera fouet ſomnus internam faciens reuocationem ſpirituum, externam calidi innati emiſſionem prohibens ad vſum laborum, & hæc ſunt in gratiā corporis naturaliter inſtituta miniſteria, at in gratiam animæ, quæ pars hominis nobilior eſt, & longè maiori digna ſtudio, adhibenda proponitur ipſa cogitatio, ipſa meditatio vſurpanda, ipſa in rebus cognoſcendis, proprijſque obiectis examinandis occupatio. hæc enim fuerit propria animæ deambulatio, proprius motus, propria exercitatio, quia qualis eſt inceſſus corpori, talis eſt cogitatus animæ, per inceſſum mouetur corpus, ſe ſubtrahit otio, proprium munus obit, per cogitatum mouetur anima (nam teſte Platone in x. de legibus cognoſcere, ſentire, intelligere, amare, odiſſe, ſunt motus animæ, quicquid Ariſtoteles in primo deanima aduerſus hoc dixerit) deſidiam deſerit, & functionem propriam exerit. Sed cur Hippocrates meditationem vocauit deambulationem animæ, non cibum, & alimoniam? quam tamen conſtat & eſſe, & ab omnibus vocari, cum animam non aliter nutriat cogitatio, ac comeſtio corpus, vt Plato docet in Philæbo, & in Phædone, & Ariſtoteles in ſexto, & in decimo æthicorum. Vocauit motum potius, quam cibum animæ, quia cibus imperfectionem ſignificat ab indigentia profectus, motus perfectionem à virtute motiua deductus, vnde in octauo Phyſico legimus motum eſſe perfectorum, cibus generationem reſpicit, & ideo actum primū, motus operationē, & ideo actū ſecundum, imperfectio, & generatio pertinent ad corpus, & iccirco ei magis congruit cibus, per-

fe-

fectio, & operatio ad animam, & iccirco ei magis aptatur motus, & non quilibet aptatur motus, sed deambulatio, vt insinuetur factus cũ nullo propemodum labore, quia mentis functio, & meditatio est actus facultatis non organicæ, licet connexæ cum facultate organica, non est motus vehemens, qui laboriosus, est deambulatio, quæ est motus iucundus, & parum distans à quiete, seu statione, vnde scientia vocatur à Græcis ἐπιστήμη, vt notat Plato in Cratillo, quod ansam dedit Aristoteli dicendi in septimo Physicorum, animam fieri sapientem sedendo, & quiescendo, hoc est ab affectionibus, & perturbationibus vacando, quæ tenebras ingenio offundunt, eique lucem veritatis eripiunt. Sic à labore ad suauem operationem progressus est Hippocrates, ab actu articulorum ad actũ mentis, & admirabilem obseruauit ordinem, primo currum corporis nominans, nempe articulos artubus contentos, quos Plato in Timæo vocat currum, seu vehiculum, secundo recensens indumentum partium præcipuarum, quia Carnes sunt indumenta viscerum, quæ sunt partes præcipuæ, tertio inducens partes corporeas præcipuas, nempè viscera, postremo memorans formalem hominis substantiam, nempè animam quæ humanam naturã & constituit, & nobilitat, vt nostram vitam à labore traducat ad quietem, & in ea requirat exercitamentum, alimentum, somnum corporis, vigiliam animæ, alioquin esset vita non hominis, sed pulmonis, vt ait socrates in Philæbo, & vera vita est actio, non vacatio, motus, non quies, nisi quietis nomine perturbationum vacationem insinuemus, vnde affirmauit ille, sibi non esse videri eum, qui nihil agat. Hanc Hippocraticam de humano regimine pro sanitate integra obtinenda sententiam clarè est æmulatus Plato in Timæo, dum corporis, animique salutem adipiscendam proponens dicit omne bonum esse pulchrum, omne pulchrum commeusuratum ideoque animal esse debere conuenienti mensura moderatum, & ad bonam, & malam valetudinem moderationem, vel immoderationem animæ ad corpus præcipuum habere momentum, vt nec valida anima cum debili corpore, nec validum corpus cum debili anima debeat esse coniunctum. Hinc vnam concludit ad vtrumque salutem, & conseruationem, vt neque animam sine corpore, neque corpus sine anima moueamus, & in mutua contentione exæquatis inuicem viribus bonam totius valetudinem tueamur, animam meditationibus assuefacientes, exercitationibus corpus, & motionibus, vt illud corporis vniuersi, Mundi nomine insigniti, nullo vnquam tempore quiescentis, faciamus quodammodo æmulum, triplicem motum adhibentes, à se ipso, qui motus optimus est, in alio, qui in equo vel curru factus est mediocris, ab alio, qui pharmacis excitatus sine vrgente necessitate est malus sed animam multo magis, ac prius corpore, tamquam partem potiorem, & ius dominij nactam excolendã decernit, & cum tres sint animæ species, concupiscens, irrascibilis, rationalis, quas Medici vocant naturalem, vitalem, animalem, vt explicat Galenus in libris de Placitis, singulis suos esse motus adiungendos, vt nulla torpeat otiosa, quo torpore fieret imbecillissima, sed quælibet motus suos inter se moderatos conuenien-

uenienti modulo conseruet. Ita pars rationalis omnium domina, & cuiusdam diuinitatis particeps discendæ veritati intenta suis fruatur discursionibus, suis vtatur meditationibus, ita vis concupiscens moderatas suas obeat appetitiones, moderatas percipiat voluptates, vis tandem irascibilis non langueat, sed animosas suas commossiones exerat, vt hoc pacto quęlibet animæ pars proprium motum, propriumq; pabulum obtineat, vt dicere verè possimus hominis salutem corporis & animi tutela seruari, & hanc tutelam partim exercitamento, partim alimento niti, vt hæc duarum rerum copula non soli corpori, sed toti homini seruando inseruiat, cum non corpus solum, sed anima quoque suum proprium motum, suum proprium pabulum, vt inquit Plato, habeat. Nec solum anima, sed quælibet animæ pars propriam agnoscat alimoniam, propriam quærat commotionē ad suæ naturæ conseruandā integritatem. Nec dicat aliquis motus facultatum appetentium, concupiscibilis, & irascibilis, esse irrationales, & ad vitia pertrahentes, quia moderationem adepti fiunt rationales motus, instar puerorum pædagogis obedientium, rationi obedientes, & virtutum habitum generantes, vt in primo æthicorum monstrat Aristoteles. ob hanc igitur corporis, & animæ Connexionem ad humanæ salutis complementum necessariam Hippocrates sexcentis in locis, sed præcipuè in Epidemijs, in libris de victus ratione, in aphorismis, in Prognosticis, in libris de morbis multa ad animæ naturam attinentia his adiunxit. quæ de corporeis affectionibus tradidit, eiusque inhærens vestigijs Plato hominis curam in animæ potissimum cura statuit in primo Alcibiade, & in tertio de Repub. Socratem inducit dicentem non videri sibi corpus bene affectum virtute sua animum bonum facere sed potius animum benè affectum virtute sua corpus quoad fieri potest optimum reddere; Vnde idem in charmide eundem Socratem facit, vt diximus, loquentem, & iuueni caput dolenti demōstrantem non esse curandum corpus, ni prius curetur animus, à quo omne bonum, & malum influit in corpus, & Barbaros Medicos illud Græcis iure obiecisse affirmat, quòd hi corporis curam acciperent neglecta animæ cura ad salutem corpori quærendam necessaria, vt quātum anima ad conferendā substantiam prestat corpori tantū eadem ad inferendam salutem præpolleat eidem. Debent ergo Medici elegantes, & à vili plebecula semoti non solius sibi corporis notitiam cōparare, sed animæ quoq; notionem acquirere, & sibi mutuam operam debent moralis, & Medicus præstare, nam cum primus animæ cognitionem, secundus corporis sibi propriè vendicet, quantum scilicet attinet ad vtriusque curam, vt auctor est Aristoteles in primo æthicorum, & primus corporis, & secundus animi notionem aliquam exposcit, primus corporis, quia animi mores sequuntur non parum corporis tēperamenta, vt peculiari libello ostendit Galenus, secundus animi, quia huius pathemata ad immutandum corpus plurimum valent; vt idem Galenus docet in tertio de symptomatum causis, & in primo de sanitate tuenda. Quo factum est, vt idem Galenus breui opusculo disputauerit optimum Medicum optimum esse debere philosophū, nec

nec solius contemplatricis philosophiæ sectatorem, sed actiuæ quoq; ad morum conformationem conuersæ, vt ob hanc ipse causam moralia conscripserit opuscula à Medico munere non aliena, partim de cognoscendis, curandisque animi morbis, partim de peccatorum notitia, atque medela: Ac in memorato quidem libro de sanitate tuenda demonstrat non solius philosophi, sed Medici etiam munus esse animum componere, affectus compescere, mores conformare, quorum quidem conformatione multorum se propensiones ad ægrotandum profitetur exemisse, multorum valetudinarias habitudines ad bonam frugem redegisse, vt inducta temperantia non solum animæ fuerit salubris, sed corpori etiam apprimè vtilis, quod huius virtutis proprium esse & Aristoteles affirmat in æthicis, & Plato declarat in libris de legibus. Neque verò mirari quis debeat tantam esse vim animæ in corpus, quoniam affectiones, & actiones illius sunt huic etiam communes, non animæ solius existentes, sed compositi, vt docet Philosophus in primo de anima, vnde pro varietate temperamentorũ intensiores, vel remissiores fiunt affectiones, quæ multum etiam valent ad alteranda temperamenta, quod quidem abundè docet Galenus in libris de causis pulsuum, vnde prodijt Erasistrati nobile iudicium amorem Antiochi Regis erga stratonicam Nouercam ex solo pulsus contactu agnoscentis, vt narrat in bello Syriaco Appianus, cui simile se iudicium in alia persona protulisse ex eodem pulsus contactu gloriatur Galenus in libello de præsagitione ad posthumum, tantum possunt animi affectus corporis habitum immutare. Quos ideo affectus ad morborum curationem ipsam adhibet Hippocrates hæc in secundo Epidemico scribens, curandum iram inferre, & reuocandi caloris causa, & effusionis succorum, & lætitiam, & timorem, & huiusmodi, atque si aliud corpus simul ægrotet, simul curare, si autem non, hoc. In quibus verbis apparet iram esse medelam contracti caloris, contracti sanguinis tamquam vtriusq; diffusiuam, & lætitiam, timorem, aliosque affectus alijs pathematis mederi, nam lætitia valet ad abolendos morbos è mærore profectos, vnde Galenus in primo ad Glauconem affirmauit diariam ex mæstitia ortam contraria lætitia esse curandam, timor valet ad coercendã nimiam caloris, humorisque effusionem, ad augendum viscerum tonum per factam spirituum reuocationem, & alij affectus alios edunt in corpore salubres effectus, & si vniformis est totius corporis ægritudo, simul totum accipit ab affectu medelam, at si dissentanea, & multiplex, affectu id peculiariter curandum, quod se obtulit considerandum. Ita fit vt animæ affectiones ad corpus relatæ & tollantur, & tollant, tollantur à varijs corporis dispositionibus earum vel generationem, vel progressionem inhibentibus, tollant varia corporis pathemata contrarium statum inducentes. Sic animum corpus, corpus immutat animus, quia ad vnius constitutionem coeunt, & in hoc congressionis commercio compatiuntur adinuicem, vt in Physionomicis Aristotelicis explicatum legimus. Maiorem tamen Platonici agnoscunt ab anima in corpus, quàm à corpore in animam, validioremque influxum, huncque referunt

ferunt animæ dominio acceptum, quia cum hæc ſit domina, ſit forma arbitratu ſuo corporis rectrix, illud ſuo quaſi nutu moderatur, ac temperat, & dum dominatur, ac regit benè diſpoſita, bonum in eo habitum parit, & facit nedum ſanum, verum etiam pulchrum, vt pulchritudo ſit externus corporis flos ab interno animæ fructu germinans, & ſit flos victricis formæ, quæ materiæ vndique dominatur, vt explanat Plotinus in libro de pulchritudine, qui ob hanc etiam cauſam in libro contra Gnoſticos diſputat in pulchro corpore ſubeſſe animam pulchram, ab huius forma illius pendente forma, & ſi in corpore formoſo deformis interdum appareat anima, hanc ſtatuit naturam fuiſſe formoſam, ſed euentu euaſiſſe deformem. Adeo ſibi arridet ſupra iactum Platonis fundamentum de præcipua animæ in corpus influentia, à Galeno etiam in primo illo, quem diximus, ſanitatis tuendæ libro verbis, & pluribus explicata, & grauibus confirmata. In cuius meditatione verſati in hoc capite ſumus eo libentius, vt veritas dictorum in ſuperiori capite fulgeret lucidius, & vtiliſſima in toto artis ambitu doctrina appareret cumulatius. Verum de his, quæ pertinebant ad indicationem vitalem, ſatis hæc ſunto; Nunc reliquas duas indicationes, curatoriam, & præſeruatoriam examinabimus, quam partem multorum plenam problematum, multarumque refertam difficultatum, in librum ſecundum differemus.


Finis Libri Primi.



DE INDICATIONIBVS FEBRIVM PVTRIDARVM LIBER SECVNDVS.

DE INDICATIONE CVRATORIA quam habeat naturam, & unde sumatur.

CAPVT PRIMVM.



QVÆ pertinebant ad communem indicationum animaduersionem, & pertinebant ad propriam indicationis vitalis notionem satis, ni fallor, in primo libro persecuti sumus, vt nihil effatu dignum cum hoc argumento coniũctum omiserimus, restat nunc vt in hoc libro secundo, quem modo aggredimur, attinentia ad reliquas duas indicationes, curatoriam, & præseruatoriam, persequamur. Et quia in putridis febribus, in quibus causę morbificę non manent otiosę facturum dumtaxat morbum minitantes, sed actu ipso morbum faciunt, & vlteriorem minãtur, non habet locum simplex, puraq; præseruatio, sed curationi quodãmodo implicita, vt in commentario vigesimi secundi Aphorismi præclarè considerat Galenus, & in secundæ sectionis Vndecimo Methodi abundè etiam explicat, ideo curatoriam prius indicationem, tamquam præseruatoriæ antesignanam, reuocabimus in examen. Iàm superius diximus curatoriam indicationem vocari à Galeno eam, quæ ipsius morbi depulsionem, ipsius præternaturalis affectionis abolitionem insinuat. nam curare nil aliud est, nisi morbum infestantem depellere. Hæc igitur in febribus putridis ducitur à febris essentia, à temperamento febricitantis, ab aere, in quo febricitans degit. nam ipsa febris indicat, insinuatque

agenda pro tollendo excessu à naturali statu, quem intulit febris, temperamentum ostendit gradum excessus relatum ad gradum naturalis constitutionis, ostendit quanta sit alteratio inducenda ad huius constitutionis reuocationem. Aer ambiens tùm febris magnitudinem declarat, tùm se præbet vel materiam sanantem, vel causam morbi conseruatricem, fouendique vim habentem. Exempli gratia, febris cum sit intemperies calida, & sicca, & sit affectio præternaturalis contrarijs amouenda, indicat refrigerationem, & humectationem, tamquam propria, germanaque remedia contrarietatis appulsu quæsita, cuius contrarietatis appulsum, auxiliaremq; vim vel ipse etiam Plato Hippocraticis insistens vestigijs in Lyside animaduertit, sed quousque sit progrediendum refrigerando, & humectando non liquet ex sola febris animaduersione, sed oportet etiam mentem conuertere ad proprium hominis temperamentum, quale fuit tempore inuadentis febris, cum sanitatis aderat dispositio, considerando num calidum fuerit, an frigidum, quia in primo minor est factus recessus à statu naturali, ideoq; minor est vsurpanda refrigeratio, in secundo maior est ipse recessus, ideoque maiori refrigeratione est opus. Ita febris alterationem in contrarium insinuat, temperatura mensuram, & modum alterationis innuit. Sed quia nec morbus, nec sanitas, ideoq; nec febris, nec temperatura consistere potest sine aere, & reliquas quidem materias & deligere, & fugere nostro arbitratu possumus, quam autem ipse aer præbet non possumus euitare, præsentique cœli statu cogimur vti, ideo ambienti etiam aeri debemus esse intenti, qui remedijs à febre indicatis aliquando apparet concors, aliquando discors, & planè dissidens, quatenus vel eandem retinet cum febrili intemperiem, vel contrariam præsefert, ideoque suscipit interdum sanantis causæ rationem, interdum morbum fouentis. nam si indicatam à febri humectationem, & refrigerationem præstare, promouereque possit, sanantis causæ vim induit, & econtra si ad calefaciendum, & exiccandum fuerit paratus, materiæ morbificæ naturam suscipit, & in primo quidem casu omnibus vt ita dicam vlnis est amplexandus, habendaq; ei gratia benefacienti, in secundo autem auersandus, obuiamq; ei eundum vt noxam molienti. *Sic igitur* tria sunt primo indicantia curationem, febris ipsa, temperatura febrientis, & aer ambiens, quo duo prima continentur. Febris quidem diuidenda venit in differentias, non in causas, at reliqua duo, nempè temperatura, & aer in causas, non in differentias, nam febris consideratur vt est vel diaria, vel hectica, vel putrida, & hæc putrida vt habet vel putredinem vniuersalem, vel particularem, vel iunctam inflammationi viscerum, vel ab ea seiunctam. Quæ omnia pertinent ad febrium differentias. At in temperatura attenditur natura, ętas, consuetudo, & ambiens cœlum, vnde tamquam à causis ortum habet ipsa temperies; in aere examinatur regio ipsa, anni tempus, cęli status, à quibus causis suam constitutionem ambiēs est sortitus. Hæc nos docet Galenus in nono Methodi præcipua curationem febrium indicantia proponens, in examenq; reuocans, vbi etiam docet & plures, & pauciores fieri posse curatorias in febribus indicationes, quatenus has tres enumeratas vel magis scindimus,

mus, & in minutiores partimur, vel magis contrahimus, & ad generaliora capita redigimus. possumus namque præsenti affectu, qui morbus dicitur, & præterito, qui sanitas nominatur, omnes complecti hoc binario conclusas; quandoquidem nil aliud sibi proponit, nil aliud molitur curatio, nil aliud est ipsa sanatio, quàm præsentis in corpore vitiosæ affectionis in naturalem commutatio. vitiosa quippe affectio naturali implicita dissidium illud facit, illamque seditionem in corpore excitat, in qua morbum consistere auctor erat Plato in Sophista, cuius sententiam pręclaram & confirmat, & explanat Galenus in opere de decretis. Hoc ergo dissidium, hanc seditionem morbosam tollere vult curatio, quod alienum est à naturali secernendo, extraneamque affectionem in habitum naturalem commutando. Sed hæc discretio fieri non potest, nec ista naturæ pristinæ restitutio, nisi & præter naturalis passio pateat, & prior ipsa naturalis constitutio innotescat. quod enim vitiosum separandum, quod naturale autem relinquendum, ideo vtriusque notio necessaria, & vtriusque indicatio opportuna, altero quidem indicante quid agēdum altero terminum actionis insinuante. nam febris vt præternaturalis intemperies indicat alterantia, quæ corrigere eam possint, & emendare, atque adeo de medio tollere, at febricitantis temperatura modum insinuat alterationis, & ad quem vsq; terminum progredi alterando conueniat, ne plus, vel minus iusto alteremus, quia vtrumque noxium, alterum quidem vt immoderatum, & contrariam inuehens intemperiem, alterum verò vt deficiens, & inutilem præstans operam. Et quia hæc alteratio fit per contrarium, quippe quę contrarij in contrarium conuersionem moliatur, vitiosæ nempè affectionis in naturalem, quæ inter se contrariæ sunt, ideo fit vt ad vnam solam redigere indicationes possimus, ad ipsam videlicet contrarietatem, ad quam omnem curandi rationem diximus redegisse Hippocratem in libro de flatibus dum asseruit contraria esse contrariorum remedia. Erit ergo contrarietas generalissima curandæ febris indicatio, quę & alterationem complectatur à febri indicatam, & mensuram alterationis potentia contineat à febricitātis temperatura insinuatam. Verum in hac indicationis communitate non licet quiescere, gradumque sistere, quia non sufficit inuenisse per contraria viam ineundam, non sufficit scire necessarium esse contrariorum vsum, sed oportet etiam in contrarijs inuenire modum. Quo ignorato fieri facilè potest, vt eorum vel excessus afferat noxam, vel defectus non afferat opem, aut non afferat saltem completam. nam febri calido affectui non satis est admouisse frigida, nisi id congrua fiat, iustaque mensura ad prędictum imminens periculum euitandum vel contrarij morbi frigidi inducendi, si frigidorum administratio excedat, vel pristini calidi magna ex parte relinquendi, si eadem deficiat. Sic ergo à communissima indicatione contrarietatis discedentes, quæ sola numeros omnes in curando nō explet, affectui vitioso pristinam constitutionem naturalē adiungimus, quatenus vt à primo alterationem per contraria moliendam accipimus, ita à secunda determinatam alterandi mensuram haurimus. Et quia reliquorum præsidiorum materiæ à nostro pendent arbitratu, &

in nostra manu sunt constitutæ, sed quam præstat aer, illa necessaria est, non arbitraria, ac talem accipimus, qualem à natura oblatam habemus, ideo ab aere quoque propria quædam desumitur indicatio, ternarium absoluens. Quo nimirum ternario indicationes omnes curatorias Galenus complectitur, quæ vt in reliquis morbis, sic etiam in febribus habent locum, vt prima pertineat, atque præcipua ad febrem ipsam, secunda ad febricitantis temperiem, tertia demum, & postrema ad ambientis aeris constitutionem. Vocare debemus primum, & præcipuum Fontem indicationis curatoriæ febrem ipsam, quia febris est affectus præternaturalis curandus, affectus contrarijs abigendus, vt remaneat pristina constitutio naturalis, affectus contrariam indicans alterationem, & quid agendum insinuãs, vt præcipua remedia curatoria deducantur à febris insinuatione ad curandum propositæ. At reliqua duo, temperatura hominis, & cœli ipsius dispositio indicant & ipsa quidem secundum mentem Galeni, qui hæc tria morbum, temperaturam, & aerem in morbis omnibus indicationem præstare curatoriam testatur in tertio Methodi, sed hæc duo accuratius considerata coindicandi potius, quàm indicandi vim præferunt, quia promouent, & perficiunt indicationem febris, quæ indicatio horum præsidio duorum destituta manca foret, & imperfecta, sed eorundem accedente quasi lumine illustrior fit, & complementum accipit. nam cum febris refrigeratoriam alterationem indicet, non solum refrigeratio adhibenda, sed determinata etiam, & certis quasi cancellis circumscripta refrigeratio, quam assequi mensuram, & collimare non possumus, nisi febris magnitudinem, & factum à naturali statu recessum compertum, exploratumq; habeamus, hanc autem notionem commodè præstat temperies ægri, & aeris obseruata, quia in calido temperamento minor est qualiscumque febris ob minorem à naturali habitu transgressionem, in frigido maior ob contrariam causam, & econuerso in calido aere maior febris, quia fouetur magis, magisque ab ambiente febrilis feruor, in frigido minor, quia compescitur, ac retunditur ab eodem idem feruor, vt in primo casu habeat aer rationem causæ insalubris, & morbificæ, quatenus auget, exaggeratque accensum calorem, in secundo autem subeat vicem causæ salubris, & sanantis, quatenus eandem calorem contemperat, ac remittit.

Dubitationis propositio, & solutio, & propositi Problematis determinatio.

CAPVT II.



Væ diximus de febri maiore in aere calido, quã in frigido exactius veniunt discutienda. nam dubitauerit aliquis forsan, ne contrarium sit asserendum, quòd febris hiemalis peior sit æstiua, & vincatur difficilius. Quod quidem vel ipse Aristoteles nouit, pleneque declarauit in prima problematum particula, in qua ostendit per hiemem minus quidem, quam per æstatem, sed pernitiosius homines ægrotare, eamq; attulit causam quòd in æstate morbi leui quacumque de causa existunt in hieme non nisi à

ma-

maxima excitantur, vt ideo maiora sint mala quę maiorem sunt causam consecuta. Vnde etiam fieri dixit vt athletæ, & bonum habitum nacti vel non ægrotent, vel ęgrotantes vitæ discrimen subeant, quippe qui nisi magna cum causa ægrescere nequeant. Hanc doctrinam tamquam verissimam approbauit, clarisq; verbis expressit Galenus in commentario trigesimi Quarti Aphorismi secundæ particulæ hiemalem febrem æstiua peiorem ita decernens. Duarum febrium ardentium magnitudine parium illa, quæ aduenit hieme, est pernitiosior, nam dum in calidiori temporis cōstitutione ortum habuerit, & subita ad frigidiorem mutatio facta fuerit, non parum iuuatur hęc febris ardens ab ambientis aeris frigiditate, cum ipsi duplex insit commoditas, prior quidem temporis constitutio, in qua morbus genitus est tamquam signum, altera verò in qua solutus est tamquam causa. Quibus verbis æstiuam febrem minus periculosam facit, & magis solutioni paratam, quam sit hiemalis, quæ quia non fit illo anni tempore nisi ob maximam causam, magno statuitur discrimine prædita, quippe quę non esset orta nisi causa potentior temporis contrarietatem vicisset, & cum anni tempus cohibere non potuerit causæ magnitudinem, licet illud habuerit sanitatem sibi suffragantem, multo minus morbo iam facto superauerit, non assistente amplius sanitatis robore. Ex hac igitur doctrina continuis confirmata experimentis in dubium quis vocauerit superius allatam sententiam de febris vehementia ab aeris caliditate insinuata, vt ideo remissior à frigiditate indicetur. Sed ad omnem eximendam dubitationem animaduertendum est, quòd aliud est dicere febrem maiorem, aliud pernitiosiorem, quia primum respicit essentiam febris, secundum autem arguit fururum morbi euentum vel succumbentis, vel dominantis naturæ, & clarū habemus exemplum in febri maligna, quæ Galeni testimonio in nono de simplici Medicina capite de bolo armena sępe remissior est, & magnitudinis effatu dignę expers, & magni tamen periculi compos, quale sępius non habet adiunctum febris longè vehementior. Quod etiā declarauit idem Galenus in secundo ac tertio de crisibus, vbi quattuor in febribus attendenda proposuit, Ideam, magnitudinem motum, & morem. Dicamus ergo febrem significari maiorem ęstiuam, quia habet causam fouentem, & exagerantem, pernitiosiorem apparere hiemalem, quam constat à maiori causa ortam, vt prima faciliorem habeat generationem, & accretionem ob ambientis calorem, sed faciliorem etiam solutionem, si fiat ambientis ad frigiditatem conuersio, & sic febris ęstiua habet duplicem ab aere commoditatem, facilis originis ob antecedentem caliditatem febrilis intemperiei generatricem, & facilis solutionis ob consequentem ambientis frigiditatem, instar causę salubris morbosi caloris correctricem. At febris hiemalis habet difficiliorem quidem generationem, non exoriens nisi ex maxima causa, vim quasi inferens externæ aeris constitutioni caloris excessum retundenti, sed habet etiam difficiliorem solutionem, quia vis maximæ causę ęgerrimè vincitur ab ea natura morbo conflictata, à qua sanitatem adhuc retinente vinci nō potuit. Hinc manauit celebris ille Hippocratis loco Commemorato

Apho-

Aphorismus, in Morbis minus periclitari, quorum naturę, aut ętati, aut consuetudini, aut anni tempori magis congruit morbus, quam vbi nulli istorum congruit, ad cuius confirmationem Aphorismi ea statuit Galenus quæ diximus de febri æstiua, & hiemali, Dioclis aliter sentientis falsam redarguens opinionem. Satis ergo patet quomodo ex aere calidiori maioris febris significatio colligatur, & quomodo ex ægri temperatura, & aere absolutior febris notitia deducatur, vt non solũ quòd refrigerare oporteat, sed quousque etiam oporteat, exploratum, compertumque habeatur. Hæc duo igitur, temperamentum, & aer indicant potius per modum signi, quam per modum affectus, hoc enim modo sola febris indicat, sed ad significandum assumitur etiam corporis temperies, & ambientis dispositio, quatenus hæc affectus naturam, ac grauitatem explicant magis, ac depromunt, & instar signorum ab affectu inseparabilium, eumque illustrantium eundem ob oculos ponũt. Sunt signa inseparabilia ab affectu temperatura, & aer, quia affectum necessario comitantur, illa quidem per se, hæc autem per accidens, temperatura est per se iuncta affectui, quia hic est præter naturam, & præternaturale supponit naturale, vt docet Aristoteles in primo de cœlo, & veluti malum residet, habetque fundamẽtum in bono, vt docet Plotinus in libro Vnde mala, ita morbosa affectio supponit naturalem, quæ naturalis adhuc remanet materialiter, non autem formaliter vt ita dicam, quatenus deperdidit proprios gradus, & morbosos acquisiuit. At aer per accidens quodammodo comitatur febrem, quippe qui necessarius sit febricitanti, nec febricitare, nec valere sine aere queunti, qui aer ideo videtur habere rationem causæ sine qua non. Concurrunt ergo hæc duo ad coindicandum, vel potius ad significandum, manifestandumque magis affectum verè indicantem, nempè febrim. nam quòd non indicent propriè inde colligitur, quòd si propria vi indicarent, cum sint res naturales, indicarent similia, & non pręberent indicationem curatoriam, quæ semper insinuat contraria. nam curatio innuit affectum præternaturalem abigendum, quod fit ope contrariorum, at res naturales sunt conseruandæ, & cõseruatio fit per similia, veluti abolitio per cõtraria, vt in libris de sanitate tuenda, & de methodo medendi ſępius decernit Galenus. Sed per temperaturam, & aerem colligimus attinentia ad contrarium indicatum pro curatione febris, modum saltem, & mensuram adhibendam in vsu contrarij, vt hinc perficiatur indicatio principalis à febri orta, argumento temperaturæ, & aeris absoluenda. Accedit quòd ipsa temperies non consideratur qualis est tempore morbi, sed qualis fuit tempore sanitatis ante morbi aduentum, sed omnis indicatio vera sumitur à re præsenti, non remota, vt docet Galenus, in quarto Methodi, Ergo non potest ipsa temperies verè indicare curationem, nisi quà concurrit ad explendam affectus indicationem coarctando indicatum communius ad determinatum quendam modulum. Si sermo ergo fiat de vero, & proprio indicante curatorio in hoc genere, est febris sola, & ita aliquando loquitur Galenus, at si communius hoc nomen accipiatur, & latius, vt complectitur quicquid concurrit ad indicandam, perficiendamque

damque

damque curationem siuè primario, siuè secundario, siuè per modum affectus remouendi, siuè per modum signi illustrantis, tunc tria dicuntur indicantia curatoria, febris, temperatura, aer, veluti triplex est etiam indicans absolutè consideratum, curatorium, præseruatorium, vitale, vt abundè in primo libro explicuimus. In illo autem ternario curatrices indicationes complectente contingit, vt diximus, vnam esse præcipuam indicationem à febri desumptam, reliquas duas esse quasi appendices instar signorum, & præcipuam quidem illam innuere alterationem per contraria iuxta regulam communissimam omni morbo, qui per contraria venit summouendus. Hinc Galenus in primo capite vndecimi libri de Methodo hæc memorabilia verba exarauit. Nunc quomadmodum, quæ ex putrescentibus excitantur febres methodo sint sanandæ aggredi statui. Quæ curationem indicant, prout in duo diuiduntur, affectus quem curamus, & partium ægrotantis temperies sunt. Licet autem ea, vt dictum est, & vna summa interpretemur, dicentes vnam esse omnium morborum communem curationis indicationem, nempè contrarietatem ipsam, qua rursus diuisa duas existere, morbo scilicet ex his, quæ sibi contraria sunt, adhibenda remedia indicante, laborantis verò temperie vnà cum ipso morbo contrarietatis mensuram definiente. Porrò dictum in illis est ambientem quoq; nos aerem vnā efficere indicationem posse, & cum primā sectionem in duo tāto facimus, ambientē vel ægritudinis causis, vel sanitatis annumerandum esse. Quibus nimirum verbis colligit Galenus ex superius dictis in nono Methodi, vbi hæc ab vndè explanauit, indicationem curatoriam posse fieri triplicem, à morbi contrarietate, ab ægrotantis tempratura, ab ipso ambiente deductam, & posse redigi ad vnam, ad morbi videlicet contrarietatem, & posse redigi ad duas, ad hanc nempè contrarietatem, & ægri temperaturam, & tunc contingere, vt ambiens ad causas vel morbificas, vel salubres referatur, quia tunc non concurrit seiunctim ad morbum notificandum satis per temperaturam aeris etiam congressu constitutam notificatum, sed reuocatur in examen non amplius vt signum declaratiuum morbi, sed vt induens naturam causæ vel insalubris, vel salubris, vt euadat indicans non amplius curatorium, sed præseruatorium. Præcipuam ergo indicationem curatoriam vocat contrarietatem in morbo consideratā, vnde contraria remedia insinuantur, veluti à laborantis temperie contrarietatis vsurpandæ mensura definitur. nam cum morbus sit contrarius sanitati, & sanitas sit quædā simmetria, & moderatio, necessario morbus est affectus quidam immoderatus, qui si redigi debet ad mediocritatem, & moderationem, vbi residet sanitas, per applicationem contrarij immoderati adigi ad eam debet, vt Galenus in arte Medica, & Vndecimo Methodi considerat, veluti cum ligna obliqua, & intorta veniunt dirigenda, & ad rectitudinem inducenda, nullo pacto melius hoc perficitur, quam per inflexionem in partem contrariam, quia tunc, & pristinam obliquitatem deponunt, & nuper accedentem non seruant, sed ad propositam rectitudinem adducuntur, quæ pulchra fuit in primo æthicorum Aristotelis animaduersio. Sic ergo, & se-

febres, & omnes ægritudines, cum sint immoderantiæ præternaturales, vsu contrariarum immoderationum ad naturalem moderationem sanitatis auctricẽ perueniunt. Quod à Galeno locis commemoratis luculenter legimus explicatum.

De Indicatione curatoria, quæ à febri putrida desumitur, qualis, & quotuplex sit.

CAPVT III.



Onsideremus nũc qua ratione eliciatur hæc indicatio curatoria ab ipsa febri putrida, quam diximus habere præcipuam, & potiorem vim indicandæ curationis, ad quam insinuandam febricitantis temperatura, & aeris dispositio signorum potius vim subire sunt dicta, & additamenta quædam ad perficiendam febris indicationem iudicata. Dicamus ergo cum Galeno in Vndecimo Methodi non posse curari putridam febrem, nisi curetur adiuncta putredo, quia hæc est causa febris, & sublata causa euentus eius remanere non potest, vt dicebat Plato in Lyside, qui manente causa non potest tolli. Hinc duæ primo se se offerunt indicationes, quarum altera oritur à febri, altera à putredine; Et quia in febri considerari potest tùm id quod iàm genitum est ipsius, tùm id quod generari potest, ideo duæ rursus à febri indicationes oriuntur, prima tollendæ portionis febrilis iàm accensæ, secunda verò inhibendæ portionis in posterum accendendæ. A' putredine pariter duæ manant indicationes, vt facta sanetur, imminens, & in generatione existens sistatur. Et quia putredo in generatione existens pendet à prohibita transpiratione, huius quoque duæ sunt indicationes, prima vt materia retenta euacuetur, secunda vt retinenda inhibeatur. Quod fit vsu remediorum obstructioni medentiũ; Quæ rursus obstructio duo exposcit, vt facta sanetur, vt futura summoueatur. Tollitur præsens obstructio vsu deobstruentium, summouetur imminens per ea, quæ habent vim sistendi, & compescendi confluxum obstruentium humorum. Et licet hoc sit vltimum in inuentione præsidiorum, id tamen primum sibi locum vendicat in curatione inchoanda. nam in hoc etiam illud euenit, quod Aristoteles in tertio æthicorum affirmat consultantibus euenire; vt in consultando perseuerent dum ad primam causam peruenerint, quæ inuentione est vltima, quippe quod est resoluenti postremum, id est agenti primum. consultat enim, & resoluit Medicus colligendis indicationibus addictus, idque facit si non cum alijs externo, secum saltem interno illo sermone, qui apud Platonem apparet in sophista expressus. nam, vt ait Aristoteles in primo posteriorũ, ratiocinatio non ad externum sermonem pertinet, sed ad interiorem animi sensum. Hæc igitur, quam diximus, est præclara series, & elegans æconomia indicationum omnium, quæ se se offerunt cogitanti, & ratiocinanti Medico, eique cadunt in mentem ad curandam recta methodo febrem putridam accessuro. In qua quidem serie, & æconomia clarè innotescit iungi simul indicationes, & curatorias, & præseruatorias, quatenus, & à febri, & à causis febris deducuntur,

cum

cum enim febris putrida talem habeat curationem, vt huic præseruatio etiam sit adiuncta, mirandum non est fieri indicationum syndromen quandam, & qualemcumque congressum tùm curatrices, tùm præseruatrices conplectentem. nam illa sunt Galeni verba in Vndecimo Methodi admodum consentanea his, quæ superius ex aphorismorum commentarijs adduximus, Diariarum quidem febrium, & hecticarum vera, & propria curatio est. Earum verò, quæ ex putrescentibus excitantur humoribus, vocata curatio προφυλακτικὴν quoque sibi adiunxit, cuius offitium est causam, quæ morbum creat, adimere. sanè nominatur hæc ipsa quoque artis pars curatrix, quæ vtique ab ea, quæ purè, sincereque prophilactice dicitur, in eo distincta est, quòd sub hac iàm sensibiliter ex ipsa causa morbus est genitus, in prophilactice verò est futurus. Hæc Galenus, qui quattuor, vt apparet ex dictis superius, quasi Fontes proponebat, vnde deriuantur indicationes octo in febribus putridis, binæ à singulo Fonte, & sunt hi quattuor Fontes, febris, putredo, prohibita transpiratio, obstructio, vt hæc omnia geminam depromant indicationem, partim sanandæ portionis factæ, partim inhibendæ quæ fieri potest. Sed licet hæc vera sint, nos tamen primo examinabimus eas præcipuè indicationes, quæ magis sunt curatoriæ, vel si vim prophilacticam retinent, pendent à causa magis coniuncta febris, reliquas indicationes examinaturi quando verba faciemus de indicatione præseruatoria à causis febrilibus deducta. Quoniam ergo in febri tum portionem factam sanare, tùm in generatione existentē inhibere debemus, gratia primi oritur indicatio refrigerandi, cum portio febris accensæ sit intemperies feruidior, & quasi ignea, gratia secundi oritur indicatio euacuandi, refrigerandi, ventilandi, concoquendi. nam futuram febris portionē generatura est humorum putredo, qui humores vt putridi sunt euacuandi, vt iusto calidiores sunt refrigerandi, vt congrua transpiratione destituti sunt ventilandi, vt semiputridi sunt concoquendi. hoc enim modo desinent vlterius febrem accendere, & nouum calorem febrilem iàm prius facto adiungere. Sic habebitur ratio febris putridæ, & quatenus febris est, & quatenus putrida. quia prima ratione vsurpantur refrigerantia, quæ febrilem calorem extinguunt, secunda ratione inducuntur euacuantia, refrigerantia, euentantia, concoquentia, quæ putredinem, & factam aboleant, & futuram compescant. Hinc Galenus in Arte Medicinali dicebat febrem in humoribus putrescentibus accensam indicare euacuationem, & alterationem, ita vt alteratio putredinem finiat manente adhuc causa, euacuatio verò totam ex corpore substantiam educat. Quæ quidem indicationes curatoriæ vocari possunt, quatenus morbum materialem abolendum suscipiunt, & non ad solum calorem febrilem, sed ad ipsam etiam causam proximam, quæ putredo est, summouendam conuertuntur. quia, vt diximus, in febri putrida non solum portio iàm accensa est extinguenda, sed quæ etiam ingeneratione existit arcenda, ideoque causæ salubres in hac febri curanda adhibendæ non sunt ex censu earum, quæ sint curatrices tantummodo, quales conueniunt morbo immateriali iàm facto, nec

ex censu earũ, quæ sint tantũmodo præseruatorie, quales conueniunt morbo imminẽti futuro, sed ex numero earũ, quæ sint mixtæ ex curatione, & præseruatione, quales conueniunt morbo materiali partim facto, partim in generatione existenti, vt est putrida febris, in qua non solum adest iàm accensa immoderata caliditas, sed subest etiam perennis fotus nouæ vlterius generandæ in putredine succorum constitutus, vt ideo non solum de calore præter naturali extinguendo, sed de putredine etiam compescenda ad impediendam noui caloris vigentem generationem debeamus esse solliciti. Quare indicationes omnes febris putridæ ad has duas redigere possumus, alterationem, & euacuationem, his namque duabus, & febri vt febris est, & eidem vt putrida est, satis possumus facere quia alteratio complectitur refrigerationem, & febri, & putredini debitam, complectitur ventilationem, & concoctionem putrescentium humorum propriam, & euacuatio eorundem cõtinet è corpore eductionem pro putredine compescenda. Vera quidem curatio respicit præcipuè essentiam ipsam morbi sanandi, veluti in hoc casu essentiam ipsius febris, quæ consistit in calore immodico in cordis humoribus constituto, vt humores cordis immodicè calefacti sint causa cõtinens febris putridæ, ideoque vera indicatio curatoria est insinuatio alterationis refrigeratoriæ, quam innuit ipsa febris, sed nihilominus indicationes etiam quæ diriguntur ad ipsam putredinem compescendam, sapiunt vim quandam curatricem mixtam, quia licet non respiciant morbum ipsum, respiciunt saltem causam immediatam morbi, & putredo ipsa, vt supra ostendimus, non solum causa morbifica à Galeno vocata est, sed etiam affectus, quo nomine curationem exposcit, & putrida tandẽ febris eam habet ideã, vt non simplicem curationem, sed præseruationi implicitam requirat, vt indicationes putredinem respicientes ratione febris sint præseruatoriæ, ratione putredinis curatoriæ, & febris putrida cum reduplicatione, hoc est quatenus putrida, remedia non modo refrigerantia exigat, verum ipsi etiam putredini repugnantia. Ex his, quæ diximus, colligere possumus multa esse in putridis febribus præter naturam, quæ contrariorum indicant vsum, & hæc omnia Galenus in Vndecimo Methodi ad numerum septenarium redigit, ad humorum scilicet multitudinem, crassitudinem, lentorem, obstructionem, transpirationis retentionem, putredinem, & febrem. Quibus etiam adiungenda statuit quæ sunt secundum naturam non nulla, à quibus non contrariorum, sed similium oriuntur indicationes, quæ sint præcipuè temperamentum partis laborantis, & viscerum præcipuorum constitutio cognita, quàm notionem tùm ætas præbeat non parum, tùm consuetudo, tùm externæ morbificæ causæ, vt hęc omnia Medico sint cõsideranda ad rectè colligendas inditiones, & opportunè vsurpandas medelas. Sed tamen ex enumeratis septem pręternaturalibus rebus in curanda febri putrida duas potissimum respicimus, vt diximus, ad eliciendas indicationes quocumque modo curatorias, putredinem, & febrem, quia hęc habet semper illam adiunctam, & ab illa suam nanciscitur naturam, quippe quę non foret putrida, si putredinis comitatu

fo-

foret destituta. Duplex ergo fuerit hęc indicatio curatoria, refrigerandi altera, altera putredinem sanandi. nam, vt ex Galeno ostendimus, putredinem duplici nomine consideramus, & quatenus facta est, & quatenus fieri potest, factam tollimus per curatoriam indicationem, futuram compescimus per præseruatoriam. Nec dicere oportet remanere adhuc duas alias indicationes curatorias, alterã sanandæ obstructionis factæ, alteram remouendæ transpirationis actu prohibitæ, quia obstructionis indicatio non est ex vsu, sed talis est materiæ obstruentis indicatio, at hæc non est curatoria, prohibita verò transpiratio habet rationem partim causæ, partim symptomatis, sed neutra rationem habet indicationem curatoriã.

De Triplici febrium putridarum diuisione in colligendis indicationibus obseruanda.

CAPVT IV.



QVæ sint indicationes curatoriæ in febri putrida deducendæ, in vsumque reuocandæ, satis, ni fallor, declarauimus. Quas vt melius obire, & adimplere possimus, non omittendam illam febrium putridarum diuisionem censemus, quam Galenus in Vndecimo Methodi statuit ante oculos esse habendã. nam primo obseruandas ait vniuersales differentias istarum febrium, deinde generales earum indicationes, mox singulatim cuiusque proprias, vt à communissima essentia ad proprijssimam fiat progressus, & ab amplissimo genere ad vltimam speciem accessus. Natarum igitur ex humoris putredine febrium triplicem facit potissimum differentiã, vnam ex eo, quòd causæ ipsius putredinis adsint, vel non adsint, secundam ex eo, quòd per totum animal, aut per eius partem aliquam diffusa putredo sit, tertiam ex eo, quod vel cum phlegmone est, vel citra hanc. Prima differentia habet locum in hoc febrium genere, quia potest adhuc remanere putredo, cũ eius causæ, prohibita nempè transpiratio, & obstructio sublatæ fuerint, nec amplius subsistant, excitata namque putredo pendet quidem in sui generatione ab illis causis, sed non pendet in sui conseruatione, humoribus putrescentibus inhærere per se apta, ad faciliorem tamen sanationem recipiendam parata. Secunda differentia habet locum, quia febres vel sunt continentes, & vnica ferè accessione continentur, quas vocant synochas, vel sunt pluribus accessionibus distinctæ, siue continuitatem habeant, siue intermissionem, quas proportionales nominant, & in primis putredo est per totum animal diffusa, in secundis particularem aliquam occupat partem, vt ex Galeno constat in secundo de differentijs febrium. quamquam possumus etiam dicere in primo quoque genere locum habere posse febres ne dum cõtinuas, verum etiam intermittentes, si putredo fuerit per totum quidem animal diffusa, sed extra venas in ambitu vniuersi corporis coercita, & in secundo etiam genere constitui posse vel ipsas continentes, si putredo occupauerit venas maiores, & proximores cordi. Verum vt plurimum contingit ad primum genus pertinere continentes, ad secundum reliquas febres. Vltima demum differentia memoriam refricat illius Galenicæ diuisionis, quam legimus in primo ad Glauconem, statuentis

aliàs febres veluti symptomata, alias verò non symptomata, sed morbos, vt primi generis sint quæ ex phlegmones ortum habent, partiũ phlegmone affectarum veluti symptomata quædam, quòd instar symptomatum phlegmonas consequantur, vnde nomen morbi magna ex parte ab affecta particula sumitur, phrænitis, pleuritis, peripneumonia, ob quam causam in primo de victus ratione dixit Hippocrates acutos morbos esse illos, quorum febres sunt continuæ, non quòd omnes morbi acuti febres habeant continuas comites, sed quòd acuti cum inflammatione habeant, at secundi generis febres sint quæ ex succis putrescentibus accenduntur, nec ad sui ortum inflammatorijs partium affectionibus opus habent. Distinguendæ ergo fuerint febrium putridarum differentiæ, vt non solum communis indicatio ipsius generis pateat, sed propria etiam cuiusque differentia innotescat, quia si febris causas putredinis habeat iunctas, non curatorijs solum, sed præseruatorijs etiam indicationibus vtendũ, at si non habeat, sufficient curatoriæ, à febri ipsa, & putredine deductæ, & si putredo per vniuersum animal fuerit diffusa, vel æqualiter in omnibus subsistet vasis, vel in maximis, maximeq; principalibus, qualia sunt inter alas, & inguina, magnis opus erit remedijs vniuerso corpori, & euacuando, & alterando addictis, at si putredo quampiã particulã occupauerit, in qua veluti in foco quodam principium febris excitet, huius præcipuè corrigendæ particulæ erit cogitatio ineunda, vt putredinis mineram eximamus, vnde putridi emergunt vapores cordis humoribus febrilem caliditatem impertientes. Quod si pars corporis fuerit inflammationis labe infecta, cuius soboles sit consequens febris, quis non videt in huius curatione à parte affecta præcipuam esse indicationem sumendã, & inchoatæ inflammationis progressum impediendum? Ita Medico comparanda venit suppellex indicationum, quia nosse debet quid commune habeat indicatio, quæ à causa sumitur adhuc manente, & quid indicatio putredinis, & quid indicatio putredinis vniuersalis, & quid indicatio putredinis partialis, cum inflammatione coniunctæ, & quid ab inflammatione seiunctę, & rursus in his ipsis quid præsente effectrice causa, & quid absente, & nosse præterea debet cuiusque adhuc manentis causæ proprias, germanasque differenrias, vnde specierum constitutarum manat diuisio, & ex diuisione notionum inuentio, quia hic desinunt indicationes à curandis affectibus depromptæ, ad quas accedunt curandarum particularum indicationes, ab habita viriũ ratione colophonem Methodi sanandarum febrium putridarũ suscipiẽtes. In quibus apparuit maximũ esse causarũ momentũ, quia cũ sanari febris nequeat, nisi tollatur putredo, hæc tolli non potest manente causa, vt ideo hæc, & cognoscenda diligenter, & eximenda etiã sit. Quod præceptum sæpe tradit, repetitque Galenus in Vndecimo Methodi, sed in principio decimi totam hanc de causa deliberationẽ in tria capita diuidit, vt æstimare debeat Medicus febris ne sola curanda ei sit non sollicito de causa, an causa oppugnanda minimè curanti de febri, an plurimum remediorum ad alteram earum sit adhibendum, non tamen altera neglecta. Ex quibus tribus capitibus primum refellit,

lit, quia si febrem factam sanantia effectricem eius causam adauxerint, nulla spes superest vel generationis prohibendæ, vel magnitudinis, secūdum distinctione illustrat, & hac adhibita indicat nō incommodum, quia in casu febris intolerabilis, non est sublationi causæ nauanda opera, ne cum febri tollamus etiam febricitantem; sed in casu febris mediocris, virtutis validæ, amplexanda hæc medendi ratio. Nec negligendam tertiam statuit, vt magis vrgenti rei intentus sit animus, altera non neglecta. Ac vim quidem causæ plerumque esse maiorem affirmat, posse tamen interdum fieri non negat, vt febris sua vehementia magis vrgeat, & ad sui curationem medentis animum prius trahat ad tollendam causam mox conuertēdum. In quo comparandarum indicationum aduersantium negotio vires etiam naturales consulendas, in examenq; reuocandas decernit, vt hinc triplex ille indicationum in curandis febribus putridis funiculus oriatur, à causa, à febri, à viribus, quem cumulatè superius considerauimus. Et cum de indicatione virium multa in primo libro dixerimus, suscepimus nunc indicationes à febri, & à causa manantes accuratè considerandas, & quia Medicum non operantem, sed ratiocinantem, non ordini executionis, sed cogitationis intentum respicimus, indicationes prius à febri desumptas examinamus, ac tanto quidem magis, quòd continentis etiam causæ, quæ putredo est, indicationes adiungemus.

De Indicatione curatoria febris putridæ, vt febris est.

CAPVT V.



INdicatio febris putridæ, vt febris est, est insinuatio eorum contrariorum, quæ febrilem intemperiē valeāt demoliri. Hęc intemperies est ignea quędam dispositio iuxta Galeni animaduersionem in commentario sextidecimi Aphorismi primæ particulæ, in quo asserit febrem esse passionem calidam, & siccam, quia sit conuersio natiuæ caliditatis in igneam, vt supra etiam considerauimus. Oritur ergo indicatio refrigerandi, & humectandi, vt contrariorum vsu caliditas, & siccitas præternaturalis de medio tollantur. Hinc Galenus nono Methodi dixit omnis febris, qua febris est, humectationem, & refrigerationem esse remedia, & si sola hęc sit, ad humectandum, & refrigerandum omne medentis consilium dirigi tamquam ad vnicum scopum, ita vt nihil sit quod præterea ad curationem desideretur, nisi vt materię inueniantur huic proposito accomodatę. Quā quidem refrigerandi, & humectandi indicationem à febri manantem considerauit etiam Galenus, in mediumque adduxit in octauo etiam Methodi, & pluribus alijs in locis, quinimo in nuper commemorato Aphorismo explicans Hippocratis sententiam dicentis victum humidum febricitantibus omnibus conferre, ostendit in affectibus naturalibus quidem oriri similium indicationes, in præternaturalibus autem contrariorum, ideoque in febri prodire

dire indicationem refrigerandi, & humectādi, nec valere obiectionem ex febri cum aqua intercutem, quæ exiccantia quærat, deductam, quia tunc non est simplex morbus, sed compositus, ideoq; non simplicem, sed compositam promens indicationem, vt ex febri, & hydrope complicatæ oriantur, & inter se contrariæ indicationes, quibus satis oportet facere eam adhibentes cautelam, vt id quod magis vrget præcipuè respiciamus, altero non neglecto. Per hoc ergo non stat quin febris ratione sui indicet humectantia cum refrigerantibus, quia in hydropico etiam ratione febris est hæc indicatio, sed hanc obscurat, & quasi obruit super ueniens ex hydrope indicatio exiccandi, vt habenda sit vtriusq; ratio, maior tamen magis vrgentis, & maius negotium facessentis. Sed hic dubitare contrario modo libet, cur scilicet Hippocrates in illo Aphorismo solius humectationis meminerit, & refrigerationem silentio obuoluerit, quasi sola humectandi indicatio febrim respiciat, & cur Galenus ex altera parte solius refrigerationis in febricitantibus sæpe faciat mentionem, & in Vndecimo præcipuè Methodi nullam ferè aliam à febri deducat indicationem, quàm refrigerandi, quasi solum hūc scopum in curanda febri debeamus habere propositum. Ad primam dubitationem dicamus primo omissam ab Hippocrate ibi fuisse refrigerationem tamquam notissimam, & suopte nutu mentibus omnium occurrē-tem, secundo hanc eandem fuisse in humectatione insinuatam, non solum quia humiditas est qualiscumque caliditatis refractio, atque retusio, veluti siccitas est eiusdem caliditatis excitatio, & lima, verum etiam quia victus humidus, de quo ibi fit sermo, refrigerandi facultatem habet adiunctam, cum illum insinuet auctor cibum humidum, quem in primo de victus ratione expressit ptissanæ inducto exemplo, vt quattuor ferè habeat conditiones, imbecillitatem, sitis carentiam, concoctionis facilitatem, & qualemcumque liquiditatem vel actualem, vel actui proximam. At imbecillitas in cibis est illa, quæ ipsos arguit omni forti qualitate destitutos, ideoq; non calefaciendi, sed refrigerandi potius vi præditos, vnde dixit in sexto Epidemiorum Hippocrates, cibi imbecilles frigidi. Ita fit, vt victus verè humidus non modo humectet, verum etiam quoquopacto refrigeret. nam quòd victus humidus propositas habere condiciones debeat hæc etiam insinuant Celsi verba in tertio libro Hippocraticam sententiam sic exprimentis. Cibus febricitantibus humidus est aptissimus, aut humori certè quam proximus, vtiq; ex materia quàm leuissima, maximeq; sorbitio, eaque si magnæ febres fuerint, quàm tenuissima esse debet, nam dum vocat vel humidum, vel humori valdè propinquū, eius qualemcumque liquiditatem innuit, dum ex materia leuissima, coctionis facilitatem, dum sorbitionem præponit, vim compescendæ sitis attingit, dum tenuitatem nominat, imbecillitatem declarat. quippe Hippocratis sollicitudinem de refrigerandis febricitantibus in dubium reuocauerit nemo vel parum in eius doctrina versatus, vnde in sexto Epidemiorum carpit Prodicum febrientes necantem cursibus, luctatione, fomentis, inedia, asserēs quod febrile est, esse ciborum parsimoniæ inimicum, periodis multis, cursibus, refricationi, labori, nec aliam ob causam asseruit, nisi quia febris, indiget

refrigerio,& hęc augent incendium, & paullo post subiunxit illa verba, sitim arcent os continere, tacere, spiritum cum potu frigidum introducere. Sed in illo aphorismo maluit humectationem exprimere, partim quia hæc refrigerationem habet comitem, partim quia humectatio à rebus tùm præternaturalibus, tùm naturalibus indicari potest, à primis quidem repellendis, & hanc voluit indicationem eiusdem rei contrario modo factam proponere, indicari humectationem ostendens à febri, tamquam à morbo per contrarium expellendo, indicari ab ętate puerili, & à consuetudine tamquam rebus naturalibus per similia humectantia conseruandis. Quod in refrigeratione vsu venire nũ potest, cum frigiditas non sit ętati puerili familiaris, nec humanę vitę, viuentiumque naturę amica. Ad secundam ex Galeno dubitationem respõdemus ipsum ex altera parte pręcipuam nominasse in Vndecimo Methodi indicationem, quam constat ad refrigerandum pertinere, minus pręcipuam ad humectandum attinentem superius sępiusculè commemoratam subinnuisse, aliquoties tetigisse, & subintelligendam semper reliquisse, vt hic habeat locum monitum ipsius Galeni in pręfato Aphorismorum loco his verbis expressum. Si quid expressis verbis Hippocrates in aphorismis non dixit, quod tamen idem habeat iudicium cum his, quę ab ipso dicuntur hoc quoque fuisse dictum potentia existimare debemus. nam hoc idem nobis de Galeno statuendum est, quem cum videamus indicationi refrigerandi in febribus eam, quę humectantia porrigit, interdum nõ adiungere, potentia adiunxisse debemus asserere, cum frequentius vtriusq; indicationis fecerit in superioribus libris mentionem. nominat enim potiorem indicationem refrigerandi, quam maximè pręstat immodicus febrilis calor, quem dum retundimus, & compescendo corrigimus, consequenti simul siccitati obuiam imus, vt refrigerantia pręsidia, per se quidem refrigerent, per accidens autem humectent febricitantis corpus, quatenus sublato calore immodico demitur ansa consequentis eum siccitatis, & aperitur aditus humectationi ab alimentis proficiscenti. Non debebat autem Galenus semper indicationem humectandi adiungere, partim quia subintelligitur indicationi refrigeratorię annexa, partim quia in putridis febribus humiditas viget superuacanea pręter humiditatẽ putredinis perpetuam pedissequam, vnde Aristoteles in prima problematum particula vocauit febrem passionem calidam, & humidam, partim quia siccitas non ita facilè inualescit in febricitantibus, euaditque morbosa operationes euidenter lędens, vt caliditas, quę cum citam suscipiat auctionem, fiatque morbosa diathesis, vrget magis, ad seque trahit medentis cogitationem, nõ tàm valide pulsatam à languidiore adiuncta siccitate, cuius nondum ad effatu dignum gradum deductę nõ magnę sunt vires, non magni ad contraria adhibenda stimuli, vt indicatio humectandi non modo pręsentis affectionis curationem, verum imminentis etiam inhibitionem videatur insinuare, ideoque & curatoriam, & prophilacticam vicem subire. Qua in re illud venit animaduertendum propositam ab Hippocrate febricitantium humectationem per alimenta potissimum fuisse, vt ipsa humectando vim subirent

rent medicamentosam in libro de alimento ab eodem expressam, vt cum cibus sui natura calidum, & siccum quærat, potus frigidum, & humidum, vt docuit Plato in Hipparcho, & Aristoteles in secundo de anima, cibus etiam febricitantium, nedum potus, non exiccandi, sed humectandi vim obtineat. Non inficias tamen eundum per medicamenta etiam hanc humectationem qualemcumq; quærendam, nec vmquam in febribus, qua febres sunt, hanc indicationem negligendam, vnde idem Galenus in Vndecimo Methodi euacuationes per vrinam, per aluum, per sudorem in propositis febribus moliendas proponens illud monuit obseruandum, vt materiæ deligantur, quæ citra magnam vel caliditatem, vel siccitatem valeāt id præstare; quia nempe propositus est non calefaciendi, sed refrigerandi, non exiccandi, sed humectandi scopus. Cum ergo refrigerandi, & humectandi in febribus excitetur consilium iure illo contrarietatis, quod in omnibus morbis indicationes prębere cum Hippocrate in Vndecimo Methodi locupleti oratione patefacit Galenus, multa quidem sunt præsidia quæ hanc operam possint nauare, & propositum institutum explere, & multiplex eorundem præsidiorum forma operandique ratio. nam vt idem in eodem Vndecimo notat Galenus, alia sunt quæ per se, alia quæ per accidens, seu aliena vi id faciant, alia etiam quæ actu, alia quæ potestate. dicere namque exempli gratia possumus aquā frigidam esse remedium, quòd tùm propria vi, tùm actu refrigeret, & humectet, venæ autem sectionem, & lenem alui subductionem accidentaria ratione refrigerare, ptissanam, & olerum vi frigidiuscula prędictorum decoctum potestate idem efficere, nec desunt aliqua quæ & per se, & per accidens refrigeranda, humectandaq; corpora suscipiant, quo in censu Balneum præcipuè posuerimus, quod remedij genus vt antiquis erat temporibus vsitatissimum, sic nostris etiam interdum ad has profligandas febres vsurpandum, vt cum Galeno in Vndecimo Methodi inferius ostendemus. Hæc omnia, aliaque id genus præsidia possunt esse infestantis febris, quatenus febris, remedia satis indicationibus ortis factura, venæ, inquam sectio, alui subductio, potio frigidæ, ptissana, herbarum frigidarum decoctio, & Balneum, quæ singula in examen reuocabimus à venę sectione auspicati, tamquam à remedio frequentiori, & magis, vt solet vocare Galenus, præsentaneo.

De sanguinis euacuatione per Phlebotomiam, vt remedio refrigeratorio, & prius vnde indicetur absolutè phlebotomia.

CAPVT VI.

QVÆ à febri, vt febris est, indicatio sumitur, est partim vltima, partim prima, vt docet Galenus in Vndecimo Methodi. nam ratione auxiliorum parandorum vltimum habet locum, ratione methodi in inueniendis auxilijs à febri statim incipientis, vendicat sibi primum. Et veluti prima indicatio est refrigerandi, ita primum refrigeratorium auxilium est sanguinis imminutio, quæ cum multifariam fieri possit, vt idem Galenus ostendit in Quarto Methodi, & in libello de phlebotomia, per inediam scili-

ſcilicet, per exercitationem per alui ſubductionem, per balneum, aliaq; id genus, ac demum per venæ ſectionem, eam nos hoc loco hac vltima factam ratione conſiderabimus. Vocat hoc remedium, vt diximus, magnum, & præſentaneum in arte Galenus, quia magnas habet in corpore tùm vacuando, tùm alterando vires, & quam pollicetur operam, pręſtat non longo temporis interiecto interuallo, ſed breuiſſima quadam mora, vt eius adminiſtrationem ſtatim ferè expectata excipiat vtilitas, vnde prodijt argutum illius dicterium, qui repentinam febrientis curationem à Galeno hoc remedij genere factam admiratus, iugulatam ab eo fuiſſe febrem eſt confeſſus. Ad hoc remedium ſtatim eſſe in putridis febribus confugiendum hęc Galenica verba in Vndecimo Methodi declarant. Si vires eius, qui ex putredine humorum febricitat, valentes ſint, mittendus ſtatim ſanguis eſt, ſi cruditas ventris non ſit, ſtatim morbo incipiente, ſin vires infirmæ ſint, aut ætas diſſuadeat, incidenda vena non eſt. Nec admirari hoc Galenicum debemus conſilium, quia propoſitum remedium duplicem præcipuè habet rationem quippe quod non ſolum vt euacuatorium, ſed vt refrigeratorium confert, & ſanguinem vt opus eſt minuens, & corpus febricitantis valdè refrigerans. Ac veluti prima ratione naturam obtinet remedij præſertim præſeruatorij, ita ſecunda euadit propriè curatorium, quo pacto nunc in examen reuocatur, altero mox inferius, cum de præſeruatione indicata erit ſermo, reuocandum. Verum hæc venæ ſectio numquam adhibetur, nisi vrgeat indicans, & adſint permittentia, quod indicans, & quæ permittentia qualia ſint, celebre Hippocratis oraculum inſinuauit in quarto acutorum his verbis expreſſum. τὰ ὀξέα πάθεα φλεβοτομήσεις, ἢν ἰσχυρὸν φαίνηται τό νόσημα, καὶ οἱ ἔχοντες ἀκμάζωσι τῇ ἡλικίῃ καὶ ῥώμη παρῇ αὐτέοισιν. hoc eſt in acutis morbis ſanguinem detrahes, ſi vehemens appareat morbus, & laborantes vigeant ætate, & robur adſit ipſis. Quæ verba ſic explanat Galenus in commentario, vt ad hæc tria redactam aſſerat mittendi ſanguinis indicationem, morbi magnitudinem, virium validitatem, ætatis vigorem, quia licet ſufficere videatur morbi magnitudo cum virium robore, adiungenda tamen fuit etiam ætatis vigentis conſideratio non tàm propter ſenes, quam propter pueros, vitalis facultatis robore pollentes, perenni tamen euacuationi ſponte naturæ factæ obnoxios, vt ille virium tonus facili negotio fatiſcat, quippe qui ætatis deſtitutus vigore ad quemlibet extrinſecus accedentis euacuationis acceſſum euaneſcat. Exceptis ergo pueris, & ſenibus reliqui omnes magno morbo laborantes, & virium firmitatem nacti ſanguinis exigunt detractionem, vt morbi magnitudo, ſeu vehementia ſit indicans principale, virium conſtantia cũ ætatis vigore ſit coindicans, & ortam à morbo indicationem ſuo quaſi nutu confirmans. Sed dubitauerit hic aliquis, cur Hippocrates loquens de morbis acutis dixerit, ſi vehemens appareat morbus, quaſi dentur morbi acuti non vehementes, ſed leues, & non hæc ſit acutorum omnium indoles, vt duarum cõditionum quaſi caracteriſmo ſint inſigniti, vehementiæ in gradu; celeritatis in motu, vt in commentario decimi noni aphoriſmi ſecundæ particulæ docet Galenus. At re-

ſponſio eſt in promptu, non dixiſſe Hippocratem abſolutè, ſi morbus fuerit vehemens, ſed adiunxiſſe vlterius, ſi adſit vigor ætatis, & virium firmitas, vt trium rerum funiculum connectere voluerit, Magni morbi, vigentis ætatis, virtutis validæ, quaſi voluerit dicere, in omnibus morbis acutis, in quibus ad morbi magnitudinem accedit etiam ætatis vigor, & virium robur, facienda ſanguinis detractio eſt; vt nobis ob oculos ponat ſcopos omnes, & principales, & principalium confectarios in ſanguine educendo conſpiciendos, vt principalis ſit ſcopus morbi vehementia, & magnitudo, huius quaſi pediſequi ſint ætatis flos, & virium conſtantia quòd hæc duo remediũ confirment coindicando primitus à magno morbo indicatum. Quam ſententiam adeo ſuſtinet Galenus euidenter, adeo retinet mordicus, vt præter hoſce tres ſcopos nil vlterius obſeruandum autumet, nihil addi eis poſſe, nihil detrahi exiſtimet, & in Menodotum inſurgat plenitudinis ſigna pro ſanguine detrahendo expectantem, quibus etiam deficientibus ad hoc remediũ accedimus, dum morbi vrgeat magnitudo, & præſentibus non accedimus dum ea non vrgeat, vt non poſſit indicatio pendere à plenitudine ſanguinis, cum hæc poſita non ponat, nec remota remoueat remedium, veluti facit magnitudo morbi, cuius preſentia illud accerſit, abſentia ſummouet, & ſi quid facit plenitudo, non facit ſua vi, ſed morbi magni à ſe conſtituti interuentu. Cuius doctrinæ clara ſemina iecit Galenus non in memorato ſolùm commentatio, ſed vberiora in Quarto Methodi, & in libro de ſanguinis detractione, vbique Hippocraticæ ſententiæ, & explicationem meditatus, & confirmationem molitus, ſolam morbi Magnitudinem cum ætatis vigore, & virium robore concurrere ad ſanguinis indicandam detractionem, eſt enim veriſſimum artis fundamentum, morbis æqualia eſſe debere auxilia, quod iactum videmus in celebri illo aphoriſmo primi libri, Extremis morbis extrema exquiſitè remedia conueniunt, & explicatum legimus in libro de locis in homine, alioquin ſemper inualeſcerent morbi, & victoria potiti triumphum de natura ſuccumbente ducerent, niſi ab arte petita præſidia, non minorem morbis vim habentia, compeſcendum eorum, ac retundendum impetum ſuſciperent. Morbi ergo magni qualia fuerint remedia? vel ſola victus ratio, vel alia addentur præſidia. Primam partem amplexatus eſt Plato in Timæo, nil aliud morbis opponens, niſi diligentiam victus, quia ipſi inſtar animalium ſuã habeant fatalem conſtitutionem, & principio augmento, ſtatuque tranſacto ad ſuam ſponte ſua properent declinationem, quam non oporteat medelis, aliiſque id genus præſidiis moliri eorum ſæpe vim exacerbantibus, impetumque irritantibus, ſed huius opinionis fallaciam illud oſtendit, quod in libro de totius morbi temporibus animaduertendum proponit Galenus, non omnes morbos omnia habere tempora, & inclinationis etiam fieri compotes, ſed huius ſolos ſalubres euadere participes, læthales autem apparere expertes, & de ſalubribus etiam illud verum eſt, quòd vſu remediorum opportunè adhibitorum citius longè, & commodius terminantur, ac deſinunt in ſalutem. In his ergo morbis magnis cum neceſſaria ſint re-

remedia; hæc vel exigua fuerint, & leuia, vel magna, & vehementia, non debent esse leuia, quia non habebunt propor tionem cum morbis, nec à leuioribus est inchoandum, nisi in leuitate ægritudinis inducias dantis, quæ si vrget, & sua grauitate premit, magna remedia illico exposcit, quorum omissio est certæ pernitiei admissio, vt ex Galeno cognoscimus in Quinto Methodi aduersus Ærasistrateos hoc demonstrante. Iure ergo Hippocrates ex morbo magno remedium magnum deducit, & quia hoc apud eum duplex est, purgatio, & sanguinis detractio, sed illa non semper habet locum, quippe quæ in materia cruda, & non turgente minus conueniat, hæc autem semper habet, modo ætatis vigor, & virium firmitas accedat, ideo non purgationem, sed plebotomiam decreuit in morbis magnis enarratarum conditionum comitatum habentibus esse vsurpandam, vt malum graue æqualem excipiat artis opem, quæ, sanguinis detrahendi omissa cura, vel nulla sæpe foret, vel saltem contemnenda. Nec placet virorum alioquin clarissimorum, & doctrina insignium sententia, qui pro hoc remedio colligendo sanguinis plenitudinem magnitudini morbi adiungendam censent, & hæc quattuor seriatim disponunt, sanguinis plenitudinem, morbi magnitudinem, ætatis florem, & virium constantiam, vt duo prima indicent, secunda coindicent non prohibentia, & ex duobus indicantibus sanguinis plenitudo indicet quid agendum, nempe euacuandum, non purgandum, morbus magnus indicet quo agendum, nempe venæ sectione, non inedia, vel frictionibus, vel balneo, vel alijs id genus euacuandum, ex duobus coindicantibus virtus primario coindicet non prohibendo hanc euacuationem, ætas verò coindicet secundario ad virtutem ipsam referenda. Hæc subtiliter quidem dicuntur, & ingeniosè admodum, sed non verè mihi, vt liberè loquar, videntur dicta, nec apparent Galenicę doctrinę consentanea, hanc sanguinis affluentiam tamquam minus ad indicandum necessariam clarissimis verbis vbique excludenti, & contra Menodotum, vt diximus, contendenti non hanc semper exigi ad sanguinem detrahendum, in eius etiam defectu optima sæpe methodo detractum, exigi semper magnitudinem morbi, quæ si fuerit viribus, & ætatis vigore comitata, huius vsurpandi auxilij necessariam inuehat curam. Morbi magnitudo (inquit ille in libello de phlebotomia) vnà cum robore virtutis primi mittendi sanguinis scopi fuerunt, ille quidem quæ facere oportet indicans, hic verò tamquam illum haud impediens quod simul indicare nonnulli recentiorum medicorum vocant. interdum enim affectus ipse sanguinem mittendum esse iubet, virium verò imbecillitas prohibet, ambobus autem hisce scopis præsentibus, constat quidem, vt dictum est antea; nullam plenitudiuem crudorum humorum tantam, talemque esse, vt hoc remedium impedire queat. Quibus verbis ratum facit, ac dubitationis expers decretum à magnitudine morbi robore virium comitata sumi sanguinis mittendi indicationem, hisque vrgentibus scopis, à nulla crudorum humorum plenitudine induci posse huius remedij omissionem, vt hinc etiam euidenter innotescat non exigere Galenum ad phlebotomiam pleni-

tudinem sanguinis, sed contentum esse magnitudine morbi cũ robore virium, quandoquidem his præsentibus aperit venam in quacumque humorum crudorum plenitudine, in quacumque cacochimia, quia si in pituitosa, multo magis in alijs, in quibus vigent humores vel biliosi, vel melancholici crudi, & ipsi vocandi iuxta Hippocraticam doctrinam in secundo acutorum à Galeno explanatam, plus quidem sanguinis mittit in plethora vera, quia hæc præfatos scopos adauget, & vberiorem vacuationem indicat, minus mittit in plethora notha, & in cacochimia parcius sanguinem educit, sed mittit tamen, & educit aliquid vrgente morbo magno, & robore virium, ideoque superioribus verbis alia subiungit, quibus in hominum temperamento, & habitu, siue cum plethora coniuncto, siue ab ea seiuncto, mittendum sanguinem statuit, in primo quidem vberius, in secundo parcius, vt materia sanguinea secũdum eum non indicet missionem sanguinis, sed copiosam missionem, Quam parcè factam in illis etiam admittit, qui parum sanguinis habent, ac facilè transpirabilem carnem obtinent. In contrarijs planè corporum naturis remedium idem vsurpandum suadet, & licet magis in plenitudine sanguinis, tamen aliquatenus etiã in eiusdem inopia, ergo non potest esse indicatum ab altero solo contrarietatis extremo, quia tunc non haberet locum in altero, si à copia insinuaretur, non admitteretur ab inopia, seu paucitate, cum ergo admittatur ab vtroque contrario, à neutro quidem propriè indicatur, sed à tertio quodam, cui vtrumque contrarium potest accedere, nempe à morbo magno, cui modo sanguinis copia, modo paucitas apparet comes, & prima quidem auget, secunda verò minuit indicationem mittendi sanguinis ab eo factam, vt in altera vberius, in altera mittatur parcius. Magnitudinem ergo morbi facit Galenus ex mente Hippocratis præcipuum scopum indicantem, vt indicet quid agendum, dum ait morbum magnum indicare quæ facienda sint, robur virium non impedire, non dicit morbum indicare quo modo faciendum, sed quid faciendum sit, quamquam in modo euacuandi continetur etiam euacuatio, & indicans modum rei, indicat etiam rem, quia morbus magnus indicat sanguinis euacuationem arte efficaciter moliendam, & hæc efficax euacuatio fructus est sectæ venę. quæ venę sectio est potius materia indicati diuturno vsũ collecta, quam indicatum verum, hoc enim est sanguinis cooferta euacuatio, quæ mox per venam sectam obeunda colligitur. Ex quo fit, vt iuxta propositam à doctissimis illis viris explicationem à morbo magno deducatur materia potius indicati, verum autem indicatum pendeat à copia sanguinis, in quo reclamantem absque dubio habent Galenũ, qui clarè profatur hanc copiam non facere scopum mittendi sanguinis, sed eum augere, velut paucitas non tollit eundem, sed diminuit. At quæ faciunt magis, & minus, non immutant speciem, ut aiunt philosophi. Et quia Galenus hanc apud multos inualuisse opinionem optimè nouerat, multitudinem sanguinis concurrere ad indicandum, ideo eam refellere tamquam à ueritate alienam uoluit, & non semel, sed multoties, sine ulla etiam huiuscemodi multitudine sanguinem detrahi, si & ægritudo, & virtus sit

ma-

magna, astruxit. Quamobrem mihi illud semper argumentum validissimum est visum, ac tanta demonstrandi vi præditum, vt instar Achillis censeri debeat, Datur morbus magnus cum magnis viribus, ergo indicatur remedium magnū, quod cum esse possit vel purgatio, vel sanguinis missio, & purgatio in cruda materia non habeat locum, sanguinis missio materiæ coctionem non poscat, in morbo magno non semper purgatio adhibenda, numquam sanguinis missio repudianda. Alioquin morbus progredietur sine remedio sibi debito, si omittitur purgatio tamquam incongrua, sanguinis detractio tamquam superuacanea. nam si morbus indicat, cur non satis indicationi fit? cur non habetur Hippocratici dicti in sexto Epidemiorum necessaria ratio, sanationem esse obluctantem non consentire morbo non enim admitti debet responsio, quam afferunt huic argumento dicentes, in tali morbo vrgente, & acutissimo, si habeat adiunctam exquisitam cacochimiā, nec purgatione, nec venæ sectione à principio vtendum, non hac tamquam non indicata, non illa tamquam vetita à cruditate materiæ in principio vigente, quia, cum tempus agendi sumatur à motu morbi, & à qualitate materię, plus hæc cruda valeat ad inducendam dilationem, quàm ille velocissimus possit ad suadendam accelerationem. Cum ergo tria in proposito casu possint præstari vel purgatio, vel sanguinis missio, vel ad materiam concoquendam conuersio, duo prima dimittenda statuunt, & postremo manum dandam, crudorumque humorum concoctionem moliendam. At hoc consilium quomodo potest placere? quomodo in morbo non dante inducias medendi ratio ineunda, quæ paullatine fit, & longo temporis curriculo indiget? quis polliceri sibi naturæ resistentiam possit vehementi morbo, & in suo cursu properanti factam? quis non videat imminens discrimen, non pertimescat mortem minitantem, & iàm proximam? non ne Hippocrates in Epistolis testatum reliquit in omnibus artibus, sed in Medicina præcipuè cunctationem esse detestandam? quod in acutis morbis verissimum præsertim est, in quibus cunctari est non rem restituere, vt de Fabio Maximo in rebus bellicis asseruit Ennius, sed eam funditus perdere. Vnde celsus in Proemio tertij libri dixit magis ignoscendum Medico esse parum proficienti in acutis morbis, quàm in longis, hic enim breue spatium est, intra quod si quod auxilium non profuit, æger extinguitur, ibi & deliberationi, & mutationi remediorum tempus patet. Quæ scribens celsus allusit ad Hippocratis dictum in Quarto Aphorismorum in valde acutis quam primum remedia magna adhibenda, quia in his cunctari sit malum. Non debet ergo placere proposita concoquendæ materiæ deliberatio ansam morbo relinquens pessumdandę naturæ. Aliter deliberandum esse docuit celsus idem, qui libro secundo de sanguinis detractione per venas accuratissima verba faciens eundem casum proposuit, aliter tamen determinauit. Fieri potest (inquit ipse) vt morbus quidem hoc remedium desideret, corpus autem vix pati posse videatur. sed si nullum tamen appareat aliud auxilium, periturusque sit qui laborat, nisi temeraria quoq; via fuerit adiutus, in hoc statu boni Medici est ostendere, quàm nulla spes sine sangui-

guinis detractione fit, fateriqueꝗ quantus in hac ipsa re sit metus; & tum demum, si exigatur, sanguinem mittere. De quo dubitare in eiusmodi re non oportet, satius est enim anceps auxiliū experiri, quàm nullum. En quomodo celsus in vehementissimo morbo, ne victoriam illi permittat, venam secat etiam quando corpus ægrotantis vix pati posse videtur, hoc est quando nullam præfert sanguinis copiam, quę detractionem commodè permittat. Dices forsan, quòd per hæc verba innuit virium imbecillitatem, si hoc damus, augetur vis argumenti, quia si non deterretur vel ipsa virium infirmitate, cuius oppositum robur vnus est ex pręcipuis phlebotomiæ scopis, quin aliquid saltem sanguinis in acutissima ægritudine educat, cum nulla sit tanta virtutis infirmitas, vt præclarè considerauit etiam Fernelius, quæ pusillam saltē eius euacuationem non perferat, multo minus deterrebitur qualicumque dominante cacochimia, in cuius dominio, si morbus vrgeat, non pertimescit sanguinis missionem, vt apparet ex præcedentibus eiusdem capitis verbis, in quibus asserit attendendam vim ægrotantis, quæ melius ex venis, quàm ex ipsa corporis specie æstimetur; & considerandum morbi genus, quod sit, num superans, an deficiens materia læserit, corruptum corpus sit, an integrum, quia in defectu, vel integritate materiæ aliena sit phlebotomia, in eiusdem uel copia, uel corruptela nullo modo melius succurratur. Et mox recensens morbos hoc remedio indigentes enumerat etiam malum corporis habitum, omnesque acutos morbos, qui modo non infirmitate, sed onere nocent. Qui scribendi modus accuratè uenit obseruandus, quia corpus etiam exprimit cacochimia onustū, tantum tamen uirtutis adhuc retinens, ut non langueścat, nec propositæ euacuationi repugnet. nam in tali corpore si vires langueant omnino, sublata est omnis difficultas, & constat non esse venam tundendam, at si vires suppetunt, vt in casu supponitur, nulla est ad omittendum remedium impellens ratio. nam in illa prauorum humorum affluentia per aliqualem sanguinis missionem calor innatus excitatur, qui quasi oppressus torpebat, & quodam quasi onere subleuatur, cum hoc præsidium omnium æqualiter humorum in venis contentorum euacuationem inuehat, vt in commentario decimi septimi aphorismi secundæ particulę est auctor Galenus, qui hanc etiam absolutè euacuationem dici affirmat ad purgationis pharmaco factæ distinctionē, eamque non solum plenitudini plethoricæ, sed alteri etiam cum corruptela coniunctæ adhibendam ibi statuit, dummodo talis sit humorum corruptela, vt ad bonam rursus frugem redigi possit, quia si omnimoda sit corruptio ad recipiendā naturæ gratiam inepta, non possunt amplius vires suppetere ad sustinendam euacuationem necessariæ. Quę tamen euacuatio in corruptis humoribus debet esse iuxta Galenicam admonitionem parca, non liberalis, quia hęc corruptela tantum minuit phlebotomiæ indicationem, quantum bona plenitudo eandem auget, vt in hac Galenus sanguinem audacter educat ad heminas, in illa verò cautè ad vncias. Nec vllà apparet tanta, talisq; humorum cruditas, vt constat ex superioribus eius verbis, quæ illum ab aliqua sanguinis portione educenda

auocet, dum modo morbum magnum, & vires constantes videat, quia hæc eductio venarum impuritatem minuit, omnes æqualiter humores euacuans, non sanguinem solum ab alijs humoribus seiunctum, sed omnium pariter humorum aggregatum, quippe non serum primo egreditur, quam pituita, vel bilis, vel melancholia, nec qualiscumque humor corruptus integrum, & bonum exeundo anteuertit, sed simplex, & vniusmodi succorum miscella elabitur, vt doctè in secundo libro Methodi medendi considerauit Fernelius, Auicennæ suspicionem de biliosis feruorem, & ebullitionem subituris infringens. Qui etiam Auicennas vtilitatem corruptæ huius materię per venam sectam minuendæ & agnouit, & prædicauit in quarta Fen primi libri de phlebotomia sermonem habens, dum dixit, Multoties, phlebotomia in febribus, licet necessaria non sit, efficit vt natura fortis fiat supra materiam, propterea quòd eam efficit paucam, & hoc quidem cum fuerit figura, & ætas, & virtus, & reliqua talia vt permittant. Hæc cum dixisset Auicennas, vt pateret se non pertimescere remedium neque in copia humorum à natnra sanguinis recedentium subiunxit hæc verba, in corporibus, quæ diuturnas perpessa sunt ægritudines, caue tibi à phlebotomia, nisi sanguinis affuerit corruptio, quæ te ad hoc producat, quoniam tunc phlebotomabis ea. Reprehendis ipse phlebotomiam in diuturnis morbis transactis, quia timet virium imbecillitatem ex longa perpessione obrepentem, sed hoc sublato impedimento, consulit eam in apparente sanguinis corruptione, quam fieri constat cum generatione humorum biliosorum, & melancholicorum cacochimiam constituentium, vt in secundo de differentijs febrium declarat Galenus, & in cacochimia melancholica audacter mittit aliquid sanguinis Auicennas, in qua sanguis conspicitur niger, & spissus, at in pituitosa, in qua apparet albus, ac tenuis, timorem incutit, quia spirituum inopiam, & virtutis infirmitatem veretur. Quæ nisi impediat, magna semper ex hoc remedio vtilitas expectatur, quia, vt ait Soranus in fine sui libelli, phlebotomia proprium sanguinem nutrit, & extraneum eijcit, & omnes mali succi collectiones pestiferas valetudines, & rheumata profligat, ac deponit. Non in omni quidem humorum corruptela, nec in omni cacochimia mittendus sanguis, licet morbus sua magnitudine vrgeat, nec id Galenus suadet, sed in ea solum, quæ vires adeo retinet incolumes, vt appareant ferendæ euacuationi aptæ, vt contingit in moderata cacochimia, quæ mox cum adeo inualuit, vt ad summum peruenisse videatur, bonum virium tonum labefacit, nec robur amplius resistens retinet adiunctum, & omnem adimit mittendi sanguinis cogitatum, & ideo dixit Galenus, morbo magno existente, & virium robore comitante nullam esse pertimescendam humorum cruditatem, quia hæc non potest esse immodica, omnis quippe talis est à virtutis robore aliena, quod robur dum supponitur, cruditatis, & corruptelæ immoderatio excluditur. Et ob hanc nimirum causam Galenus in suo illo de phlebotomia libello modo vetat missionem sanguinis in humorum corroptela, modo permittit, vetat in effatu digna corruptela, quæ vires pessumdederit, permittit in moderatiori, quæ adhuc habeat suf-

ficientia pristinæ virtutis vestigia, & in hac etiam non confertim sanguinem eximit, sed paullatine, & per vices repetitas, vt sint potius iuxta Auicennicum dictum multæ vices, quam multa quantitas educti sanguinis, & partim euacuat leniter, partim renutrit prouide, & illam, quam vocant epicrasim, medendi rationem exercet. Nec aliter in quarto de sanitate tuenda statuit, vbi considerandum proponit num quid ægrotantium corpora paullulum citra sanguinem restiterint, vel vltra processerint, aut multum, aut plurimum, & in primo casu vberem sanguinis detractionem, & audacter factam iniungit, in secundo moderatius agendum præcipit, in tertio verò omnem venarum apertionem prohibet, quia in primo sanguinis suppetit copia insignis, quæ detractionis indicationem adauget, in secundo est quidem cacochimia, sed quæ vires non prosternit, in tertio illa impurissima plenitudo adeo inualuit, vt omnem viscerum œconomiam peruerterit, omnem virium vigorem dissoluerit, quo dissoluto qui sanguinem audet educere, in fausto euentu comprehendit se mortem inducere, at qui eodem consistente, & morbum magnum comitante parcit venæ, intus hostilem materiam conseruat, & inde prodeunti parcit penæ, cum ex Galeno omnis vasorum plenitudo sit sanguinis eductione demenda, pura quidem, plethoræ nomine insignita, hoc solo remedio adimenda, impura verò, multę cacochimiæ nomen nacta, quæ pharmaco sæpe tolli non potest, vel non tuto tolli, venæ sectione & ipsa abolenda ad periculum ex illa plenitudine impendens extra virium offensionem vitandum. Iure clamat ergo Galenus nullam esse tantam humorum cruditatem, quæ venæ sectionem in morbo magno cum bonis viribus coniuncto inhibeat, quia si foret omnimoda cruditas, & immodica cacochimia, non constarent vires, quæ dum constant, moderatiorem cacochimiam insinuant, quæ propositam indicationem possit quidem minuere, non possit delere, quia si quis omisso remedio concoquendæ materiæ crudæ operam det, virium acquirendarum ansam ad destruendam vitam morbo relinquat. In quo etiam mirè consentientem Celsum habemus, cuius libros legisse Galenum, sed tamquam Græcum silentio inuoluisse à latino conscriptos, credere probabiliter possumus. nam & Celsus hæc duo iacit mittendi sanguinis fundamenta, magnitudinem morbi, & virtutis constantiam, quibus apparentibus fundamentis in omni plethora, in omni cacochimia, in omni acuta ægritudine, in omni morbosa dispositione materiæ potius onus, quàm defectum insinuante, in omni etiam ætate, in omni hominum condicione venam tundendam proponit. Ac denominata cruditate ita decernit, cum sit minime crudo sanguis mittendus, tamen ne id quidem perpetuum est, neque enim semper concoctionem res expectat. Quod etiam Galenus in commemorato huius argumenti libello constituit, & si hâc primarum viarum cruditatem, quę per venam sectam potest ad partes penitiores trahi, non pertimescunt, minus adhuc verentur eam, quæ residet in ipsis vasis, quam posse per phlebotomiam minui, & labefactari constat. nam in prima periculum est trahendi intra venas succi crudi, in secundo certitudo educendi. Nec lapsus virium pertimescendus

ctus ex eductione alimentalis materiæ, quia educitur simul excrementitia, & vires supponuntur validæ, ad perferendam eductionem accomodatæ, alioquin non esset de sanguine educendo cogitatio suscipienda, qui etiam educendus venit non copiosè, & confertim, sed parcè, & per vices repetitas, non audacius, sed iuxta verbum Fernelij reuerentius, vt sublata plenitudine cum præcipitio periculosa, reliqua impuritas, & cacochymia pharmaco opportune eximatur. Sic igitur apparet adesse indicationem in morbo magno cum viribus validis mittendi sanguinis etiam si non sit sanguinis plenitudo, etiam si sit multa cacochymia, quia morbus magnus est qui indicat, & vires quæ coindicant, non est copia sanguinis, non est multitudo prauorum succorum, sed illa auget indicationem, & facit ad opus alacriorem Medicum, hæc minuit, & facit cautiorem, hùc addo plenitudinem sanguinis concurrere ad indicandum non per se, sed interuentu morbi magni à se vel constituti, vel constituendi, quod apertissime constituit Galenus in sæpius memorato libello his verbis. Primi, & maximè proprij sanguinis mittendi scopi sunt, morbi magnitudo, & robur laborantis. Et hanc primam esse syndromem dicere oportet, non plethoricam, in qua sanguinis missio obseruata sit, quippe in illa, & hæc comprehenditur, vt quæ morbi magnitudinem adaugeat non solum enim vbi iàm adsit morbus magnus sanguinis mittendi occasio est, sed & vbi futurum esse suspicio est. Non poterat Galenus rem explicare lucidius. Vocat primos, & valdè proprios scopos magnitudinem morbi, & robur ægroti, plethoram non vocat nisi quatenus continetur in magnitudine morbi, quam adauget, indicationem simul augendo, quæ magnitudo morbi non pendet semper à plethora, sed quando pendet magis indicat vt maior facta magnitudo. Quod quidem adeo verum est, vt copia sanguinis, si non faciat magnitudinem morbi, nil possit indicando, vt patet in leui pleuritide, in qua adsit cruenta expuitio morbi à sanguine facti significatiua iuxta Galeni animaduersionem in quarto de locis affectis, & in commentario duodecimo primi Aphorismorum, quia in hac non mittitur sanguis ob leuitatem pleuritidis, & quia morbus non est ita magnus, Vnde Hippocrates in sexto Epidemiorum dixit, inhibito his, qui sanguinolenta expuunt, anni tempus, pleuritis, bilis. In Quorum verborum explicatione decernit Galenus, licet, pleuritidis proprium remedium sit venæ sectio, hanc tamen non esse necessariam cum adest cruenta expuitio, quia tunc pleuritis quieta est, & moderatissima, vt non sit tanta magnitudo morbi, quantam requirit natura remedij. Plenitudo ergo sanguinis non potest indicare sine magnitudine morbi, at potest magnitudo morbi sine plenitudine, vt sæpius affirmat Galenus hanc non esse necessariam ad sanguinem mittendum testatus, vt non à plenitudine, sed à morbi magnitudine sumatur vera indicatio. Nec obstat, quod vnum non possit indicare nisi vnum, vt multoties in libris Methodi confirmat Galenus, & morbus magnus, qui vnus est, indicaret hoc pacto, & euacuationem sanguinis, & purgationē, quæ duo sunt, non obstat hæc, inquam, animaduersio, quia morbus magnus indicat proximè remedium magnū,

vnus vnum; sed hoc remedium magnum analogum est in duplici materia elucescens, in venæ sectione, & in pharmaco, cum & in illa, & in hoc vigeat magna vis, & vtrumque remedium magnitudinem sibi vendicet, & in huius communione alterum cum altero cōueniat, & quandam vnitatem asciscat. Et hùc possumus ad maiorem claritudinem afferre præclaram, & valde proposito accomodatam Aristotelis animaduersionem in fine Quarti physicorum, vbi ait triangulum isopleurum, siue trilaterum, æqualibus lateribus præditum, & scalenū, qui latera habet inæqualia, differre quidem inter se ratione æqualitatis, & inęqualitatis laterum, sed inter se conuenire, & vnum esse ratione figuræ, quia vtrique trianguli sunt. & in figura triangulari conueniunt, sic venæ sectio, & pharmacum differunt inter se per suas proprietates, conueniunt in hac communitate, quòd sunt remedium magnum, & sub hac communitate vnionem faciente à magnitudine morbi indicantur, sic vt altera, nempe venæ sectio, semper habeat locum, dummodo robur ægri adsit, pharmacum non semper habeat, & alterius delectum grauitas, & prudentia Medici difficili directa iuditio faciat. Verum non agam pluribus, nec ero longior in re controuersa examinanda, quæ multorum omni tempore torsit ingenia, & de qua multis ab hinc annis inter clarissimos viros huius Patauini Gymnasij professores celeberrimos magna audiui dissidia, quæ litterarum mandata monumentis passim leguntur, mihi non fuit animus controuersiam decernere, & obortam litem, quæ adhuc sub iudice esse videtur, dissoluere, illud habui propositum, vt quam censeo potiorem sententiam, & Galenicæ, Hippocraticæque menti accomodatiorem in medium adducerem, & pręcipuos, & maximè proprios mittendi sanguinis scopos afferrem, & quibusdam allatis rationibus declaratos confirmarem. Concludamus ergo à morbo magno cum viribus validis iuncto indicari hoc remedium, quæ vires non pistoris, vt ita dicam, sed aurificis trutina veniunt exactè ponderandæ, nec pro præsenti solum, sed pro futuro etiam tempore in examen reuocandæ, quia debent impræsentiarum esse validæ, & cum congrua validitate in posterum etiam consistere, quo nomine inter scopos Hippocrates recensuit etiam floridam ætatem, quia pueri vires habent præsentes, sed non futuras consistentes ob perennem, quam perpetiuntur, propriæ substantiæ dissipationem, vt ideo non possint vsurpatam phlebotomiam commodè sustinere. Ex dictis colligere possumus in febribus putridis hoc remedium indicari primo vt refrigeratorium, cum magnus fuerit febrium calor, insignisque feruor, accedente virium necessario robore, vt morbus hic magnus tamquam calidus, & hanc intemperiem effatu dignam nactus, indicet sanguinis missionem, & virium accedens constantia confirmet, & sustinendam suscipiat indicationem. nam cum magnus calor magnum exposcat refrigerans pro ea, quæ inter morbos, & remedia intercedere debet, proportione, hoc magnum refrigerium imperturi corpori potest ipsa venæ sectio, non quidem per se, quia non habet qualitates actiuas, sed per accidens, quia minuit copiam sanguinis confertam, vnde caloris innati inhibetur necessaria euentatio, quā sanguinis facta imminutio inuehit, eius-

eiuſdem humoris vigentem feruorem compeſcit externo etiam aere per venam ſectam ingrediente. Vnde Galenus in nono Methodi dixit continentiam febrium, quæ ſui natura inſignem habent calorem comitem, nec ſemper tamen putredinem adiunctam, cum citra hanc in ſola etiam humorum efferueſcentia poſſint conſiſtere, harum, inquam, febrium duo dixit eſſe maxima remedia, detractionem ſanguinis, & potionem frigidæ, & illam quidem nullo non tempore, modo vires ſuſtineant, quia magnum habent ad inducendam refrigerationem, qua maximè febres illę indigent, momentum. Quamobrem idem Galenus doctrinam nono Methodi hac de re traditam in decimo repetens hęc effatu digna protulit verba. Sanguinis miſſio, veluti prius indicauimus in febribus continentibus, quas ſynochos vocant, non primum, ſed ex accidenti calidam aliquando intemperiem ſanat. Quam etiam vim refrigeratoriam ab hoc remedio profectam idem explicuit in Commentario vigeſimi tertij aphoriſmi primæ particulæ. Nec turbari aliquis debet ex eo, quòd Galenus in proximis Methodi verbis dixerit ſectione venæ aliquando ſanari calidam intemperiem, quaſi nō ſit proprium remedium, & efficaciæ compos, nec enim hoc ſignificare voluit illa vox aliquando, ſed potius innuere non ſemper venę ſectionem ſufficientem eſſe morborum medelam, non ſemper febris in ſalutem terminari, cum aliquę interdum excipiantur interitu, quòd in operis Proemio ex Hippocrate annotauimus. Ad hanc Phlebotomiæ refrigerationem in febribus alludens Soranus in fine ſui libelli, vbi vſum multiplicem huiuſce remedij conſiderauit, lepidum attulit dictum hoc verborum inſignium ambitu contentum. φλεβοτομία mentem ſincerat, memoriam præbet, veſicam purgat, cerebrum exiccat, medullam calefacit, auditum aperit, lacrymas ſtringit, faſtidium diſcutit, ſtomacho proficit, digeſtionem inuitat, leuiorem vocem producit, ſenſum coercet venire, ſomnum fugat, anxietatem tollit, proprium ſanguinem nutrit, & extraneum eijcit, longiorem quoq; vitam miniſtrat, omnes mali ſucci collectiones, peſtiferas valetudines, & ῥεύματα profligat, deponit dolores, febris ſagittas, & varios morbos prohibet, venerem excitat, & caligines tollit & C. Quibus nimirum verbis præclaro articulo, vt vocant Rhetores, multas phlebotomiæ vtilitates exprimentibus redarguit politiſſimus auctor erroneam Eraſiſtrateorum opinionem Romæ inualeſcentium de non tundenda in morbis vena, vnde etiam dicti ſunt αἱμοφόβοι, hoc eſt ſanguinis mittendi timidi, quam opinionem duobus pulcherrimis libellis confutandam Galenus, & funditus ſuſcepit euertendam. In his ergo verbis explicaturus uim refrigeratoriam à miſſo ſanguine pendentem Soranus dixit argutè venæ ſectionem prohibere ſagittas febris, hoc eſt efferueſcentem calorem compeſcere, & febrilis ignis aculeos retundere, qui ſuo acumine inſtar ſagittarum febrientium corpora pungunt, & vellicant. In quo Platonis in Timæo doctrinam redolere videtur diſcretionem, & diuiſionem à calore in noſtris corporibus fieri iure cuiuſdam acuminis in hunc modum dicentis. Diſcretionem, diuiſionemque ab igne in noſtro corpore factam conſideremus, quod enim acumen quoddam ea paſſio ſit fermè eſt omnibus manifeſtum. Tenui-

tatem verò angulorum, laterumque subtilitatem, paruitatem particularum, motus velocitatem, quibus omnibus vehemens, ac penetrans est, velociterque quod occurrit diuidit semper, & dissipat, considerare debemus, figuræ ipsius generationem memoria repetentes, ea quippe non alia natura corpora nostra diuidens, & in partes exiguas partiens meritò passionem illam, quæ legitimè calor nominatur, inducit. Ex qua Platonis oratione innotescit ignem vim habere & penetrandi, & feriendi diuisa à se, discretaque corpora, ideoque febres ignis nomine ab Hippocrate nuncupatas ex se promere quasdam, vt ipse in sexto Epidemiorum vocat, eclampsias, siue emicationes caloris, quas etiam Galenus solitus est vocare phlegmasias, vnde feruidi aculei prodeant sagittarum quasi naturam æmulantes. Quibus retundendis non paruum habet sanguinis euacuatio momentum, quod diligentius adhuc in proximo capite, ne in nimiam hoc excrescat molem, ostendemus multa ad remedij administrationem attinentia adiungentes.

Eiusdem remedij diligentior discussio cum quarundam obseruationum additione.

CAPVT VII.



VAM habent proportionem ad ignē ligna, eandem habere ad calorem animalis sanguinem sæpe decernit Galenus, & hoc præcipuè in libello de phlebotomia cumulatè declarat, vbi partes animantis non solum ex sanguine ali, sed ex eodem sui caloris mansionem obtinere statuit, non aliter, ac ignis in foco situs à lignis ardere idoneis pendet, à quo totas ædes calefactas conspicimus. Et velut ignis hic offenditur vel ob immodicam lignorum copiam, vel ob inopiam, vel ob humidiorem qualitatem, ita calor in corde existens vel ob sanguinis vbertatem nimiam, vel ob indigentiam magnam, vel ob qualitatem frigidam seipso minor efficitur. Mirandum ergo non fuerit, si sanguinis detractio refrigerandi cordis vim habet, cum & calidæ materiæ copiam imminuat, & frigidam qualitatem inducat, illud faciat euacuando, hoc ventilando, & frigido aeri ingressum aperiendo. Rhabarbarum dicimus, quod per se tamen calidum est, refrigerare per accidens, quatenus euacuando educit calidam materiam biliosam. At multò magis dicere possumus accidentaria ratione refrigerare venæ sectionem, quæ nullam in se vel caliditatem, vel qualitatem alteratoriam inditam habet, & sanguinem educit caliditate refertum, & calorem innatum ventilat, & frigidam extrinsecùs materiam prolectat, ideoq; veram sibi refrigerandi corporis prærogatiuam vendicat, id tamen semper per accidens facit. Quo etiam pacto inediam ipsam corpora euacuare sæpe testatur Galenus, quæ tamen cum priuatio quædam sit, & nutritionis defectus nil aliud præstat, nisi quòd ansam calori insito præbet difflationem efficiendi vberiorem per patulos meatus, vt dissipata substantia, nec altera in eius locum suffecta, & assiduo facto effluxu, nulloque accedente influxu iuxta Platonis dictum, necessariam animal experiatur imminutionem, non

inediæ

inediæ acceptam referendam, sed insensili transpirationi partim ab internis, partim ab externis caufis per meatus raros excitatæ. Hinc Galenus in libello aduersus Erasistratum acutè admodum hac de re sic scripsit. Inedia inter res existentes nullum obtinet locum, nihilque magis subsistit, quàm vel cæcitas, vel surditas, quæ sunt rerum existentium priuationes ipsa enim ciborum adiectio ex rebus consistentibus est, vnde & hanc opusque eius corporis nutritionem esse inuenies. Rursum subtractio eorundem non eadem cum rebus existentibus est; neque etiam proferre poterit aliquod opus illius, qualis scilicet illa est, quæ in sudoribus, venæque sectione, ac clysteribus contingit euacuatio, nec nō in edulijs nutritio. Ita Galenus longè maiorem attribuit sectioni venæ, quàm inediæ efficientiam, quia hæc nullum habet opus per se, illa habet, imo inedia non est è rebus consistentibus, venæ sectio est, illa nec educit aliquid è corpore nec inducit, hæc vtramque operam nauat, illa nil faciendo dicitur facere, hæc faciendo facit, vt valdè accidentaria sit euacuatio ab inedia prodiens, valdè essentialis à sectione venæ veniens, & minus accidentaria refrigeratio eandem consequens. Quare optimo iure Galenus suam inediam in curandis morbis Erasistrato magni eā facienti relinquit, sibi, suęq; & Hippocraticę Methodi sectatoribus phlebotomiam vt potiorem, ac tutiorem medelam proponit. Cui quidem tantum tribuit, vt continentium febrium, in quibus maximus viget præter naturam calor, modo cum putredine iunctus, modo ab ea seiunctus, singulare remedium, vt supra ex nono Methodi diximus, venæ sectionem constituat, quippe quę maximam vniuersi corporis refrigerandi vim obtineat, quo nomine eam vsque ad animi deliquium non in sensuum, siue functionum priuatione, quæ ad syncopem spectat, sed in sola imbecillitate ab Aristotele etiam in libello de somno expressa, constitutum, vsurpare non pertimescit, vt maior consequatur, & efficacior refrigeratio, ac totius corporis in contrarium statum mutatio. Quibus rebus & alui deiectionem, & bilis vomitionem solere succedere affirmat, hæcque à totius corporis sudoribus, madoribusue excipi, hisq; contingentibus protinus febris extinctionem fieri. Verum non in continentibus solum febribus, sed in putridis omnibus collaudauit hoc remedium Galenus, & saluberrimum omnibus dicere non est veritus. nam in Vndecimo Methodi de putridis febribus instituto sermone, cum pluribus vicibus phlebotomiam nominasset tamquam ad earum curationem vtilissimam, quasi vniuersalem regulam traditurus hæc in decimo Quinto capite verba exarauit per omnium ora Medicorum nunc volitantia. χάλλιςον μὲν ȣ̃ν, ὡς εἴριται, φλέβα τέμνειν ȣ̓ μόνον ἐν τοῖς συνόχοις πυρετοῖς, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι τοῖς ἐπὶ σήψει χυμοῖς, ὅταν γὲ ἤτοι τὰ τῆς ἡλιχίας, ἢ τὰ τῆς δυνάμεως μὴ κωλύει. hoc est, optimum igitur, vt dictum est, venam incidere non modo in continentibus febribus, sed in alijs omnibus ex humorum putredine, quando siue attinentia ad ętatem, siue ad virtutem non prohibeant. Vniuersale dat documentum, & communissimum febres omnes putridas complexum tradit præceptum, vt constante virium tono, & ætatis vigore ad secandam venam accedamus. Cuius quidem præcepti pulcherri-

mam affert in consequentibus verbis ratiouem, quia natura corporis rectrix leuata, & quodam quasi pondere, vnde prius opprimebatur, exonerata facilius quod reliquum est vincit, quippe sui muueris memor & coquit quod potest concoqui, & excernit quod potest excerni. Quæ quidem ratio, licet præcipuè respiciat euacuationem venæ incisione factam, quæ tollit plenitudinem instar oneris naturæ molestam, & iure quasi cuiusdam oppressionis eam à consuetis elaborandæ materiæ muneribus deterrentem, alludit tamen etiam ad inductam refrigerationem, & immodici caloris qualemcumq; remissionem, quia ille etiam febrilis feruor, & immodica calidior intemperies est ipsi naturę non leuiter onerosa, quam naturam quælibet insignior intemperies lædit, ac labefactat, & facit in proprijs obeundis muneribus vel torpidam, vel ineptam, vt intemperiem tollere sit etiam onus, & sarcinam demere, sit ad pristinum munus virtutes reuocare. Quoniam ergo in putridis febribus non solum materię excrementitię quantitas facessit negotium, sed etiam eiusdem mala qualitas, & visceribus communicata caliditas, ideo non solum primo, sed secundo etiam nomine cõuenit febribus phlebotomia, ac tanto magis id asserere possumus, quod non in omnibus ita molesta est copia, velut immoderata calliditas, quinimo hæc ipsa facit etiam materiam esse exuberantem, & naturę onerosam, quia vt peccans qualitate, & calidior effecta, calore præsertim putredinoso, vires ipsas grauat, & naturæ administrationi quasi rebellis reluctatur. nam dominante putredine inualescere calorem, incrementumq; morbosum accipere testis est Galenus non modo in libris de diff. febrium, & in Vndecimo Methodi, sed in libello quoque de curandi ratione per sanguinis missionem, Quod annotatum prius fuerat ab Aristotele in quarto Meteorologico, & in Problematibus. Qui calor permanens, moramque trahens in corpore vlteriori putredini ansam præbet, & alicuius inflammationis in aliquo viscere excitandæ periculum creat, vt ideo de compescendo, ad bonamq; mediocritatis frugem adigendo hoc calore cita sit cogitatio ineunda. Galenus ergo in capite illo Vndecimi Methodi ante vsum cataplasmatum circa viscera adhibendorum in febribus proponit venæ sectionem, sine qua maximè pertimescit imminentem visceribus phlogosim ob febrilis coloris energiam, quam retundens, valdeque remittens sanguinis detractio per descriptam refrigerandi vim accidentariam arcet, ac tutiorem facit reliquorum præsidiorum vsum. Quæ condicio cum omnibus sit putridis febribus communis, communem etiam facit ipsis omnibus à phlebotomia petitam opem, dummodo vires, & ætas non reclament. nam si quæ sunt putridæ id remedij genus respuentes, vt sunt complicatæ cum insigni crudorum, prauorumque humorum affluentia, his non adest necessarius virium tonus, vt in libello de phlebotomia toties memorato affirmat Galenus. Quod idem etiam de tertianis exquisitis possumus asserere, in quibus propter insignem substantiæ insensilem dissipationem ab humorum præcipue tenuitate, pororumque raritate pendentem non benè consistunt vires, aut saltem διαμονην superius cum Galeno propositam polliceri nõ possunt, vnde in earum curatione nulla fit in libro de arte ad Glauconem

venæ

venæ aperiendæ mentio, & in duodecimo Methodi apertè inducitur huius remedij inhibitio in his etiam febribus, in quibus magna est biliosorum, tenuissimorumque humorum copia cum magno substantiæ dispendio coniuncta, vt ideo mira sit in ægris ad syncopem propensio. nam Hippocrates etiam ex insigni bilis affluentia deduxerat mittendi sanguinis inhibitionem, vt apparet ex allata superius sexti Epidemiorum sententia, in qua inhiberi ab anni tempore, à pleuritide, à bile in sanguinolenta expuentibus dixerat, & Galenus in commentario affirmarat in valde calido anni tempore, quale est sub canem, venæ sectionem esse suspectam, pari modo si homo valdè biliosus fuerit. Quo scribendi modo insinuauit illam insignem sanguinis in alium humorem conuersionem, quam paullo supra tetigerat tamquam prohibendæ phlebotomiæ vim habentem, & vocauerat non quamcumque conuersionem, sed insignem, & effatu dignam, in qua maximus est à natura sanguinis recessus, & nimius vel vltra, vel citra processus, vt emergat cacochymia pessima, quæ non potest vires probas habere adiunctas. Nec solum in hac biliosorum humorum in febricitantibus apparente copia dimittendam venę apertionem censet Galenus, sed in maxima etiam crudorum humorum affluentia, vt diximus nuper, quæ illam eandem ingeneret syncopi obnoxiam propensionem, quia tales febricitantes maxime quidem indigent euacuatione, sed eam minimè possunt perferre, nec phlebotomiam, nec purgationem sustinere parati, sine his etiam ad syncopem subeundam propensi, vt incertum habeant, & apprimè lubricum virium statum male impræsentiarum consistentium, sed longè peius in futurum infringendarum, vt in his febribus non cacochymia arceat mittendi sanguinis curam, sed cacochymiæ soboles imbecillitas suis viribus priuans naturam. Quod peregregiè à Galeno in duodecimo Methodi fuit explicatum. Nec mirum videri debet in his febricitantium constitutionibus languere vires, quia ex prauo sanguine non possunt boni prodire spiritus, non potest bonus emergere nutricatus, non potest bonus viscerum consistere status. Reliquis omnibus putridis conuenientem facit Galenus Phlebotomiam tum ob alias causas posterius considerandas, tùm vel maximè ad inducendam refrigerationem ab immodico calore indicatam, ac tanto quidem magis, quòd non solum coercendus venit calor in corde, & vniuerso corpore accensus, sed habenda etiam est ratio caloris, illius putredinalis, quem habent febres quædam in partibus corporis determinatis, vbi est focus, & minera putredinis, quò humores excrementitij confluunt, & extraneo illo partis calore immodico affecti computrescunt, vt docet Galenus in fine secundi de differentijs febrium. Qui quidem immodicus partis calor infensus est & quia humores peccantes attrahit, & quia attractos putrefacit, & quia partem imbecilliorem effectam ad eos excipiendos disponit. Iuuat ergo hoc etiam nomine phlebotomia, quoniã hunc etiam mitigans, corrigensque calorem, & humorum confluxum coercet, & attractionem facit minorem, & partis infirmitatem emendat, & vim putrefactoriam compescit, & ipsius putredinis labem aliquatenus eximit. Vnde fit, vt non solum ratione febris, sed ratione quo-

quoque putredinis detractio sanguinis indicatum sit curatorium. nam morbis debetur curatio, & præter febrem putredo etiam morbi suscipit nomen, vt in primo libro cum Galeno considerauimus vocãte putredinem & causam, & affectum, causam, quatenus producit febrem, affectum quatenus habet non modo rationem symptomatis, sed etiam quodam modo morbi, quippe quæ considerata cum sua causa contentiua, uel quasi contentiua putrefactoriam insinuet, adiunctamque habeat partis caliditetem, morbosę intemperiei adscribendam, quam intemperiem cum tollant refrigerantia remedia, & inter hæc locum habeat magnum uenæ sectio, huius etiam ad curandam putredinem non leuis apparet utilitas. De putredine loquimur modo non absoluta, & completa nullius naturalis gratiæ amplius compos, & solius ideo euacuationis corruptam materiam educentis indiga, sed de putredine imperfecta locum correctioni relinquente, vt Galenum similimmo corruptorum vinorum exemplo docuisse diximus, quia hanc inualescentem partim excernendo, partim refrigerando, & ventilando, partim concoquendo coercere possumus, eiusque progressui obuiam ire, vt ex his Galeni verbis in Vndecimo Methodi clarè colligitur. In humorum putredine & excretio, & refrigeratio, & ventilatio, & semiputridorum concoctio ex aduerso respondent, ipsius verò febris refrigeratio oppositio est. Ita Galenus omnia putredinis remedia induxit, & perfectæ, cui conuenit sola excretio, & imperfectæ, cui non solum aliqua excretio, sed reliquorum quoque administratio est consentanea. Sed aliquis forsan hic insurgens adducet aliam Galeni doctrinam in sequenti capite Vndecimi Methodi petitam, vbi legimus nec obstructionem, nec putredinem curari per sanguinis missionem posse, sed alia remedia prius monstrata desiderare, at responsio facilis est, quia obstructio pendens à crassis, & viscidis humoribus non ita corrigitur à venæ sectione, veluti pendens à multis, & putredo non recipit omnis curationem ab hoc remedio, quia non perfecta putredo purgationis potius indiga, & quę recipit, non recipit hinc omnem curationem, cum ventilatione præterea, & semiputridorum concoctione indigeat. Ex dictis apparet cur Galenus dixerit optimum esse in omnibus febribus à putri materia accensis sanguinem mittere cum propositis cautelis à virtute, ætateque deductis, vt præceptum sit communissimum tum generi, tum speciebus istarum febrium omnibus, quia si quæ sunt hoc remedium auersantes, non sunt vt tales putridæ febres, sed vt congruo virium tono uel præsenti, uel futuro destitutæ. Omnibus, qua febres sunt, & qua putredinem habent adiunctam, conducit à phlebotomia ueniens refrigeratio, ueniens quidem per accidens, sed tamen à causa positiua, non à priuatiua, ut ab inedia uenit euacuatio interuentu insensilis traspirationis iuxta allatam Galeni animaduersionem in libello aduersus Erasistratum. Quòd si uel ætas, uel uires obicem ponant, & morbi indicationem coerceant, tunc loco sectionis uenæ fit materia euacuandi sanguinis modo cucurbitula scarificata, modo hirudo hæmorrhoidalibus uenis applicita, de quibus dabitur inferius commodior loquendi locus, quia tunc non tanta indicatur, nec tàm confertim facienda

cienda euacuatio; in qua semper est præcipua virium habenda ratio indicationem vitalem præbentium, reliquis omnibus præferendam.

De recta phlebotomiæ administratione.

CAPVT VIII.



VIA pertinet ad methodum remediorum & qualitatem, & quantitatem, & modum eorum vsus, & occasionem inspicere, vt est auctor Galenus in Proemio librorum de arte Curatiua ad Glauconem, ideo hæc nobis circa sanguinis detractionem veniunt expendenda ab occasione inchoaturis, tamquam re omnium & difficillima, & vtilissima. Cuius naturā nobis expressit Hippocrates nō minus acutè, quàm breuiter in libro Præceptionum dicens, Tempus est in quo occasio est, occasio verò, in qua tempus paucū. Medicatio tempore, interdum etiam occasione perficitur. Hæc est illa occasio, quam in Proemio Aphorismorum vocauit præcipitem ob sui lubricissimam naturam, quæ vix apparens elabitur, & non aduertentis hominis captum mira pernicitate subterfugit. Hac interdum perfici curationem affirmat, quę sui natura tempore obitur, quod apparet præcipuè in morbis longis, quos ideo Celsus in Proemio libri tertij vt fieri, sic etiam solui à tempore asseuerat, ideoque in eis non statim condemnandum remedium quod non statim profuit, minusque remouendum si quid paulum saltem iuuat, quia profectus tempore expleatur. At in acutis breue spatium est, intra quod si quod auxilium non profuit, æger extinguitur, vt ideo magis ignoscendum sit Medico parum proficienti in acutis morbis, quàm in longis, his namque tempus inseruit, illis occasio. Quam qui prætermittit, nec oblatam arripit, sera pœnitentia ductus sapit phrygum prouerbio obnoxius. Hoc ne contingat in sanguine mittendo diligenter est prouidendum, ideoque ineunte putrida febri hoc præsidium dum indicatur, & permittitur, ineundum, antequam vires concidant, & morbi indicationem irritam faciant. Vnde prodijt diuini senis consilium in secundo aphorismorum iubentis, vt inchoantibus morbis si quid videtur mouendum, moueamus, eisdem vigentibus acquiescamus, quia circa principia, & fines omnia symptomata sunt imbecilliora, vt vires non collabantur ita facile, in vigore autem omnia fortiora, vt fortior sit, acerbiorque naturæ diuexatio, cui afflictæ non est afflictio addenda, & remedia in arte motiua non tunc temporis adhibenda, sed in morborum primordijs, quæ remedia motiua, vt in commentario illius aphorismi notat Galenus, hæc duo præcipuè sunt, venæ sectio, & nonnunquam purgatio, & venæ nimirum sectio est motiuum pręsidium non solum quatenus humores æqualiter educit, & delatoriam motionem facit, sed etiam quatenus refrigerādo alterat, quæ alteratio non solum ab Aristotele in libris de physico auditu, & à Galeno in libris de naturalibus facultatibus in censu motionum est recensita, sed à Platone in Parmenide sic inter eas enumerata, vt hanc dixerit, & lationem esse solos motus, & nos diximus in considerada venæ sectione nunc versari secundum hanc motionis speciem alterando

S fa-

factam. Tempus ergo huius remedij vsurpandi colligitur ab vrgentia indicantis, & hoc vrget sua præsentia requisitis conditionibus comitata, quia veluti simplicia corpora extra proprium locum constituta, remoto impedimento proprium ex se motum depromunt, eoque intercedente proprias sedes repetunt: ita animalium corpora morbo affecta, vnde à naturali statu recedunt, indicationes remediorum præbent, & nisi indicata prohibeantur, eorum interuentu in naturales constitutiones redeunt, & veluti simplicia corpora, sublato impedimento, mouentur statim, nec vllam interponunt moram, ita morbida animalium corpora, citam remediorum indicatorum quærunt administrationem, si absint ea quæ prohibendi vim habent. Præsens ergo putrida febris aliquam caloris magnitudinem nacta cum congruo virium robore indicat sanguinis missionem illico faciendam, ideoque Galenus in Vndecimo Methodi ab hoc remedio statuit putridarum febrium curationem inchoandam, & in libello de phlebotomia maturationem festinam præcipit, omnemque temporis interpositi morā damnat, quòd virium afferat labefactationem, vt aliquando in secundo etiam die sint adeo infirmæ, vt nos auocent ab omni mittendi sanguinis proposito. Quod ne contingat vena ab initio venit aperienda, quia posito indicante, remotis impedimentis, nulla suppetit ratio, cur indicatum non obeatur. Dilationem interdum inducunt vel materiæ crudioris præsentia in primoribus vijs existens, vel febris accessio vrgens, vel symptoma effatu dignum phlebotomiæ non concessurum, vt hic triplex casus remedium hoc impediat in aliud tempus differendum. Vnde Galenus tum in nono, tum in Vndecimo Methodi magnam cruditatum vel in ventriculo, vel in alijs primoribus vijs extantium habendam rationem proponit, quia si contemnantur, trahitur succus crudus intra venas augentur obstructiones, febrisque inualescit, & virium fit iactura. Quibus tamen constantibus, & futuram constantiam præferentibus, si morbi vrgeat magnitudo, materiæ cruditate detineri à mittendo sanguine non debemus iuxta superius allatam Galeni doctrinam ex libro de venæ sectione asserentis nullam esse tantam, vel talem crudorum humorum plenitudinem, quę in morbo magno cum virium robore possit hoc præsidium impedire, quia insignis humorum cruditas non admittit virium validitatem, & cruditas leuior non debet remedium impedire ab vrgentia morbi indicatum, & à viribus permissum, quia potest sanguis tuto detrahi non in magna copia, & relinqui naturę ad coctionem elaborandam commoditas, mox per epaphæresim, siue per repetitam detrahi rursus, vt habeatur præcipua ratio satisfaciendi indicationi à morbo magno cum virium robore excitatæ, non contemnatur tamen crudioris materiæ animaduersio. In quo conferenda erit vis indicantis, & prohibentis, & pro maiori vel illius, vel istius momento consilium capiendum. Vrgens etiam febris accessio, quæ præcipuè in intermittentibus locum habet, non permittit sanguinis missionem, quia prohibet omnem motum ab arte factum iuxta Hippocratis documentum in primo aphorismorum, in accessionibus abstinere oportet, per quam accessionem explicante Galeno in commentario duodecimo illius libri deteriorem par-

tem intelligere debemus totius paroxismi, in qua natura afflictionem sustinet in certamen cum morbo deducta, ideo externis artis motibus non diuexanda, internis morbi ictibus satis, superque perculsa, nec tunc temporis sua spirituum suppellectile priuanda, quæ in sanguine etiam continetur, cuius ope & certamen sustinere, & inuadentem morbosam materiam sperat euincere. Quam facit animaduersionem Galenus tùm in Vndecimo Methodi, tum in primo de arte curatoria libro, & Celsus in secundo suæ Medicinæ eam considerans præclarè, & argutè, vt solet ferè omnia, dixit, si vehemens febris vrget, in ipso impetu eius sanguinem mittere, hominem iugulare est. Expectanda ergo remissio est, si non decrescit, sed crescere desijt, neque speratur remissio, tunc quoque quamuis peior, sola tamen occasio omittenda non est. Ex quibus Celsi verbis innotescit in febribus non continentibus expectandam esse remissionem, ad quam non pertingit accessio, in continentibus incrementi cessationem, quæ remissionis cuiusdam videtur habere specimen, quod vltimum sic venit accipiendum, vt non longa sit futura incrementi accipiendi progressio, alioquin periculum foret in mora, quam Galenus in Vndecimo Methodi abscindendam proponit, vt in nono se fecisse testatur in febricitante ex synocha non putrida, cui venam tertia die secuit ad magnam sanguinis effusionem circa mediæ noctis tempus omni sublata mora, quam reliqui Medici huic remedio censuerunt interponēdam, & alteri iuueni synocham putridam sustinenti sanguinem copiosum illico eduxit atque ipse accersitus fuit post secundam secūdę noctis horam, & veluti hæc febris erat synocha decrescens, quam græci παρακμαστικὴν vocant, ita primi iuuenis febris erat increscens, & maiorem semper auctionem accipiens, quam appellaut ἐπακμαστικὴν, in illa statim secuit venam quia apparebat statim putrida, nec vllum aderat impedimentum, in hac distulit in tertiam diem & quia febris idea ab initio erat ignota, & quia aderat impedimentum à tarda ciborum assumptorum concoctione allatum. hæc enim cruditas, vt diximus, vim habet differendæ phlebotomiæ, nisi vehementior sit indicantis vis, hæc, inquam, cruditas cibalis in prima corporis regione subsistens, magis etiam impedit, quam humoralis secundam eiusdem regionem occupans, quarum primæ opponitur propriè dicta pepsis, secundæ vocatus pepasmus ex opposita parte respondet. hæc enim iuxta Galeni dictum numquam est tanta, vt venæ sectionem impediat, si morbus sit magnus, & vires validæ, at illa differendam suadet, nisi morbi vehementia vehementer vrgeat, quia periculum secum adducit transitus crudarum materierum intra venarum ambitum. Ex quibus Galeni exemplis colligimus, quòd licet cruditas ventriculi impedire remedium differendo possit, non tamen febris idea increscens potest, in qua sanguis missus incrementum tollit, & omnem mali progressum abolet, vt Galeno contigit, qui febrem illam argutè dictus est iugulasse. Sic patet non semper expectandam cessationem incrementi in febribus ad sanguinem detrahendum, sed in ipso etiam incremento eius detractionem conuenire ad illud subtrahendum. Quod vel ipse Celsus noluit inficiari licet opportunius remedium in cessatione

ratus. Illud tamen eiusdem Celsi placitum videtur suspectum, quo vt aliquando prima die sanguinem mittere necessarium censet, sic numquam vtile post diem quartum existimat eo nixus fundamento, quòd iàm spatio ipsa materia & exhausta sit, & corpus corrumpat, vt detractio imbecillum id facere possit, non possit integrum. Ruit hoc fundamentum, quia non solum quarto die, sed nec etiam decimo quarto satis est interdum materia exhausta, & hoc etiam, & ampliori temporis curriculo manet incorrupta corporis constitutio, vt non sit dare certos dierum terminos, intra quos fiat illa vel materiæ exhaustio, vel corporis corruptio, ideoque post quartum etiam diem sanguis possit detrahi sine vllo metu infirmandæ, cum spe magna subleuandæ naturæ. Alioquin male fecisset Hippocrates, qui, vt apparet in tertio Epidemiorum, Anaxioni adderitano pleuritide laboranti venam secuit octauo dumtaxat die, quod vt optime factum, & interdum, cum occasio fert, optime faciendum voluit ipse commemorare ad infringendam Medicorum aliter sentientium opinionem. Vnde hæc Galenus in commentario. In solo hoc ægrotum & in primo, & in tertio libro scriptorum sectionis venæ meminit Hippocrates, non quòd soli secta fuit vena, sed quod octauo die, Medicis etiam vt lege aliqua nō amplius post quartum diem venam secantibus. Quam quidem consuetudinem tamquam inanem, & ab omni ratione alienam exagitat, deridendamque suscipit Galenus in suo de phlebotomia libro, non dierum numero, sed virium robori intendendum in febrientibus decernens, quia aliquando ne secundo quidem die possumus venam secare ob insignem virium ab initio collapsarum languorem, quem tàm repente obrepentem vel in ægro tantis malum corporis habitum, vel in senium refert Galenus in decimo Methodi, aliquando etiam post vigesimum diem id remedium debemus vsurpare ob vrgentem febris indicationem, & satis adhuc constantem virium tonum. Non igitur quot euaserint dies febris est attendendum, sed quò ipsa febris euaserit, & quem statum virtus inuaserit. nam interdum morbi adest magnitudo, & virtutis tenuitas, vt opus sit euacuatione, sed non liceat eam obire, quo casu habenda prima ratio virtutis congruo modo reparandæ, qua reparata, & ad meliorem frugem adacta moliri euacuationem in parte possumus, & rursus ad virtutem restaurandam accedere, vt inceptam euacuationem blandè possimus repetere per vocatam à Galeno in Methodi nono Epicrasim, Quam etiam in Quinto prius hisce verbis delineauerat. Quicumque parum habere sanguinis videbuntur, his ad quendam succum probiorem, sicuti prædixi, reductis, detrahere sanguinem poteris, tum rursus reficere, eosdem etiam rursus purgare, ac rursus reficere, denuoque si res suadet, sanguinem mittere, potissimum quibus veluti limus quidam vitiosus, & crassus totus est sanguis. At qui validi sunt, multique sanguinis, his statim à principio est detrahendus. Hæc dicens Galenus multa nos docet, dum in proponenda curatione vorum, qui ob catharri ad pectus fluxionem eiecerunt ex ore sanguinem, versaretur, primum docet modum seruandæ epicrasis partim reficiendo paullatim vires, partim leuiter sanguinem detrahendo, & alternatim modo vnum, modo alterum præstando, secundo docet deduci indicationem

mittendi sanguinis non solum vbi adest eius plenitudo, sed etiam vbi eiusdem suppetit inopia, & viget melancholica cacochymia, modo magnitudo morbi vel præsens, vel imminens vrgeat, vltimo declarat his, qui validi sunt cum sanguinis copia, eum statim esse detrahendum. At si vera foret communis illa veterum Medicorum lex de non tangenda post quartum vena, periret funditus. futilisq; appareret omnis ratio medelæ per tutissimam Epicrasim factæ. Hanc eandem legem subsanauit & Auicennas Galenica vestigia sectatus his quidem verbis in quarta Fen primi libri vsus. Cum in febre te oportebit phlebotomare, non attendas quod quidam dicunt scilicet quod non est bonum vt post quartum diem fiat, quoniam est vt fiat etiam post quadraginta dies, & hoc secundum sententiam Galeni, licet præmittere, & properare sit melius, cum significationes certæ fuerint. Quòd si in hoc erratum fuerit, quacumque hora inueneris ægrum, & oportuerit, phlebotoma ipsum, postquam rerum necessariarum sollicitudinem habueris. Quibus quidem dictis dubitandum non est prædictum Celsi, & aliorum veterum placitum insinuari, ac tamquam friuolum despicatui duci. Verum admirabitur forsan aliquis illud, quòd in contrarium errorem videtur Auicenna collapsus, dum in factis inflammationibus iussit à sanguinis detractione in primordio cauere, nec in primis diebus, & ante quartam, & absolutè ante apparentem coctionem huic præsidio manus dare: quasi id obseruandum sit in phlebotomia, quod in purgatione obseruare methodus recta iubet, vt caueatur hæc motio in materia cruda non turgente, cuius turgentiæ infrequentissima datur occasio, & expectetur aduentans, & conspicua humorum coctio, quæ non in morborum principio, sed in progressu emergit, ac se promit. Non hæc seruanda veniunt in sanguine minuendo, qui ad sui detractionem nulla indiget coctione, & semper ad exitum est paratus, tanto maiorem vsum exeundo collaturus, quanto citiorem sortitus fuerit exitum, & quia minus intercedit virium dispendium, & quia maius contingit in morbis, & præcipuè in inflammationibus leuamētum. nam si inflammationes suam adhuc habent generationem, optimum est venam tundere non modo ad euacuandam multitudinem, sed ad moliendam etiam confluentium humorum reuulsionem, & si genitæ iam fuerint, & suum quasi colophonem adeptæ, saluberrimum etiam est sanguinem mittere, & quia corpus vniuersum exonerat, & quia à parte inflammata deriuat. non enim sanguis solus, qui per vniuersum permeat corpus, euacuatur, sed pars etiam illius sanguinis, qui partem affectam obsidet, & si non omnino impactus, impingendus tamen inhæret, vt docet Galenus in commentario primi capitis secundi de victus ratione in acutis Hippocratis sententiam explicans iubentis in pleuritide dolorem circa clauiculam efficiente venam brachij aperire vsque ad sanguinis liuidi excretionem, quinimo cum iuberet Hippocrates in pleuritide circa hyppocondrium dolorem excitante pharmacum potius exhibere, in vtroque casu & clauiculæ, & hyppocondrij dolentis vsurpandam phlebotomiā, & cunctis præponendam remedijs proponit Galenus. Nec tueri Auicennam illa cōsideratio potest, quam neoterici alioquin doctissimi adducunt, Hippocratis in quarto de victus

ratione

ratione esse consilium, inflammationes iàm factas non esse attingendas, quòd irritus euadat omnis attingentium conatus, non valet, inquã, hæc consideratio ad tuendum, quia sermo ipsi est de vsu purgantis pharmaci dimittendo, cuius vis nihil potest ex inflammata parte detrahere, & potest partes sanas absumere, & ad contabescendum adigere, vt expectanda inflammationis maturatio sit ad eximendum quod noxium est, & conseruandum quod sanum. Quæ cautio non habet in sanguine locum, cuius euacuatio partem inflammatam subleuare vel maximè potest, nec potest alias partes oblædere, nec metus consecuturi in viribus languoris debet incuti, quia non secamus venam nisi constante, & perseueraturo virium robore, vt sæpius dictum est, imo Galenus in commemorato loci de victus ratione commentario scriptum reliquit, cum interdum virtus euacuationẽ prohibeat, non virtutem exoluere melius esse, quam sanguinem euacuare copiosum. Illud tamen liquet, quòd positis scopis sanguinis mittendi, semper à principio, & orientium, & ortarum inflammationum hoc remedium potissimum facit Hippocrates, & purgantium medicaminum vsum tunc habet suspectum, vt horum consideratio nequeat ad phlebotomiæ operam vllo pacto transferri. Quamobrem Galenus in Tertiodecimo Methodi cõmunem inflammationum genitarum indicationẽ inducit vacuationem sanguinis in particula inflammata redundantis, & inflammationum in generatione adhuc existentium duplicem facit indicationem, partim nempè eductionem sanguinis, qui confluxit, partim inhibitionem eius, qui fit confluxurus, & vtrique indicationi per venam illico sectam satisfieri non solum in eo libro declarat, sed in secundo etiam de arte curatiua ad Glauconem. Hæc igitur Auicennæ in hunc modum suscepta defensio non satisfacit, melius eum tuentur alij præstantissimi viri, qui in Auicennicos interpretes culpam omnẽ reijciunt, factitantes ex bonis arabicis textibus non bonos latinos, & perperam explicantes Auicennæ sententiam non tempus status transacti in morbo, sed tempus inter principium, & statum aduenturum mittendo sanguini assignantis. Quod meliori Alpagi, & Gratioli versione cõfirmant. Quam iustam excusationem tanto accipere debemus alacrius, quanto mens Auicennæ innotescit euidentius, in sanguine febricitantibus mittendo properationem laudantis, vt apparuit ex eius verbis superius adductis, & illud præcipuè in prima Fen Quarti libri in curatione febrium dicentis phlebotomiam ex eorum esse remediorum censu, quæ nullam coctionem expectent, & possint nulla ipsius habita ratione administrari, vt hoc pacto, & ipse accedat ad Hippocraticum, & Galenicum sensum de sanguine quàm fieri possit celerrimè in febricitantibus exhauriendo. Sed hæc obiter parumper digressi dixerimus, nunc reuertamur ad pensum. Triplici de causa dicebatur sanguinis missio differenda vel ob infestam materiæ cruditatem, vel ob vrgentem febris accessionem, vel ob prementem symptomatis molestiam, & duplicis hactenus causæ ratio fuit explicata, vltima restat ad symptoma pertinens explicanda. nam si fuerit febris Syncopi facilè accedenti iuncta, siue à tenuium humorum dissolutione profectæ, siue à crassorum,

cru-

crudorumq; oppressione productæ, vel sola grauissimi symptomatis occasione dimittenda phlebotomia venit præter eam rationem, quæ pertinet ad naturam, dispositionemque illorum humorum peccantium, quæ pertinet ad constitutionem illorum febricitantium, vnde emergit mittendi sanguinis, imo cuiusque effatu dignæ euacuationis inhibitio, vt in duodecimo Methodi ostendisse Galenum iàm diximus. Verum hoc syncopis symptoma non tàm differendum, quàm dimittendum remedium insinuat, dilationis autem exemplum præbet propositum ab eodem Galeno in primo de arte curatiua symptoma ori ventriculi infensum, vt ex recentibus cruditatibus, affluxuque prauorum humorum mordeatur, & comprimatur hæc exquisitissimo sensu donata pars, quæ læsio facit, vt nec sanguinis, nec aliorum succorum moliri euacuationem debeamus à febri alioquin indicatam, sed partis huius affectæ priorem curam suscipiamus, & affectionis compescendæ, & sedandæ consilium ineamus, & facti compotes voti ad congruã efficiendam euacuationem accedamus. Symptoma etiam effatu dignum facit Galenus in eodem libro alui profluuium febri iunctum, quod vocant diarheam, vimque ei tribuit omnis inhibendæ euacuationis siue per aluum, siue per venã sectam factæ, idque non solum si copiosum fuerit profluuium, verum etiam, quod admiratione dignum videtur, si fuerit exiguum, nec peccanti multitudini consentaneum, vt non liceat apparentem supplere defectum, quod facere conantem maximam præbere statuit acutioribus periculis ansam nam in qualicumq; alui fluxu incertus est, ac indefinitus naturæ motus, qui potest excitari confertus, & potest magnus effectus magnam inferre viribus iacturam, &, si accedat artificialis euacuatio, duplicatam inanitionem minus laturis, & factam à materia morbifica, & ab arte agitationem magno cum detrimento excepturis. Nec impediendus motus naturæ, qui potest accedere proficuus, nec irritandus qui potest fieri onerosus. Et licet dixerit aliquando Hippocr. in libro de locis in homine, & Galenus in commentarijs in sextum Epidemiorum, fluxus esse fluxum medelam, & inchoatam à natura excretionem ab arte commodè perfici, tamen hoc intelligendum venit de fluxu à febri seiuncto, vel de illo fluxu, qui rationem habeat affectus principalis ad se curationem trahentis, non de illo, qui instar symptomatis accedat ad morbum principalem, qualem esse febrem constat. Quæ si diarrhæam habet adiunctã, respuit venæ sectionem ante aluum confirmatam, quod litteris prius mandauerat Hippocrates in quarto de victus ratione dicens, si cuipiam sanguinem auferre confert, ventrẽ confirmare oportet, & ita auferre, & loquebatur de curandis febribus, vt patet ex proximè antecedentis verbis, & Galenus in commentario dixerat, Fluente aluo sanguinem non detrahes. nam si post detractionem perseuerat fluor, virtutem prosternit. Quæ doctrina mirè est consentanea allatæ in primo ad Glauconem, imo rationem euidentem adducit traditi documenti ex imminente viribus discrimine deductam. Verum hic forsan aliquis dixerit aliter docuisse eundem Galenum in nono Methodi asserentem, quòd si tempore mittendi sanguinis menses moueri contigerit, siue etiam

tiam hæmorhois ſit recluſa, ſi inſpecto fluentis impetu ipſe ſatis fore videbitur ad euacuandum quantũ oportet, naturæ res omnis erit permittenda, ſin minus, tantum detrahendum, quo ex coniunctis ambobus perficiatur quod ſatis eſt. Ecce quomodo hic apparens naturalis excretio ſanguinis non impedit artifitialem, niſi cum illa fuerit per ſe abſoluta, & naturali indigentiæ ſatisfactura, alioquin, ſi manca fuerit, artifitialis opem expoſcit, & ad illam vſurpandam Medicum excitat iuxta illud Hippocratis in libro de Arte, Natura irritata quid faciendum ſit artis peritis oſtendit. Sed operoſum non fuerit dubitationem omnem eximere, ſi conſideremus in nono Methodi ſermonem eſſe de criticis euacuationibus ad ſubleuandam naturam factis, quas abſolutas ſinere oportet vt nullius opis indigas, mancas adiuuare conuenit vt arte perficiendas, quod docuit Hippocrates celebri illo primi libri aphoriſmo; Quæ iudicantur, & iudicata ſunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid ſiue medicamentis, ſiue aliter irritando, ſed ſinere oportet. nam dum integram indicationem, perfecteque factam non attingendam decernit, vniuerſumque negotium naturæ integrè vel operatæ, vel operanti relinquendum, illud ſimul inſinuat, ſi non integra fuerit vel facta, vel futura criſis, ex arte etiam petitam opem eſſe adiungendam. Quod in proximè ſequenti Aphoriſmo expreſſè affirmauit. Non mirum ergo, ſi Galenus imperfectas euacuationes criticas proponit artis ſupplemento perficiendas in adducto Methodi loco; at in primo ad Glauconem conſiderat alui fluxum cum febri coniunctum, qui poſſit eſſe facili negotio ſymptomaticus, & ad infringendas vires accomodatus, quo ſi quis contempto venam ſecet, & fluxus idem perſeueret, & inualeſcat, qua data porta, vt ait ille, ruentes vires, & multiplici nomine, febris, phlebotomiæ, fluoris alui, proſtratas videat. Hùc adde, quòd alui fluor magis repugnat phlebotomię, quàm inchoata naturaliter ſanguinis qualiſcumque excretio, & magis pertimeſcit Galenus alui fluxum, quàm ſanguinis eductionem; vt abunde commonſtrat in commentario ſecundi de victus ratione in acutis ſermone de pleuritide inſtituto. Spaſmi etiam affectio febricitanti moleſta vim apud Galenum habet ſi non omnino tollendæ, valdè ſaltem imminuendæ euacuationis ſanguineæ, quod ſymptoma ſit ſudorificum, inſomnietatis inductiuum, virtutis deiectiuum, qui imo vel ipſam inſomnietatem vehementẽ, vel ipſum intenſum febricitantis dolorem non admittere ſtatuit confertas vbereſque vacuationes, cum idem tamen Galenus in commentario vigeſimi tertij aphoriſmi primæ particulæ in maximis doloribus nullum ſe maius remedium inueniſſe profiteatur, quàm vſque ad animi defectionem euacuare vel phlebotomia, vel purgatione vt opus videatur, quod alicui forſan admirationem poſſit incutere quaſi contraria ratione dictum. Sed admirari deſinet quicumque conſiderauerit in primo ad Glauconem conſiderari dolorem vt caſum febris non manantem ab inflammatione, nec à ſanguinis plenitudine, ſed ab alia cauſa pendentem, ideoque ſectioni venæ non conceſſurum, at in commentario aphoriſmorum conſiderari vt ſobolem plenitudinis vel plethoricæ, vel cocochymæ, ideoque ſu-

superandum, vel sanguinis missione, vel purgatione vberrimma, quãtam maximam vires possint perferre, vt dolor, qui non sit cessurus phlebotomiæ, habeat vim contraindicandi, vel prohibendi, at ille, qui sit cessurus, magnum momentum habeat indicandi, quia tunc egreditur naturam symptomatis, & subit naturam causæ ad se curationem trahentis, vt præclarè considerat Galenus in duodecimo Methodi. A quo etiam in primo ad Glauconem tamquam symptoma quoddam ipsam aeris temperaturam propositam conspicimus, siuè exquisitè calida sit, & sicca, vt esse consueuit inter canis ortum, & Arcturi, siue vehementer frigida, & gelida, qualis apparet brumali tempore, quasi vtraque periculosam habeat sanguinis effusionem, in calidissimis constitutionibus syncopis, ac diaphoreseos discrimen adducens, in frigidissimis autem tantum refrigerationis per accessionum initia febricitantibus inuehens, vt non amplius releuentur. Vnde in consensu regionis, & anni temporis omnimoda imperatur sanguinis omissio, in dissensione autem longè minor euacuatio, quàm si neutrum prohiberet. In quo quidem animaduertendum venit inhiberi in extremis vel caloris, vel frigoris constitutionibus eam sanguinis missionem, quæ sit effatu digna, & vetustæ consuetudini consentanea, iuxta quam nisi hemina saltem sanguinis fuisset detracta, nulla videbatur facta phlebotomia, vt patet per Galenum in libello huiusce argumenti, non inhiberi leuissimam, ac ieiunam detractionem, quæ nostris vsurpata temporibus scarificationis potius subit vicem, vt ait ille, quam phlebotomiæ, non ad libræ pondus ascendens, sed vel trium vnciarum modulo contenta, quam quidem leuiusculam euacuationem, & ferè insensibilem non posse corporibus officere vel dissoluendo, vel refrigerando constat, & posse eisdem non exiguam inferre opem vel contemperando, efferuescentemque febris calorem quacumque ratione ventilando, in qua nunc animaduersione versamur, dubitari non debet. Hanc explicationem agnoscit, & admittit ipsemet Galenus, cuius hæc sunt verba in nono Methodi. Fit profectò, & per calidam, siccamque regionem, & tempus æstiuum, & statum cæli impensè calidum, & siccum notabilis percutim euacuatio. Itaque etiam huius causa his, qui sanguinis detrahendi egent, aut prorsus venam non secabimus, aut parum detrahemus. Hoc eodem modo explicandum venit Galenicum præceptum de cauenda puerili, senilique ætate in sanguine mittendo, nam veluti etiam symptoma quoddam recenset ætatem in libro illo ad Glauconem, vnde conferta euacuatio inhibeatur. Et in libris quoq; Methodi statuit non ante decimum quartum annum aperiendam pueris esse venam, non quidem ob virium imbecillitatem, vt contingit in senibus, sed ob indesinentem substantiæ dissolutionem, quam pueri ob humidam, calidamque temperiem perpetiuntur. Verum hoc Galenicum etiam documentum respicit confertam, & effatu dignam euacuationem, quam puerilis ætas perenni dissolutioni obnoxia nequit sustinere ob recentem, & parum adhuc firmam triangulorum in corpore existentium constitutionem, vt dicebat Plato in Timæo, qui modus dicendi nil aliud insinuat nisi fluxilem, & lubricam

puerorum substantiam à vicinia suæ originis, & ab indole suæ temperaturæ pendentem. Hanc explicationem dictant nobis ipsa Galenica verba superius adducta, quæ affirmant pueros non esse ferendo confertam euacuationem, quasi dicat Galenus posse quidem leuem, ac tenuem, non posse magnam, & copiosam excretionem à pueris sustineri. Quare mos, qui nostra tempestate in multis Italiæ ciuitatibus viget, aperiendi venam puerulis etiam sextum, vel septimum annum agentibus, non est à mente Galeni dissentaneus, qui non prohibet omnem in pueris sanguinis missionem, sed cumulatam, & exuberantem eis nec necessariam, nec vtilem ob eam, cui perpetuo succumbunt, propriæ substantiæ difflationem. nam quòd aliquam leuiusculam vacuationem concedat dubitauerit nemo, qui non oscitanter caput quartum decimum libri de phlebotomia toties commemorati perlegerit. Quòd si confugiamus ad Methodum facili negotio idem patebit. nam in puero infra quartum decimum annum posito, & febricitante acriter, ideoq; habente ignem additum igni iuxta Platonis dictum in libris de Legibus, febris quidem indicat venæ sectionem pro refrigerando febrili æstu, sed eiusdem temperies huius comes ætatis non coindicat, sed potius prohibet, quippe quæ magnam inuehat, & numquam cessantem substantiæ dissolutionem insensili transpiratione factam, quæ nec admittit, nec sustinere posse videtur nouam euacuationem venæ sectione addendam, vt non ratione virtutis, quæ in puero validior est, sed ratione præsentis, & perseuerantis dissolutionis, quæ nouam euacuationem facit superuacaneam, & grauem, inhibeatur in puerili ætate sanguinis missio, vt docet Galenus in commentario Hippocraticam huius argumenti sententiam superius adductam explicante. Vera hæc quidem sunt, sed illud non minus verum, prohiberi in puero confertam sanguinis eductionem, quæ naturali iuncta fluori potest teneram, & molliusculam corporis substantiam pessumdare, non prohiberi leuem, exiguamque detractionem, quæ ventilandi potius, quàm euacuandi vim habeat. nam plus febris potest indicando quàm naturalis temperies prohibendo, præsertim cum febris intensior est, cum puerulus validior, cum sanguinis missio facienda leuior, quia maiorem vsum pollicetur consequens id remedium refrigeratio, quàm iacturam minetur addita euacuationi euacuatio. Hoc autem sępè imperat in libris Methodi, & præsertim in Vndecimo Galenus, vt cum indicantia inuicem pugnare, dissentireque videantur, accuratè attendamus in quonam sit maior vis, maius momentum, eique faciamus satis altero non neglecto. Quamobrem argute quidem in hoc dixit Celsus, si iuuenis imbecillus est, aut si mulier, quæ grauida non est, parum valet, malè sanguis emittitur, emoritur enim vis si quæ his supererat, & hoc modo erepta est. At firmus puer, & robustus senex, & grauida mulier valens tutò curantur. Quibus verbis constat alias potiores adhibendas obseruationes esse, nec tam annorum curriculum, aut vteri in mulieribus statum, quam virium tonum in sanguine mittendo attendēdum, vt puero, & seni firmo liceat venam aperire, adolescenti autem infirmo non liceat, liceat mulieri grauidæ robustæ, non liceat non grauidæ debili.

bili. Et fuit tamen Hippocratis in aphorismis prædictio mulierem vtero gerentem vena secta abortire, sed cum singulis ferè diebus grauidis mulieribus educatur sanguis febre laborantibus, non ideo propositus succedit abortus, quia parca admodum fit eductio, & ab ingenti eductione, qualis vetustis vsurpabatur temporibus, hippocratica abhorret opinio. In his ergo casibus parsimonię sanguinis, qui vitæ thesaurus est, indulgendum, veluti in ætate florentibus, & plethoricis, si febris magna, si magnæ vires, audax emissio facienda, quia nullum præstantius remedium ad refrigerandum, nullum magis præsentaneum venæ sectione, & frigidæ potione, sed huius remedij infrequenter conceditur vsus, vt mox ostendemus, illius infrequentius impeditur. Quinimo in continentibus febribus vsque ad animi deliquium hanc obit euacuationem Galenus, & obeundam in nono Methodi consulit, & in hoc etiam Hippocrates sui sectator apparet in prima aphorismorum particula idem proponentis. Nec Auerrois in colliget aduersus hanc sententiam inuectiua vllius est momenti, quia Galenus non expectandam syncopem, sed solum animi defectum proponit, illa vires omnes exhaurit, & præcipiti lapsu abolet, iste ad magnum quidem deducit languorem, sed & sensum, & motum relinquit superstitem. Illud tamen libere confitendum tutiorem esse, laudabilioremque in hoc Celsi viam, omnem immoderatam euacuationem pertimescentis, & auream in hoc etiam mediocritatem, quam in secunda Aphorismorum particula miris laudibus Hippocrates extulit, amplexantis, & partitam potius, quàm confertam eductionem sanguinis in hunc modum consulentis. Ferè etiam ista Medicina, vbi necessaria est, in biduum diuidenda est, satius enim est primum leuare ægrum, deinde perpurgare, quàm simul omni vi effusa fortasse præcipitare. Hanc etiam viam arrisisse Galeno ipsi constat, quia licet in quibusdam fieri posse detractionem vsque ad lipothymiam asseueret, in plerisque tamen citra illam consistendum statuit, & minorem indicata quantitatem extrahendam concludit, vt patet in Vndecimo Methodi, in quo tamen continentium præcipuè febrium curationem reuocat in examen, has non sanari affirmans nisi multo sanguine misso. Cuius exigua interdum portio egressa nullum affert ægro iuuamentum, & vberior facta egressio affert salutem, vt nos docet in Epidemijs Hippocrates vel ipsius Metonis exemplo, cui leuis hęmorhagia in die quarto nil intulit iuuamenti, copiosior facta in Quinto perfectionem attulit iudicij.

Illud in hoc argumento restat adijciendum in omnibus febribus, vbi opus est sanguinis detractione, aperiendas esse venas brachij dexteri, præterquam in melancholicis, & pendentibus à succo ad lienem attinente, vt docet Galenus in primo de arte curatiua, & in Vndecimo Methodi; quia cum in his febribus affectus præcipuè sit lien, vt in pituitosis ventriculus, in biliosis hepar, habenda est ratio processionis, quam vocat Hippocrates κατ' ἴξιν, cuius processionis magnam esse facultatem pluribus docet Galenus in libello de phlebotomia. nam licet venæ omnes ortum à iecore trahant, indeque radicaliter deductæ per vniuersum corpus instar acqueductuum, vt est in Timæo Platonis, sanguineum succum inuehant, vt lateris

etiam sinistri venæ sint germina seco tis in dextra positi, tamen in affectibus lienis refert vel maximè venam potius sinistri cubiti, quàm dextri tundere ob insignem vim in recta progressione euacuationis constitutam, quam in suis commentarijs in primum Galeni ad Glauconem Stephanus Atheniensis & examinat, & explanat luculenter. Quòd si febres in mulieribus pendeant ab vtero, & præcipuè à Mensium suppressione, parcit venis Bracchij Galenus palindromem ad superiora extimescens, & venas talorum tundit ad euacuandam multitudinem simul, & ciendam suppressam excretionem accommodatas, nec præter infernas venas in affectu suppressorum Mensium vllas alias vel attingit, vel attingendas proponit, quamuis Aetius, & cum eo plures viri grauissimi, si magna sit plenitudo, aperiendas primo venas bracchij censeant. Et cum de virium constantia aliqua subest hæsitatio, in febricitantibus omnibus loco venarum brachij licet seligere venulas manus inter minimũ, & annularem digitum, quas vulgus vocat saluatellas, & in affectibus hepatis, & lienis multum posse affir mat in sexto suæ Medicinæ Paulus, manus quidem dextræ venam in affectibus hepatis, & lienis venam manus sinistræ, quam rem etiam Galenus in suo illo libello considerauit, & non flocci faciendam constituit. Ex dictis liquet in putridis febribus mittendum esse sanguinem, & mittendum à principio præmisso Clystere, si opus fuerit, & qua etiam copia, & quo loco mittendus sit, satis id quoque liquet, sed multa restant inferius de hoc remedio disserenda, cum illud considerabimus vt remedium præseruatorium, nec mirum si in hoc maximi momenti argumento ita versatur oratio, vt vel producta sibi non satisfaciat, & multa in opportuniorem locum adijcienda differat.

De vsu Lenientis vt remedij refrigeratorij.

CAPVT IX.



QVAMVIS medicamina vim euacuandi habentia, vel per solam alui lenitionem videantur aliquam febris causam respicere, ideoque ad indicationem præseruatoriam pertinere; tamen hæc eadem febrilis etiam intemperaturæ habet aliquando rationem, & possunt satis etiam indicationi curatoriæ aliquatenus facere. nam veluti euacuando, & materiam adimendo subeunt per se vicem remedij præseruatorij, ita alterando, & refrigerando gerunt vicem remedij curatorij. Quamquam vt euacuantia etiam eandem possunt operam curatoriam præstare, non quidem per se, sed per accidens, quippe quæ calidos humores educentia corpori præstent refrigerium, per ablationem causæ effectum inde pendentem auferentia, quam effectus ablationem præclarè considerat in Lyside Plato. Et quia apud veteres non suppetebat copia eorum medicaminum, quæ placidè subducerent aluum, & vim haberent refrigerantem, ideo Galenus in putridis febribus suspecta habebat euacuãtia per aluum, tamquam calida, & sicca, ideoque febrilem calorem exaggerantia, vt apparet in

vnde-

vndecimo Methodi. Verum ad nos ex vtilissima Arabum intentione mira peruenit medicaminum lenientium suppellex, ad febrilem temperandam intemperiem accomodatorum, in quo censu fuerit flos cassiæ nuperè fistulis extractæ, syrupus rosaceus, syrupus violaceus solutiui, Tamarindi, diabesesten, & alia id genus medicamenta leuia, quæ non solum aluum ciere valeant, sed qualecumque etiam refrigerium & humoribus, & partibus impertiri, quippe quæ non actu quidem, sed potestate sint refrigerantia, addo etiam accidentariam rationem ab eductione calidorum succorum in primoribus vijs extantium, & febri incrementum afferentium pendentem. Quæ quidem medicamina tali vi prędita indicantur ab ipsa febri, quatenus est morbus calidus, non quidem quatenus sunt in tali materia (hæc namque non pendet à methodo indicatoria) sed quatenus habent talem facultatem refrigeratoriam, præcipue si febris veniat ab humoribus ventriculum, & intestina occupantibus, vt solet interdum contingere, cum putridæ quædam à præcipua ventriculi labe concitantur, & fouentur, vt docet Galenus in commentarijs sexti Epidemiorum. nam tunc nulla melior, nec opportunior curationis via iniri, vel institui potest, quàm hæc propinandi medicamenti illius, quam diximus, naturæ, quia cum focus, & minera putredinis in primoribus existat vijs, has medicamen attingit, deterget, & contemperat luculenter. Verum non omittendum censeo quod vetustissimum est, & vetustissimis melioribus familiarissimum medicamentum in hoc genere familiam ducens, cuius quoniam apud quosdam Neotericos medicinam faciẽtes suspectiorem video in febribus esse vsum, iccirco non abs rè fuerit accuratiorem ipsius facere mentionem. Hoc quidem est serum ipsum e lacte caprillo confectum, quo frequentissime vtuntur Hippocrates, & Aetius, & cuius familiarem veteribus fuisse propinationem ad aluum subducendam auctor est in libris de alimentorum, & medicamentorum simplicium facultatibus Galenus. Et quia in quarto de victus ratione in acutis Hippocrates ad curandam causonidem, siue ardentem febrem inter cætera præsidia laudat lac asinæ coctum tamquam purgatorium, Galenus in commentario animaduertit, Hippocratis quidem esse præceptum, vt bilis in ventriculo residens euacuetur, sed ob metum acredinis, & caliditatis in purgantibus medicamentis existentis de lacte Asinæ dare consilium, tamquam omnis acredinis experte, & incomparabili humiditate, vnde solum ventrem subeat, referto. Addit Galenus solius seri vsum arridere sibi magis, cuius etiam conficiendi ibidem edocet modum. Quod quidem Galeni monitum videtur prudentissimum. nam cum medicamina in febri ardente adhibenda duas præcipuè condiciones requirant, vt biliosos nempè humores educant euacuando, & febrilem calorem contemperent refrigerando, vtramque operam commodè præstat serum lactis, & præponendum lacti in hoc munere venit. nam lac, vt docet Galenus in commentario sexagesimi quarti aphorismi Quintę particulæ, facile est alterabile, & duplicem suscipit alterationem, à nimio calore in nidorem abiens, à pauco calore cito accescens, vnde Hippocrates in eo aphorismo lac noxium vocabat & caput dolentibus,

bus,

bus, & multum febricitantibus, & hyppocondria suspensa habentibus, & siticulosis, & his acutè febricitantibus, qui biliosas habent deiectiones, & factam sanguinis multi excretionem, & solis tabidis concedebat non multum febricitantibus, & in febribus longis, & paruis, & præter rationem consumptis. Habet nimirum lac triplicem substantiam, vt considerat Galenus quarto de medicam. facult. vnde habet suæ naturæ constitutionem, caseosam, butyrosam, & serosam, vt iccirco non facilè permeet, & facilè euaporet, & qualemcumq; corruptionem sustineat, quo fit vt non solum symptomata febrium possit augere, sed ipsas interdum febres exacerbare obstructionibus incrementum præbés, & putrescentibus humoribus computrescens. Hinc etiam factum est, vt non quodlibet lac in causonide proponeret Hippocratis, sed solum Asininum, idque etiam ad maiorem tutelam coctum, quod quidem Asininum cæteris omnibus est tenuius, & ob insignem aquosę substantię affluentiam quā proximè accedit ad seri naturam, quod quidē ob sui tenuitatem, & qualemcumq; nitrositatē partes omnes cito perreptat, nec infestas euaporationes excitat, vt Galenus in his affectionibus, in quibus suspectum appareat lac, tutissimum censeat serum, & ob hanc eandem causam idem lacti vel asinino in febri ardente præponendum existimet, quia serum, & biliosos educere potest humores vt nitrosum, & & febrilem calorem compescere vt aquosum, & frigidiusculum, quam temperaturam ei defert in loco commemorato Galenus, vocans serum lactis frigidum, & humidum. Et licet Mesues illud esse statuerit calidum, & siccum à primo gradu vsque ad secundum, hoc tamen intelligendum venit non ratione totius substantiæ, sed ratione portionis nitrosæ, quæ in ipso non est exigua, & hoc nihilominus temperamento præditum ad humores calidissimos, & viscera æstuantia relatum vim obtinet refrigerandi, quandoquidem id, quod teporem quendam præfert, æstuantem calorem potest infringere, ac retundere, contrarij rationem non aliter, ac frigidum, habens, vt in Quinto Physicorum est auctor Aristoteles, & aliquando magis etiam refrigerat, quàm id, quod conspicuam obtinet frigiditatem vel eo etiam nomine, quod frigidiora sibi viam præcludunt interdum, & vi constipationis excitatæ aditum sibi demunt, quem res tepidiores ex aduerso aperiunt, & patefaciunt. Nec de sero vereri possumus quod in lacte suspicionem mouet, ne hærens hippocondrijs, diuque ibi consistens corrumpatur, quia serum non hæret, nec immoratur, sed præterlabitur, & permeat ob sui tenuitatem, & qualitatem nitrosam instar stimuli vrgentem, & penetrandi vires præbentem.

Est ergo præstantissimum remediū non modo in febribns ardentibus, sed in quibiscumque febribus ferè, quia vt missam faciamus vim euacuandi, & aperiendi tamquam præsenti huius capitis instituto parum accomodatam, incredibile est quātum valeat ad partes refrigerandas, ad succos contemperandos, ad febrilem intemperiem corrigendam. imo, quia aliquid habet alimentalis, naturæ euadit familiare, & amicum, hocque nomine libenter introitur partes attrahitur, & libenter excipitur, vt commodius possit promissam opem præstare. Ita fit vt inter omnia lenientia serum præcipuè refrige-

frigeratoriam vim sit nactum, & ad explendam curatoriam febris indicationem accomodatũ. ipso namque vti possumus non solum cum rhabarbaro, & alijs purgatorijs pharmacis, sed etiam cum sirupo rosaceo solutiuo, & cum Tamarindis, & cum alijs id genus placidioribus medicamentis lenitoriam facultatem non transcendentibus, & possumus non solum vti in magna dosi ad aluum subducendam, vt subeat vicem remedij deiectorij, cum alijs coniuncto, sed possumus etiam vti solo in parua dosi ad alterãdum potius, quam ad euacuandum, vt fungatur munere refrigerandi, accensumque calorem compescendi, & si tunc etiam euacuet, non tàm sit deiectorium remedium, quàm diureticum. Quo etiam tempore cum succo cichorei, vel sonchi, vel alio huiuscemodi succo poterit coniungi ad maiorem refrigerandi operam præstãdam. Quòd si contigerit febrem ad curandum propositam ex biliosis, calidioribusque succis pendere in prima corporis regione quæ inde etiam morbosum calorem contraxerit, quis non videt quantum emolumenti polliceatur, atque recipiat seri benè parati exhibitio, cum materiam morbificam possit blandè eximere deiectoria vi, accensum calorem possit facilè extinguere paregorica facultate? nam non solum prima vice potest exhiberi vt euacuet, sed pluribus etiam vicibus repeti vt alteret, hæcque omnia fient sine vlla naturæ molestia, vt tutum sit, atque adeò iucundum remediũ. Nec ob aliam causam vsurpari hoc in febribus potest, nisi ob eam, quã continet, serosæ, aquosæque substantiæ portionem, cuius quidem si foret expers, non ita conueniret, qualitatem alioqui calidam sortitũ, quod vel ex eius dulcedine colligi potest, quæ certa est caliditatis dominantis nota, vt in secundo de simpl. medic. affirmat Galenus. Quamobrem Aetius etiam secundo suæ Medicinæ libro multis ad cælum laudibus secundum Galenicam mẽtem serum extollit, & vocat remedium iucundissimum, ab omnique periculo alienum, vel in magna ventriculi imbecillitate congruentissimum, puero, mulieri, seni opportunissimum, vel in ipsa canis furentis constitutione, in qua iuxta Hippocratis monitum purgationes sunt suspectæ, absque vllo metu vsurpandum. Quod quidem in febribus præsertim, quæ lõgiores habeant, diuque perseuerantes circuitus, & in his affectionibus, vnde immineat aquæ inter cutem discrimẽ. Superius autem ostendimus serum à Gal. laudari ad curandas etiam febres ardentes, vt hinc possimus concludere eius vsum tum in acutis, tũ in longis, tum in vehementioribus, tũ in leuioribus febribus apprimè conuenire, vt admiranda veniat quorundam vel imperitia, vel pertinacia ab hoc remedij genere in febricitantibus abhorrentium, quasi ab eo vel obstructionum incrementum, vel putredinis amplificatio, vel ventriculi læsio sit expectanda, quod magis primarum apertionem, secundæ correctionem, tertij corroborationem pollicetur, ac præstat, idque precipue si adhibeatur solum, vel coma absinthij, vel seminibus citri alteratum, & vim lenitoriam quoquo pacto retineat, & detersoriam exerceat, non iungatur validioribus pharmacis, vnde vim purgatoriam nanciscitur. Verum de hoc forsan nimis: præsertim cum propositum sit ostendere lenientia quoque conducere ad explendam indicatio-

nem

nem febris curatoriam, qua scilicet vim habent refrigerandi, non solum vt aluum subducentia, & per calidioris euacuationem materiæ contemperantia, verum etiam vt alterantia simpliciter, & facultatem refrigeratoriam nacta. Quod quidem munus obire etiam possunt quadam tenus blandi quoque clysteres, & ex rebus refrigerantibus conflati, quos etiam sibi magis dilectos asseuerabat in curandis febribus Auicennas, qualemcumque medelarum ore assumptarum commotionem pertimescens, quasi Platonici in Timæo dicti memor, motum à pharmacis factum improbantis, & solo vrgentis necessitatis casu concedentis. Sed cum vsus lenientium quoque possit, vt ostendimus, ortam à febri indicationem adiuuare, cui indicationi respondet missio etiam sanguinis, quid erit primo moliendum? Sanguisne mittendus, an leniens propinandum? illa habenda veniet animaduersio, num febris sit continua, an intermittens, num pendeat à cruditatibus, & excrementis primas vias occupantibus, an aliunde. nam si fuerit intermittens, & soboles excrementorum in primoribus vijs stabulantium, rationabilius fuerit medicamentum leniens exhibere, si fuerit continua, & aliam habuerit originem, præmittenda sanguinis detractio, & maximè si calor febrilis feruidior fuerit, & maius habuerit momentum, vt colligitur ex Galeno in Vndecimo Methodi. Pro varia itaque humorum peccantium subsistentia vel intra venas, vel extra, & pro maiori eorundem, vel minori efferuescentia varius suscipitur indicatorum remediorum in idem conspirantium ordo; quamuis Hippocrates in pluribus morbis vtroq, auxilio indigentibus, & qualemcumque phlegmasiam præferentibus venæ sectionem medicamento præmittendam censeat, vt apparet in primis sententijs quarti acutorũ.

De vsu alimentorum vim medicamentosam habentium in febri curanda, & præcipuè de Ptißana.

CAPVT X.



IN alimentis vim quãdam medicamentosam agnoscit, & constituit Hippocrates in libellis de alimento, ac de Medicinis purgantibus, & eam quidem ne dũ alteratoriam, sed etiam purgatoriam, at purgatoria nunc dimissa, quæ proposito non inseruit, alteratoriam consideremus. nam, vt rectè ait Damascenus in suis aphorismis, felix est illa curatio, quæ per solam victus rationem procedit, quã etiam præstantissimorum Medicorum facit propriam Hippocrates in libro de Arte. Quamobrem Galenus, qui vim hanc medicamentosã alterando corpori appositam cumulate explicuit tum in libris de alimẽtorum facultatibus, tum in libello de bonis, malisque succis, auctor est in octauo Methodi refrigerationem, & ex alijs multis, & non minimum ex cibi exhibitione proficisci. Sed inter omnes cibos summis ad hunc finem laudibus prisanam extollit, magna & refrigerandi, & humectandi vi præditam, multaque commoda ibidem enumerata febricitantibus importantem. Ac huius quidem ptissante vtilitates in libello huic materiæ dicato abundè examinat Galenus, quòd benè cocta vim omnem flatuosam deponat, sitim

tim compescat, detergat, abluat, facilè coquatur, & sine adstrictione aliqua humectet, gustui nescio quid suauis, & blandi afferat, præsertim in ægrotis, ad deiectionem, & distributionem accommodata, ideoque ardentibus febribus opportuna, quippe quæ eis vndique resistat: refrigerans, & humectans putridos humores detergens, corpori non paruam alimoniam præstans, humores autem semiputridos concoquens, & ad bonam boni succi frugem redigens, nullam vel adstrictionem, vel ventriculi subuersionem retinens. Verum cæteris eius omissis iuuamentis nunc solam refrigerandi, & humectandi facultatem in examen reuocamus tamquam indicationi febris curatoriæ respondentem. Hinc Galenus non solum in octauo Methodi, vel ad curãdam febrem Ephemeram, sed in vndecimo quoq; ad curandam putridam inter præcipua remedia ptissanam recenset, & in decimo Methodi affirmat febrientibus omnibus, calido, siccoque temperamento præditis ipsius vsum vel maximè conuenire ad refrigerationem, humectationemq; efficiendam, & discrimen imminentis hecticæ febris summouendum. Sed hic oritur dubitatio quædam ex eo profecta, quòd Galenus in commemorato de ptissana libello improbat vsum ptissanæ in morbis siccissimis, quos etiam enumerat, vt sibi contrariari videatur, dum in libris methodi, addo etiam in eodem libello pro curandis ardentibus febribus ptissanam commendat. At non operosum fuerit hanc dubitationem eximere, quia Galenus ptissanam reijcit in morbis extremæ siccitatis, in quibus nulla sit excretio quæ fieri tamen deberet, & non ob aliam causam reijcit, nisi quòd humectare satis siccissimas partes non potest, vt repudietur nõ tamquam remedium importunum, sed tamquam diminutum in extremis siccitatibus, ad quarum correctionem maiori, validioriq; sit opus præsidio. At in putridis, ardentibusque febribus, & in primarum specierum hecticis nondum tanta siccitas inualuit, vt excretionum omnium facta sit suppressio, & ptissanæ facultas adeo hebescat, vt omnino appareat inutilis, quinimo vim habet efficacissimam ad calorem corrigendum, nondum squallidum effectum, & extremæ siccitati iunctum. Quod Hippocrates quidem ostendit in primo acutorum, vbi plenè vires omnes, & opportunum, importunumq; ptissanę vsum explicauit. A' quo omnia mutuò accepit Galenus de hoc argumento in suis libris, vt diximus, conscripta. nam ipsius Hippocratis est expressa sententia in morbis siccioribus, in quibus nulla maneat excretio, non ita ptissanam conuenire, quem locum declarandum suscipit Galenus easdem adhibens morborum siccorum diuisiones, quas in libello etiam de ptissana adhibet, non tamen vetat omnimodum in his morbis ptissanæ vsum, sed vetat intempestiuum nullo præmisso humentiori liquore factum. Illud tamen semper cum Hippocrate vbique vetat, accurateq; obseruandum monet, ne ad propinandam ptissanam quolibet morbi tempore, quolibet ægrotantis statu accedamus, quia nec quibus Clystere est opus, vel venæ sectione, nec quibus dolor aliquis est molestus, vllumve symptoma effatu dignum infestum, nec quibus vires vndequaque languescunt quasi efferæ, conuenit, sed his omnibus onerosa, noxiaque dicitur

V quip-

quippe quæ materias iactet, obstructiones adaugeat, dolores lancinantes, & qualiacumque symptomata irritet, & vires collapsas eneruet magis, infirmioresque reddat. Purgato igitur aliquatenus corpori, nec doloribus conflictato, nec imbecillitate fracto congruit, vt hinc pateat non leue, nec excusandum eorum erratum, qui statim ad ægrotum accedentes vel nulla præmissa euacuatione ptissanam imperant non aliter ac si ferculum ex pane contrito confectum instituerent, cui nulla est necessaria corporis præparatio, nec animaduertunt se non solum à solidissimis Hippocratis, & Galeni præceptis in hoc recedere, sed magnum etiam laborantibus, nec facili negotio corrigendum detrimentum importare. Verum quia vel tota ptissana vti possumus, vel solo eiusdem cremore, tutior quidem existit cremoris vsus, minusq; lubricus in propositis impedimentis à corporum vel impuritate, vel grauiori afflictione profectis, vt ideo à solo cremore capiendum sit exordium, vel à maiori cremoris parte, cui parum ptissanæ sit adiunctum, mox vtriusque æqualis portio propinetur, deinceps vel sola ptissana, quæ in corpore nutriendo, & confirmando tantum præualet, quantum in facili coctione, & distributione ipsius cremor. Hęc igitur refrigerantis, & humectantis remedij materiæ adhibetur ratione caloris febrilis, quam tamen dissuadet & corporis impuritas, & sanguinis plenitudo, & doloris lancinantis molestia, & grauiorum symptomatum insigne afferentium discrimen concursus, vt solerti sit opus indicio ad omnia ponderanda, & pro maiori momento congruentiora seligenda. Ad hanc eandem refrigerandi, & humectandi materiam pertinent etiam olera multa, vt borago, cichorium, atriplex, lactuca, & alia id genus olera, quia licet herbæ omnes toto sui genere plus habeant excrementitiæ substantię, quàm alimentalis, vt statuit Galenus in octauo Methodi, plus tamen prosunt contemperando, quàm noceant excrementitiam materiam adijciendo. Vnde Galenus in tertianis exquisitis, in quibus magna est opus contemperatione, commendans cibaria humectandi, & refrigerãdi vim habentia proponit ex oleribus atriplicem, blitum, lapathum, maluam, lactucam, & cucurbitam, & pisces etiam saxatiles, qui præter lenitatem substantiæ vim obtinent refrigeratoriam, & humectatoriam, & hoc eodem nomine concedit ex pomis fugacibus (quæ ὀπώραι græce dicuntur) illa potissimum, quæ non omnino ad concoquendum difficilia sint, non tam palato ægrotantium gratificatus, quam inde venientem humectationem, & refrigerationem meditatus. Quo minus mirari debemus, si Trallianus quasi Galeni, quem tamen oculis liuore suffusis conspexit, perpetuus simiolus in febribus ardentibus largus est pomorum dispensator, & medicamentosę inde contemperationis aucupator, & exhibet exquisitam tertianam sustinẽtibus vuam dulcem, persica cocta, & non cocta, peponumque medullam presertim ęgris siticulosis, profiteturque se multoties exhibitione peponum refrigeratorum cum potu aquæ frigidæ addito reuersiones accessionum sustulisse, eosque deridet qui ex Galeno affirmant pepones esse biliosorum humorum feraces, non coleram humorem, sed coleram morbosam affectionem à peponibus secundum

Gale-

Galenum produci ostendens. Viderit ergo Cardanus, qui tantopere carpit hunc fructum, quem vel peponem, vel melopeponem vocarunt veteres (sunt enim hi fructus inter se congeneres) vt in extremas, vt aiunt, insulas amandandum, iussuq; principum omnium prohibendum statuat, tamquam maximum auctorem malorum, cui Cardani sententię non modo allatam Tralliani doctrinam opponimus, sed Galeni etiam in opere de alimentis aliter sentientis auctoritatem, atque adeo hanc præclaram Hippocratis ipsius in libro de affectionibus animaduersionem. Cucumis Pepo (ait ipse) & vrinam, & aluum mouet, ac leuis est. Alter autem Pepon refrigerationem quandam inducit, & sitim sedat. Ab horum neutro nutritio nisi admodum tenuis procedit, sed neque malum aliquod effatu dignum ab horum neutro. Quid ergo Cardanus tantum mali minitatur? Quid quod ipse fuit magnus Peponum heluo, vt audiui ex multis, qui eum Romę degentem nouerunt? vt dicere possimus ad risum excitandum ipsum detraxisse huic fructui, vt ab alijs omissus sibi remaneret comedendus, veluti Plutarcus narrat de quodam Gnathone, qui vt sibi superessent esitanda delicata edulia, in eorum patinis conspuebat, & ipsas interdum nares emungebat, vt reliqui conuiuæ nauseam inde experti ab eis abhorrerent edulijs, sibi soli in vsum gratum reuocandis. Concludamus ergo rectè Galenum in primo ad Glauconem concessisse febricitātibus pomaceos fructus ad contemperationem inducendam, inter quos fructus mirè excellunt mala punica ad ventriculum etiam confirmandum valdè accomodata, vt ideo Galenus in libris Methodi eorum grana in ferculis concoquenda proponat, concludamus rectè Trallianum vel ipsos Pepones concedendos indicasse, quia cum grati sint gustui, sensumque apprimè alliciant, paratiores sunt ad subeundam, efficiendamq; commutationem, & facti naturæ familiares hinc inde cito per omnes corporis partes perreptant, & suam in omnibus alterandi vim exerunt. Sed quamuis & olera, & pisces, & pomacei fructus non parum ad refrigeranda, humectandaque corpora valeant, & indicationi febris curatoriæ satisfacere aliquatenus possint, hæc tamen omnia edulia cum magna pręmeditatione in vsum veniunt reuocanda, habita temperamenti assumentium, consuetudinis, & facti experimenti congrua ratione. Et hęc dicta in vniuersum fuerint de refrigeratione ex alimentis comparanda, quæ non solum habent communem refrigerandi rationem alimentis omnibus à primordio competentem, de qua loquens Philosophus in libro de vita, & morte dixit, succus intromissus in animantis corpus refrigerat, quemadmodum homines etiam, cum primum alimentum inferunt, refrigerantur, non hanc solam, inquam, habent refrigeratoriam vim, sed propriam etiam depromunt euidentiorem à proprio ipsorum temperamento prodeuntem.



De Vsu frigidæ, vt remedio febris curatorio.

CAPVT XI.



Efrigerantium remediorum alia diximus esse actu talia, alia potestate, alia per se, alia ex accidenti, vt in vndecimo Methodi repetens quod in decimo dixerat auctor est Galenus. Verum inter ea, quæ actu sunt talia, primas sibi vendicat partes aqua frigida, quippe quæ innatam refrigerandi, & magis propriam humectandi qualitatem retineat, vt ideo germanum sit, valdeque proprium febris ipsius remedium. est enim ipsa febrili intemperiei verè contraria, sua frigiditate huius caliditatem, humiditate corrigens siccitatem, ideoque omnis febris, quatenus febris, medela existens, vt rectè considerat Galenus in illo Methodi vndecimo. Verum quia hæc refrigerantis remedij materia, potio nempe frigidæ, de qua sola nunc institutus est sermo, non ludicrum est negotium, sed magnum habet momentum, magnasque vires, ideo non temere, nec sine magna præmeditatione vsurpari debet, quia vt opportunus vsus valdè conducere, ita importunus valdè valet officere. Duo quidem sunt febrium vehementium, & maximè continentium maxima, & præcipua remedia, venæ sectio, & frigidæ potio, vt in nono Methodi constituit Galenus, at in his illud intercedit discriminis, quòd phlebotomia omni tempore potest vsurpari dum modo vires constent, siue cruditatem præferunt succi, siue coctionem, sed frigidæ potio non potest, quippe quæ præcedentem coctionem exigat & in pulsu, & in vrinis apparentem, & febris etiam supponat insignem magnitudinem. magnum enim validumque remedium, magna alterandi facultate præditum non venit leui calori febrili, leuioribus etiam remedijs facilè concessuro, adaptandum. Febris ergo fuerit effatu digna magnitudine comitata, magni refrigerij indiga, quale nimirum potest frigidæ potio suppeditare. Sed non semper datur perficiendæ indicationi locus, quia obstat contrariorum indicantium, siue plurium contra indicantium concursus in accuratum examen reuocandus: nam si materiæ cruditas vigeat, partim pulsus, partim vrinæ notis insinuata, tantum abest vt frigidæ potio hoc nomine indicetur, vt vel maximè potius hinc inhibeatur, quia cruditas vsu frigidorum augetur, à calore corrigenda, ad coctionisque frugem adigenda, vnde Aristoteles in quarto Meteorologico dixit omnia cocta esse calidiora, cum coctio sit perfectio facta à calore naturali, & proprio, & in secundo de generatione animalium vocauit coctionem calorem, non quidem formaliter, vt aiunt, existentem talem, sed effectiuè, seu originaliter tanquam caloris sobolem. Qui possit ergo potus frigidæ conuenire in humorum crudorum affluentia, de accessu validissimi refrigerantis magis crudescentium; maiorem & crassitiem, & visciditatem sortientium, vt magna detur exaggerandis obstructionibus ansa, vnde augeatur putredo, & à putredine incrementum accipiat calor febrilis? Nec verò sola excrementorum cruditas vim habet inhibendæ frigidæ, sed eorundem

dem etiam copia, & abundantia idem præstat, quia quæ refrigerant, licet naturæ intemperiem concilient, abundantiam tamen intra corpus detinent, vt non tam iuuent calefacta refrigerãdo, quàm obsint euacuanda cohibẽdo. Quamobrem cum abundantia emitti postulat, caliditas contemperari, vt contingit in febribus cum magno humorum affluxu coniunctis, oritur dissidentium indicationum concursus, febre quidem refrigerium postulante quod præstant refrigerantia, multitudine excretionem exigente, quam moliuntur potius calefacientia, vt si abundantiam emittere velis, febrem augeas, si febrem refrigerare, abundantiam compescas. In crudis ergo, copiosisque succis non est tutus frigidæ potus, quia & augetur cruditas, & cohibetur copia, quæ tanto minus educi è corpore potest frigidæ opera, quanto magis iunctam habet cruditatem contumaciæ, & pertinacis moræ allatricem, vt lentis crassique humores, siue hi quidem obructiones, siue putredinem, siue qualemcumque præternaturalis tumoris affectionem excitauerint, ab attenuatione, digestioneque deterreantur, & magis, quam antea rebelles in corpore commorentur. Quam maximam esse noxam ex importuna frigidæ assumptione febrientibus accedentem dubitauerit nemo. Ad quam alia accedit non minor tunc temporis contingens, cum his frigida propinatur, qui aliqua insigni viscerum, seu quarumcumque partium infirmitate laborant, siue ventriculus fuerit, siue iecur, siue renes, siue vesica, siue qualiscumque alia particula, non solum si fuerit à naturæ primordijs debilior facta, sed si aduentitiam etiam quacumque de causa imbecillitatem contraxerit: nam his imbecillioribus particulis magnum imminet magnæ læsionis à frigida manantis discrimen. Vbi igitur obstructiones vigent, & putridi humores coctionis expertes, vbi crassorum abundantia succorum malè ad expulsionem paratorum infestat, vbi pars corporis præcipua, seu qualiscumque æstimatione digna particula infirmitatem non contemnendam præfert, suspectum frigidæ remedium esse debet, in alia auxilia, quibus obstructio adimatur, abundantia euacuetur, febris feruor remittatur, & nulla corporis pars detrimento afficiatur, commutandum. Exemplum aquæ importunius assumptæ habemus apud Hippocratem in primo Epidemiorum quæ Metoni grauiter febricitanti contigerunt narrantem, nam cum hic secundo die aquã bibisset multam, nullam inde vtilitatem, sed magnam potius reportauit noxam, quarto die malorum omnium exacerbationem passus, quia plenitudo suberat, & cruditas in vrinis vigebat, &, ni quinto die hæmorhagia, e naribus, & sudore fuisset adiutus, vim acerbissimi morbi non effugisset. Consideranda etiam venit ægrotantis temperatura, & cæli status, nam sicciores iusto temperaturæ, quæ insignem habent gracilitatem adiunctam, non ferunt id remedij genus, à quo partes solidæ non mediocriter læduntur, sine vlla ferè carnis resistentia perculsæ, quam resistentiam facit habitudo plenior, carnium munimento reddita tutior, vt ideo in febri synocha conueniat magis potio frigidæ, quam in causonide, quia in hac corporis habitudo est gracilior, in illa verò plenior. Nec

qui-

quilibet cœli ſtatus eſt opportunus, quia frigidior aeris intemperies repugnat, ac reluctatur imminuens vim indicantis, hoc eſt febrilis caloris, qui ab ambiente calidiori augetur, & magis indicat refrigerantia, ab eodem ambiente frigidiori obtunditur, nec tam vehementer indicat, quippe qui vel ab externa aeris frigiditatem remiſſione qualécumque ſuſcipiat, nec refrigerio à frigidæ potione promiſſo indigeat. nam aer calidior habet in febribus rationem cauſæ morbificæ, & morbum exaggerantis, frigidior cauſæ ſalubris, & morbum diminuentis, vt ſupra ex Galeni in vndecimo Methodi doctrina conſiderauimus. Ideo calidior fouens febrem fouet etiam indicationem eiuſdem, quæ indicatio eſt contrarij refrigerantis, cuius materia poteſt eſſe frigida abundè pota, frigidior autem aer remittendæ febri eſt opportunus, tamquam eius intemperaturæ oppoſitus, & non auget morbi indicationem, ſed minuit, quia refrigerium hinc indicatum è ſuo quaſi penu depromendum præbet, imo potius ſubit vicem prohibentis admiſſam à febre frigidæ potionem, quia metum incutit, ne tantam refrigerationem, & interius, & exterius factam, ab aere ſcilicet, & aqua, nequeat natura ſuſtinere, calorque innatus febricitantis ſuccūbat, quippe qui ſoleat à cauſis valdè refrigerantibus colligi aliquando, ac temperari, ſed interdum etiam vinci, vt Galenus commentario decimo quinto primi Aphoriſmorum exemplo partim hominum aqua frigida lotorum, partim animalium hieme latitantium oſtendit. Quare Hippocrates vel in ipſa frigidæ profuſione, quæ fit exterius, & ſolum corporis ambitum extra attingit, & calorem æſtiuum, & ipſum iuuenem carnoſum requirebat, vt patet in Quinto Aphoriſmorum, nec quemlibet cæli ſtatum, nec quamlibet hominis temperaturam, ſiue etiam ætatem, & habitudinem vel externo frigidæ vſui, & multo minus interno eſſe accomodatam inſinuans, magnum enim eſt frigidæ remedium, & magnam habet immutandi corporis vim, & niſi vires validæ ſuppetant, magnum imminet periculum, ne calor innatus, qui tamquam feruidior factus venit contemperandus, ab excellentis frigoris acceſſu peſſumdetur, & extinguatur. Vnde nec in omni virium conditione conuenit hoc remedium, quia ſi calor febrilis non fuerit maximus, non exigit tanti momenti medelam, & ſi vires fuerint languidiuſculę non ſuſtinent tanti oneris magnitudinem vt febris exigua non requirat, vis languida non permittat frigidæ potionem. hæc enim largius facienda præcipitur, vt quantum haurire poſſunt ægroti hauriant, quam largiorem potionem viribus imbecillioribus non eſſe conſentaneam nullus dubitandi relinquitur locus. Cum magnum ergo ex ipſa timetur incommodum, eam conſtat eſſe prætermittendam, at cum vel exiguum, vel nullum, audacter fuerit, & ea quidem copioſior, & quoquo pacto gelidior offerenda. Huius autem audacem facit, omniſque timoris expertim oblationem ſi concurſus appareat febris vehementis, virtutis omnis validæ, coctionis in humoribus euidentis, quia tunc omnis adeſt frigidæ exhibendæ occaſio, nulla prohibitio, vt ſtatuit Galenus in vndecimo Methodi, præcipuè ſi accedat bona corporis habitudo, cæli ſtatus calidus, & con-

fir-

firmata huic potui assuetudo omnis incommodi nescia. hinc enim certa colligitur coniectatio, quam solet Hippocrates vocare tecmarsim, tutaque suscipitur spes fælicioris euentus, quia magna est vis consuetudinis ad fouenda medelarum iuuamenta, & quasi altera natura insinuat quid nostris corporibus noxiū, quid salubre sit futurum. Hæc, quæ diximus, faciunt, vt non cuiusuis Medici sit ad frigidæ administrationem, accedere, quæ tempestiuè facta maximam attulerit opem, intempestiuè maximam noxam, & opportunitatem discernere opus est acris iudicij, quia difficile est febrem, putredinem, & effectricem causam, quando adest, inter se conferre, præcipuè si virium etiam cum eis fiat collatio, quæ nullo pacto venit prætermittenda. Quod nisi hæc omnia inter se conferantur, & cuiusq; pondus expendatur, fieri nullo modo potest, vt recta fiat huiusce remedij administratio, quia in concursu pugnantium inter se indicationum, videndum vbi sit maior vis, quid magis vrgeat, num sit maius commodum promissum, an detrimentum suspectum, vt exposcente febre frigidæ potionem, sed putredine, & causa morbifica, & virium infirmitate reluctantibus, non sit remedio huic manus dāda, quia licet aqua sit vnum ex his, & illud quidem præcipuum, quæ actu refrigerant, & ipsa sit auferendo morbo admodum consentanea, tamen, cum plura sint alia partim potestate, partim ex accidenti refrigerantia, ob factam ab alijs reluctantiam indicationi morbi non consentientibus, dimittenda fuerit frigida, & aliud tutius præsidium comparandum, vt Galenus in vndecimo Methodi decernit. Concludamus ergo ex mente Galeni in nono, decimo, & vndecimo Methodi has esse condiciones ad frigidam propinandam requisitas, vt febris sit maxima, magno comitata ardore, & continua potius quàm intermittens, & continens potius, quàm proportionata, vt materia sit cruditatis expers, & si non absolutam, mediocrem saltem præferat coctionem, vt bonus sit viscerum, & reliquarum partium tonus nullo incōmodo à potu frigidæ afficiendarū, vt valida sit virium omnium constitutio, vt sit aeris calidioris conspiratio, & inueteratæ in hoc potu consuetudinis confirmatio, quibus omnibus conspirantibus tutissimus fit, & vtilissimus simul remedij vsus, dissentientibus verò, & inter se pugnantibus ea venit adhibenda cautio, quam superius secundum Galenum adduximus, in cuius doctrina tamquam clarissimum innotuit frigidam esse proprium febris omnis remedium, & illud quidem curatorium, quatenus febrilem calorem compescit, & extinguit quāuis materiam educendo euadat etiam præseruatorium, quo nomine nunc non perpenditur, sed vt curatorium non aliter omittendum, quàm ob pugnantem contrariatum indicationum concursum. In quo quidem concursu magni faciendum proponit Galenus in decimo Methodi tum partis phlegmonem, tum putrescentem humorem, quasi vtraque occasio magnam habeat inhibendę frigidæ facultatem. nam frigida irritat inflammationem eique præbet incrementum, magisq; accendit comitem febrem, & putridus humor frigida fit deterior, & ad gignendam, fouendamq; febrem accomodatior, quia non de quocumque humore putri-

do his sermo habetur, (quippe putridis febribus non esset hoc remedium congruum) sed de putrido crudo, & omnis propè coctionis experte; qui propriè putridus est ob eam, quam putredo retinet cum coctione contrarietatem, quam in Quinto de generatione animalium cumulatè expressit Philosophus. Putridus ergo humor, quatenus verè, integreque putridus, hoc est quatenus crudus, ideoque ad excretionem ineptus, & ad augendas obstructiones paratus, vim habet inhibendæ frigidæ, sic tamen, vt non omnis expectanda sit coctio, nec omnis pertimescenda vel exigua cruditas, veluti nec omnis phlegmonis animaduersio debet à proposito remedio deterrere, nam cum mediocris affulserit in humoribus coctio, licebit aquam propinare vrgente multum febrili calore æstuoso, vt in vndecimo Methodi docet Galenus, à quo etiam in phlegmonis concursu legimus propinatam, cum maior esset consecuturi commodi spes, quàm imminentis detrimenti metus; cui quidem animaduersioni appellendus quàm maximè est animus; quia cum nullum ferè sit præsidium, vt sæpe nos monet Galenus, & oximelitis exemplo, atque adeo mulsę in vndecimo Methodi ostendit, quod promisso vsui non habeat iunctam aliquam noxam, aliquam læsionem naturæ infestam (difficile est, inquit eo loci Galenus, eiusmodi aliquod auxilium inuenisse, quod citra vllam noxam magnificè prosit) examinandus accuratè venit, & quasi iusta ponderandus lance vterque euentus, vt appareat maius ne sit commodum, an incommodum euenturum, & vsurpandum ne sit, an dimittendum præsidium, apertè liqueat. nam indicantium id quod magis vrget, magisque naturæ incolumitatem fouet, amplexandum magis, cæterisque omnibus præponendum existit. vt hinc statuere debeamus tunc etiam exhiberi frigidam posse, cum aliqua adest phlegmonis molestia, nec omnimoda subest humorum coctio, modo non magnum sit expectatum damnum, magnum autem sit, effatuque dignum spe conceptum emolumentum. Quod quidem emolumentum vel in his potissimum febribus se prodit, quæ præ nimio æstu, præ immoderato caloris incendio torridam quandam cordi exustionem, & ad hecticas temperies progressionem minitantur; cui discrimini extrema adhibita refrigeratio vnicum est, & præsentaneum subsidium, vt in commemoratis Methodi libris planum facit Galenus. Nec illud omiserim dicere, hanc frigidæ potionem non solum alterando, sed euacuando etiam curatorij remedij munere fungi, quia dum vel per sudores, vel per vrinas, vel per deiectiones materiam actu putrescentem detrudit, putredinem aliquatenus sanat per ablationem subiecti; & hoc etiam nomine consequentem febrilem intemperiem emendat.

De Balneo sub eadem ratione remedij curatorij.

CAPVT XII.



Elebre aquæ Encomium, quod ei in olympicis tribuit Pindarus, optimam rem nuncupans, & inter elementa talem, quale est aurum inter metalla, ittro optimo

timo approbandum censuerunt Philosophi, inter quos Aristoteles in primo Rhetoricorum, Plato in Euthydemo illud commendat, & Plutarchus lepido commentariolo eius cum igne de vtilitatis primatu contentionem absoluit. At si hoc faciunt Philosophi, multo facere magis Medici debent, quorum ars nullum habet præsidium ipsa aqua præstantius. Cuius reliquas vtilitates in sanandis morbis, tuendaque valetudine vt missas hoc tempore faciamus, satis explicare non possumus quantum in profligandis propositis febribus putridis afferat adiumenti, quippe quæ non solum interius assumpta per potionem, sed exterius etiam adhibita per balneũ plurimum addat emolumenti. nam Galenus in decimo Methodi hoc dulcis aquæ lauacrum febrili tollendo affectui vtilissimum esse pluribus rationibus ostendit, quibus omnibus adductis illam demum adiungit considerationem, maximo huius rei documento esse corporis constitutionem, quę balneum excipit postquam in sole feruente iter fecerimus, quia ad illud accedimus ne loqui quidem ob nimiam ariditatem valentes, & corpus vniuersum instar stipulę aridum habentes, sed aquam egressi, illico omnia naturæ consentanea recipimus, febrili nec calore, nec siccitate conflictati, promptè verba facientes, & omnem ferè sitis molestiam deponentes. Cui sententiæ similem planè scribit in commentario sexto sexti Epidemiorum his verbis. Idiotas quosdam audiui quod ipsis cõtigerat ex aquarum dulcium lauacris admirantes. Nempè antea ex sole calido, & itinere venientes, sese squalidum corpus, & os siccissimum habere dixerunt, atque siti, detineri inopinabili. Post lauacrum verò sine siti redditos, atque os habere humidum, simili quoque modo & corpum totus molle, & humidum redditum reiecto antecedente squallore, alij verò & euidenter se sensisse corpus in solio ad se aquam trahere dixerunt. Hæc memorabat Galenus de insigni vtilitate in calido, siccoque affectu profecta à balneo, quod erat sua tempestate vsitatissimum, nec vllis diebus intermissum. Hinc factum est vt in omnibus febribus curãdis hoc proposuerit remedium, nec in his solum, quas vocant immateriales, quales sunt præcipuè hecticæ, & quodammodo etiam Ephemerę nil cum humoribus habentes commune, quibus omnibus applicat balneum in octauo, nono, & decimo Methodi, verum in ipsis etiam humoralibus, siue putridis, quibus minus videtur congruere, applicat tamen etiam his interdum tamquam remedium aptissimum, &, si quædam seruentur cautiones, saluberrimum, vt legenti finem Vndecimi Methodi clarè innotescit. Et quamuis hoc remedij genus videatur iàm in curatione putridarum febrium recessisse, vt aiunt, ob aula, quia non familiarem habemus instar veterum vsum balnei: mihi tamen nullo pacto omittenda videtur hæc pertractatio, non modo vt Galenica de hoc præcepta, præclarissimaque documenta explicentur magis, clariorique notitię subijciantur, sed etiam vt eorum temporum congrua habeatur ratio, in quæ solemus interdum incidere, vt quasi coacti ad lauacrum tamquam ad sacram ancoram confugiamus in profligandis etiam putridis febribus, quales sunt nonnullæ in temperamento calidiori, sicciorique accensæ, & contumaces adeo, vt nullis alijs concedant

remedijs,& progressum,expeditumque ad hecticas aditum minitentur. In quibus mirum est quantum afferant balnea adiumenti,si tres obseruatæ conditiones fuerint, quarum vna est, vt citra horroris sensum vsurpentur, secunda, vt nullum primæ notæ viscus sit imbecillum, tertia demum,vt crudorum humorum in primoribus vijs copia non insit. nam cum lauacrum horroris sensum habet comitem, quæ febris adest incrementum accipit, quia vberior putrescentis materiæ copia suppetit, quæ non adest,aduenit, quia putredinis ex commota materia ansa accedit, ac tanto quidem hæc magis, quanto illa magis per sensiles ambitus partes confertim, rapideque irruit. Quæ ne contingant,horroris discrimen est amouendum, & opera simul danda, ne vllum præcipuæ notæ viscus sit infirmum, nam cum proprium balnei sit fundere humores,eosque ad confluxum paratos efficere,& cum ad viscera imbecilliora paratus sit succorum, excrementorumque confluxus, vt in primo de symptomatum causis declarat Galenus, nullus dubitandi relinquitur locus, quod æger infirmis præditus visceribus, si balneum vsurpat,ad ea pellicit,trahitque insignem superuacaneorum copiam, vnde inflammationum, variorumque tumorum frequentem videat ortum. Quòd si viæ primores ad ventriculum,ad intestina,ad mæsenterium pertinentes cruditatibus scateant; quis non videt quàm anceps sit, parumque tuta balnei administratio? quippe quæ crudiusculas materias diuturniori in partibus, vbi resident, indigentes ad sui elaborationem mora agitandas suscipiat, ad partes vlteriores alliciat, ad obstructionesque promouendas excitet, vt hinc longe maius febricitantibus detrimentum, quàm emolumentum ex lauacro accedat. *Siue* igitur discrimen immineat consequentis horroris, siue infirmitas appareat nobilis visceris,siue in primis ductibus affluentia consistat crudiusculi humoris, omnis deponenda venit in putridis febribus huius remedij cogitatio. At si hæc omnia absint impedimenta, & hæ omnes econuerso adsint conditiones, vt nullus immineat horroris metus, vt bonus suppetat visceribus tonus, vt primas vias non obsideat superfluorum cumulus, vsurpandis balneis opportunissimus păditur aditus. ex his namq; duo hæc præcipua fluunt compendia, & quod humorum multitudo minuitur, & febrilis caloris intensio remittitur. nam quò maior fit fuliginosorum, fumidorumque excrementorum euaporatio per patefactos cutis meatus, eò maior aduentat accenso calori contemperatio,quam etiam exaggerat dulcis aquæ gratissimus tepor ad magnum inducendum refrigerium mira quadam ratione accomodatus. Ad quē excipiendum se totam quasi fundit, & obuiam procedit natura illo qualitatum moderamine immodicè delectata, quod quidem moderamen in illo constitutum tepore ad vtrumque contrarium,calidum nempe,& frigidum ita potest iuxta philosophicam regulam referri, vt alterius contrarij & subeat vicem, & æmuletur operationem, frigida calefaciens,refrigerans calida. nam, quibus modo lotionem cum Galeno consulimus, his frigidi solij consessus est euitandus,non solum cutis constipationem effecturus, obstructionibusque incrementum præbiturus, sed crudos etiam, putrescentesque humores ad eum cruditatis gra-

gradum, vt ad recipiẽdam coctionis elaborationem euadant inepti, deducturus. Hinc frigidæ lotio non tam iuuat refrigerando, quàm obest constipando, cruditatesque adaugendo, à quibus nimirum læsionibus abest aqua tepidiuscula, ad refrigerandum, contemperandumque corporis habitum apprimè facta, vt missa fiant aperiendi, attenuandique humores, & meatus laxandi emolumenta. Nec tamen perpetuum est de vitanda frigida lotione in his febricitantibus præceptum, cum iuueni maxima febre laboranti, qualis est synocha, bona corporis habitudine prædito, vt εὔσαρχος dici possit, in calida, & sicca constitutione cœli versanti, vel ipsam in frigida natationem in Vndecimo Methodi concedat Galenus, ad promendos etiam sudores, & ciendas biliosas deiectiones in hac condicionum syndrome accomodatam. Sed quia diximus ex eodem Galeno in vltima parte Vndecimi Methodi magnam habendam esse in vsurpando pro febricitantibus balneo viscerum, partiumque præcipuarum rationem, ne qua labes insit, ne qua imbecillitas insignis, illud annotare lubet ex eius etiam doctrina, si partes inferioris notæ infirmæ sint, veluti podagricis pedes, & arthriticis vniuersi corporis articuli, non habere locum propositam cautionem, sed maximam potius ægrotanti promitti ex lauacro salutis spem, quatenus infirmæ articulorum partes excrementorum sarcinam, & qualemcumque colluuiem sint recepturæ, ad quam receptionem tum humorum liquatio, tum viarum apertio, duo balnei fructus, multum habeat momenti. nam ad seruandas, tuendasque partes nobiliores despicatui ignobiliores ducuntur, cuius rei clara nobis indit natura documenta, quæ facit vt vel ipsi pueri rerum omnium ignari, si ruant, & quasi præcipites in terram collabanrur, manus ipsas prompti supponant ad caput tuendum, faciemq; seruandam incolumem. Hoc nimirum pacto eadem natura prauos succos à membris prę cipuis ad artus propellit, idemque naturæ ars æmula efficit, ideoque interdum aliqua ope intercedente, qualis ex balneo fuerit, febrilem materiam ad artus trahit. Quod præstandum esse non modo in commentario secundi de natura humana est auctor Galenus, sed in Vndecimo etiam Methodi, vbi discimus partem esse multipliciter imbecillam, partim quia talis est nata, partim quia talis est facta. Natura talem intelligimus eam, quæ ab ipsis primordijs intemperiem effatu dignam sortita videtur, vt si quis cerebro ortus fuerit præhumido, ventriculo præfrigido, factam talem dicimus eam, quæ vel ex morbo præcedente, vel ex quacumque alia causa eandem est nacta intemperiem, vt non originariam pręferat, sed aduentitiam contraxerit imbecillitatem. Nec solum pars imbecilla, quæ ex confirmata intemperie euadit talis, excipiendis superuacaneis est valdè obnoxia, sed quæ etiam quocunque modo est calefacta vehementer vel ratione putredinis, cuius quendam quasi focum contineat, vel ratione obstructionis, quæ fuliginibus exitum præcludat. nam vt dolor, sic etiam calor miram habet vim attrahendi, vt in tertio decimo Methodi docet Galenus, ideoq; partibus æstuantibus balneum non ita videtur tutum. In febribus ergo, cum sublata est superuacaneorum multitudo, cum putrescentium

humorum apparet concoctio, balneum vsurpare tuto possumus, seruatis tribus propositis condicionibus, præcipuè si febrilis appareat declinatio, quia hoc remedium non solum euacuandi, aperiendique facultatem habet, sed etiam contemperandi, vt diximus, & refrigerandi, quo nomine remedij curatorij condicionem subit. Quod quidem in his potissimum febribus vsu venit, quæ longiusculè perdurarunt, & non ad caliditatem solum igneã, sed siccitatem quoque corpus induxerunt, vt & refrigerandi, & humectandi oriatur magna indicatio, & hæc ad humectandum quoque directa sit verè curatoria ob siccitatem iàm morbosam, & benè confirmatam præsentem, non tantum præseruatoria potius ob imminentem, qualis habet in omnibus etiam leuioribus febribus locum. nam omnes habent intemperiem calidiorem & morbosam, & factam, quæ refrigerantia indicat tamquam remedia curatoria, non omnes habent siccitatem iàm morbosam redditam, sed ad morbosum genus tendentem, vt ideo indicet humectantia, quæ præseruatoriam potius vim, quàm curatoriam præferant, siccitatis progressum ad morbosam constitutionem impedientia. Iàm quæ diximus ex Galeno de potu frigidæ, & lotione tepidæ in febribus valdè sunt Hippocraticis decretis conformia, vt facilè nouerit quicunque vel primoribus labris lectionem tertij libri acutorum degustauerit. nam quantum attinet ad potionem, licet ibi Hippocrates instituto de aqua sermone non eam multum videatur laudare multas ex se noxas promentem, hippocondrijs inimicam, & biliosis conuersionibus obnoxiam, subiungit tamen esse interdum perutilem, & in valde magna copia, & valde gelidam adhibendam, quod in commentario etiam notat Galenus aduersus Erasistratum blaterantem, & Hippocrati tamquàm parcissimo aquæ exhibitori maledicè sine causa detrahentem. Ad lotionem verò quod attinet, licet balneorum vsus nondum bene suo tempore inoleuisset, vt ibi Galenus animaduertit, multa tamen ex hoc remedio adducit emergentia commoda, & in alijs ibi enumeratis morbis, & in æstuosis etiam febribus expectanda, dummodo condiciones, quas cumulatè recenset, & quæ in Galenicis continentur, fuerint obseruatæ. At hoc remedium consequentibus temporibus euasit familiarissimum, & frequentissimè vsurpatum, vnde Celsus in secundo libro de illo loquens, ait, Antiqui timidius balneo vtebantur, Asclepiades audacius, de quo Asclepiade Plinius libro vigesimo sexto inter alia plura dixit, quòd balneas auidissima hominum cupidine instituit, quod Plinij dictum sic verum est, quod non primus instituit remedium iàm vetustissimum, sed primus amplificauit, & fecit in febribus vsitatissimum, & cum frigidæ potione, vnde vel cognomentum quæsiuit, velut Herophilus à causarum indagine, cleophantus à vini ratione, curauit coniungendum. In quod propendet admodum, eique calculum omnem defert memorato loco Celsus audacterque adhibendum proponit ad febres & terminatas, & terminandas, quia febrem ipsam tollat, condensatam cutem relaxet, euocet corruptum humorem, mutet corporis habitum. In ephemeris commendat post tempus accessionis, in putridis intermittentibus tempore in-

tes-

termissionis, in continuis tempore remissionis, modo præcordia nec dura sint, nec tumida, nec lingua sit aspera, nec vel in medio corpore, vel in capite dolor sit, nec horroris periculum immineat, & in huius remedii administratione præcipua virium ratio habeatur. In quo magna apparet inter celsum, & Galenum consensio, vt illius regulæ illis plenè respondeant, quas hic tum in libris Methodi, tum in primo ad Glauconem scriptis mandauit. Hanc eandem obseruare consensionem possumus apud Auicennam in prima Fen Quarti canonis, vbi & aquæ frigidæ potionem, & eiusdem, & frigidæ, & calidæ lotionem in putridis febribus, habita prædictarum condicionum ratione, commendatam legimus, imo audacior in hoc est Auicenna Galeno, quia ille frigidæ lotionem præponit, quam infrequentissimè audet adhibere Galenus, qui in commentario tertij acutorum tepidam solam ægris attingendam proponit, & hanc etiam in febribus omnibus cauendam, quæ à pituitosa, & quacumque crassa materia pendeant, ad excretionem per cutaneos meatus inepta, vt biliosis tantum febribus, ac tenuium humorum suam radicem habentibus id remedij genus relinquat. Quod quidem vt apud veteres assiduæ lotioni assuetos adhibebatur sæpissime, sic apud nos ob lauandi desuetudinem rarissimè, & quantum confirmata eorum consuetudo impellebat ad vsū, tantum nostra desuetudo ab eo debet auocare, quia Hippocrates in tertio illo Acutorum præcipuam cõsuetudinis, vel desuetudinis rationem habendam censebat; non fuit tamen hæc omittenda consideratio partim vt veterum doctrina melius innotesceret, partim vt capiendum in quibusdam casibus consilium pateret, quia aliquando, vt supra diximus, incidunt tempora, vt febricitantes aliquos curemus, quorum contumacissimæ febres sint, ad hecticarum suscipiendam naturam aptissimæ, calidis, & siccis immodicè temperamentis comitatæ, à biliosis tenuibusque humoribus, & excitatæ, & fotæ, nullum balnei impedimentum habentes, quibus propellendis ad hoc etiam remedium generosum accedere interdum possumus, præcipuè si hunc etiam impulsum habeamus, vt ægrotos tempore sanitatis lotionis amicos, & in eius administratione diù, multumque versatos sciamus. Quod quidem fuerit periti Medici solerti iudicio decernẽdum, nec omnem balneorum tantopere à veteribus commendatorum operam in curandis etiam putridis respuentis, nec sine magna causa ad remedium tantopere à neotericis omissum accedentis. Neque verò hic dicere prætermiserim, quòd veluti hæc lauacra magnam habent refrigerandi, humectandique vim, quæ alteratio iuxta Galeni monitum in primo ad Glauconem sæpe quacumque euacuatione euadit vtilior, ita ad eandem curatoriam indicationem conducunt non leuiter exterius factæ præcordiorum perfusiones, fomenta, Epithemata, cataplasmata ex refrigerante, humectanteque materia, cuius magna est, & notissima sylua, visceribus adiuncta, in quibus vsurpandis remedijs fuerunt vetustiores Medici, & Galeno etiam contemporanei, accuratissimi, præcipuam in his, & in sanguinis missione curandarum febrium spem reponentes, vt patet in vndecimo Methodi, in quo Galenus in de-

deprauatum istorum institutum in uehitur, calidas perfusiones, relaxantia, & calorifica cataplasmata in morborum principijs, in corporum impuritatibus adhibentium, & sic ad viscera prauorum succorũ vberem copiam futuræ inflammationis opificem trahentium, vt ideo rationabile tradat præceptum de his non administrandis nisi sanguine prius detracto, & corpore magna ex parte expurgato. Quod tamen præceptum calida constat, & relaxantia cataplasmata amplecti, quia hęc ratione caloris impressi attrahunt, ratione imbecillitatis inditæ excipiendis excrementis paratissimas partes faciunt, non ita refrigerantia, & humectantia cum aliqua adstrictione ad tonum membris seruandum coniuncta amplexari, quia in his proposita ratio non viget ob contrariam condicionem, ideoque in his non tanta exigitur præcedens corporis expiatio, & post sanguinis detractionem, & leuem aliquam expurgationem eorum cõceditur administratio, imo quia vim reprimentem habent cum adstrictione coniunctam, vel in principijs idonea ipsorum à Galeno censetur operatio, idque duplici ratione, & quòd robur affectis particulis inserunt, vnde minor fit affluentium excrementorum receptio, & quòd succorum in eis contentorum tenuissimas portiones extrorsum exprimunt, crassioribus per tempestiuam mox relaxationem educendis. Quo fit, vt Galenica redargutio cataplasmatum intempestiuè cũ magno ægri detrimento vsurpatorum ad genus calorificum, & relaxatorium pertineat, non ad refrigeratorium, & corroborans, cuius etiam non leuis est, nec contemnenda in corrigendo febrili calore vtilitas, & diligenter illum Galeni locum in 11. Methodi examinanti clarissimè patebit hæc veritas. Vnde æstu febris vrgente non erit à Methodo alienum æstuãtes partes hydrelæo perfundere congrua aceti portione adiecta, vel vice simplicis olei rosatum, aut violatum, aut nimphatum, aut aliud id genus substituere ad iecur, ad renes refrigerandos, quibus etiam partibus, atque adeo cordi varia Epithemata erunt accomoda, quale foret ex aqua rosacea, violacea, & scabiosæ, endiuiæ, plantaginis, cum pauco aceto, & sandalis dissolutis. Ex vnguento etiam sandalino cum succo cichorei dissoluto hæc eadem refrigeratio, & ex alijs similibus poterit parari, vt non modo p interna adim pleatur curatoria febris indicatio, sed etiam per externa, ad quæ etiã pertinet ambientis ad frigidiorem constitutionem arte procurata immutatio, humidioribus, frigidioribusque cubiculis tum delectis, tum præparatis, quæ præparatio in eo consistit, vt per æstatem subterranea sint, & ad septentriones versa, & pauimenta earum assiduo humore aspersa, inspirantibus auris gaudentia, & floribus, ac germinibus frgidæ, humidæque facultatis referta, vt partim in nono, partim in decimo Methodi docet Galenus, & fuit à nobis in primo quoque libro animaduersum.

De

De Decoctis, & destillatis refrigerantibus ad explendam curatoriam febris indicationem.

CAPVT XIII.

D hanc curatoriam febris indicationem absoluendam non parum etiam conducunt variorum olerum decocta ex pulli præsertim iure confecta, vnde nomenclaturam iusculorum alteratorum sunt nacta, quatenus ex herbarum iniectarum elixatione maiorem quandam qualitatem, alterandiq; facultatem apparent adepta. Dixi maiorem, quia ius pulli suopte nutu calidiores, ficcioresque temperaturas emendat, & ad probam quandam contemperationis frugem succos omnes adigit, sed hanc eius vim adaugent, & locupletiorem efficiunt refrigerantes additæ herbæ, & opportunam elixationem in eodem iure expertæ, quales sunt Endiuia, acetosa, soncus, buglossum, cichorium, plantago, lactuca, & aliæ id genus herbæ vel euidenter refrigerantes, vel suo moderato temperamento feruidiorem succorum æstum compescentes. Quòd si addatur iusculis istis portio congrua syrupi acetosi simplicis, vel de succo acetosæ, vel etiam conseruæ ex acido citri, vel aliorum similium, conduplicatur, & inualescit vis remedij, quia refrigerium maius adiungitur, nec vllus siccitatis consecuturæ metus incutitur, quia vberior facta dilutio omnem exiccationis suspicionem repellit. alternam enim mutuamque sibi operam præstant iusculum, & syrupus, quatenus hic quidem instar vehiculi per omnes partes iusculum deducit, & instar calcaris ad refrigerandum efficacius facit, iusculum autem ficciorem syrupi vim diluit, humidamque reddit. Quod remedium tanto videtur opportunius, quanto maiorem habet ius pulli cum nostro corpore cognationem, & qualemcumque familiaritatem, vt facilè trahatur per venas, & in omnes partes perreptando excurrat, vt euadat medicamentum alimentale, iucunditatisque plenum. Quod affirmare non licet de syrupis seplasiorum cum aquis stillatitijs, quorum iniucundissimus est sapor, omni ferè gustui repugnans, & aspernandus, vt illud silentio inuoluamus, magna alioquin animaduersione dignissimum, quòd huiusce modi syrupi ob nimiam dulcedinẽ facilè corrumpuntur, & in biliosos succos vertuntur, vt sæpe plus noceant corrupti, quàm iuuent refrigerantes. Hinc magis hoc tempore inualuit mos adhibendorum olerum in iure vel per decoctionem, vel per infusionem nec eorundem etiam improbatur destillatio, modo non in vate plumbeo, sed vel in figulino, vel in vitreo sit celebrata, quorum quidem vel iusculorum, vel destillatorum vsus non mediocrem affert refrigerandi opem, & humectandi matutinis præcipuè horis adhibitus. In quo tamen illa fuerit obseruanda cautio, ne aliquod adsit impedimentum, qualis fuerit excrementitia, crudiorque materia in primoribus vijs consistens, quæ prius venit euacuanda, quàm refrigerantes illi liquores propinentur, qui, si adhibeantur intempestiuè, possunt materias miscere, & ab externis ad penitiores partes deducere, & infestas ob structio-

ctio

ctiones vlterius prouehere, aliaque multa incommoda importare. Sed inferius de opportuno huius remedij vsu verba fient vberiora, quò referendæ etiam sunt aquæ variæ refrigerantes, vt hordei, cucurbitæ, cucumeris, melonum, portulacæ lactucæ, succo vel mali punici, vel limonis, vel citrij, vel omphacij, vel aliorum similium comitatæ, quæ in maiori febrium feruore mirum præstant refrigerium exhibitæ. nunc satis fuerit explicasse quomodo hoc præsidiorum genus locum habeat in proposita febris indicatione curatoria. nam habet locum per indicantem febrilis caloris essentiam, vnde refrigerantia, & humectantia insinuantur, hoc autem remediorum genus vim retinet, ac potestatem has ambas inuehendi alterationes, & veluti per allatam indicationem insinuatur, ita per occurrentia impedimenta inhibetur, qualia nempè sunt vel humor excrementitius in abdomine residens, vel plenitudo totius, vel alia quædam infra consideranda opportunius.

De remedijs per similia adhibitis ad curandam febrem.

CAPVT XIIII.



ANtequam huic parti finem imponam, quæ in considerãdis remedijs ad explendam curatoriam febris indicationem accomodatis versatur, libet parumper ad consideranda ea remedia Stylum conuertere, quibus interdum aliquos vti videmus, & fieri etiam quandoque voti compotes, & sunt tamen remedia multum ab surditatis præferentia, tamquam non à morbi contrarietate, vt recta methodus iubet, sed à similitudine potius, vt temeritas suadet, deducta; non enim desunt modo, nec antiquis etiam temporibus defuerunt qui non refrigerantibus præsidijs, sed calefacientibus, & ignem igni addentibus febres curandas suscipiunt, nec febrilem calorem minuere, sed valdè exagerare, ad magnũque incrementum adducere quærunt. Hæc fuit antiqua Prodici illius Methodus, ab Hippocrate in sexto Epidemiorum commemorati, qui febrientes necabat cursibus, luctatione, fomentis, laborem labore curaturus, vt iure reprehendatur ab Hippocrate, vt notat Galenus in commentario, quippe qui non solum rationali methodo, sed empiricæ etiam obseruationi repugnaret, non à contrarijs, sed à similibus curationem auspicatus. Hanc tamen curandi viam in medium adduxit etiam Aristoteles in prima problematum particula, vbi querit cur morbi sæpe curari possint per largum excessum, & nonnullos Medicos affirmat eam artem exercere, vt non nisi per excessum agant vel vini, vel aquæ, vel salsuginis, vel cibi, vel inediæ. In qua quidem quæstione ad propositam curandi methodum alludit, licet Aponensis ita hunc locum explicet, vt de excessu, qui morbo curando fit contrarius, esse sermonem affirmet, sed non debet hæc explicatio admitti, quia progressus per contraria non sæpe adhibetur, nec a nonnullis Medicis, sed semper ferè, & quasi ab omnibus communem methodum seruantibus, vt clarè appareat philosophum loqui de peculiari quorundam Medicorum curatoria ratione,

tione, qui à communi via deflectentes non ex contrarijs, sed ex similibus excessum obtinentibus curationem ineunt. Vnde soluens dubitationem respondet hoc ideo fieri, quia cum morbificæ causæ aduersæ inter se sint, per contrarij excessum duci in medium possunt, vt si quis febricitet ex causa calida, per frigidi excessum sanari debeat, si ex causa frigida per excessum calidi, vt sic vnus, idemque morbus, qualis est febris, possit per contrarium excessum, modo refrigerando, modo calefaciendo factum, curationem subire. Quod vel ab ipso Hippocrate approbatum interdum legimus. nã licet Prodicum acriter carpat, & febrientium interfectorem nuncupet, non tamen progressum per similia semper abhorrendum statuit, carpit Prodicum quia semper à similibus petebat opem, & multorum similium inducebat cõgeriem, quod nec vlla ratio permittit, & omnis experientia respuit. At licere interdum pro curandis febribus ad similia confugere idem Hippocrates ostendit longa oratione in libro de locis in homine, vbi ostensurus artis Medicæ difficultatem, eam ex eo præcipuè colligit, quod non habet certa, rataque decreta, quibus sit perpetuo standum, veluti habet exempli gratia Ars Pictoria, cuius sunt certa documenta omni pariter tempore obseruanda, At Medicina diuersis temporibus diuersa vsurpat remedia, & ea interdum inter se contraria, ac planè repugnantia, vt febrem modo curet refrigerantibus, modo calefacientibus, modo euacuantibus, modo replentibus pro varietate corporum, & occasionum; vt nullus relinquatur dubitandi locus, quin Hippocrates talem dederit contrarijs curandi locum, vt aliquem etiam similibus reliquerit, contrariam curationis rationem aliquando à Medico adhibendam confessus. Quod forsan ex hoc etiam Hippocratico loco sexti Epidemiorum colligere possumus, Humorem alium non prodeuntem educere conuenit, prodeuntem simul effundere, operari simile, vt dolor dolorem sedat, dissimilia sublimè lata deorsum soluere, ex quibus verbis multi collegerunt concedi curationem & per contraria, & per similia, quod in examen reuocat etiam Galenus in commentario, & forsan ad hunc etiam sensum trahi possunt illa celebria sexti Epidemiorum verba, contraria sensim adhibere oportet, atque interquiescere quasi Hippocrates non solum de contrarijs morbo repugnantibus loquatur, sed etiam de remedijs sibi inuicem contrariantibus, quorum prima non ita sensim sunt adhibenda, vt secunda, quia prima claram habent indicationem, & rectæ methodo innituntur, secunda illam habent obscuram, & ab hac videntur deuiare, vt ideo timidiusculè sint aggredienda, & paullatine vsurpanda, sic vt non sit continua eorum administratio, sed interpollata, & per intercedentem quietem distincta, vt euentus obseruatio pleniorem nobis tradat notitiam, num benè huic remediorum generi manus dederimus, & num eorundem repetitionem capescere debeamus. Quam quidem rem apertè explanauit Paulus Ægineta hęc in tertio libro in casu Arthritidis dicens. In vniuersum, vbi abdita morbi causa est, varijs quoq; remedijs pugnandum est, nunc quidem consimilibus, nunc verò planè contrarijs, neq; ijsdem tamen diutius insistendum, si nullo sunt præsidio. Quibus verbis si quis dicat

proponi à Paulo contrariorum vsum in causæ morbificæ ignoratione, in cuius notitia non ita illum concederet, is considerare debet absolute hanc contrariorum in curandis morbis adhibendorum rationem loco illo de locis in homine ita euidenter fuisse propositam, vt nulla supersit dubitandi occasio. Quam omnem etiam adimit accedēs Celsi testimonium, perpetui Hippocraticæ doctrinæ sectatoris, qui libro tertio febres lentas ita curandas suscipit, vt morbi mutationem consulat, & in ipsa accessione vinum exhibeat, vt febris intendatur, & maior ortus calor simul & priora mala tollat, & spem remissionis in ea curatione ostendat. Neq; hercules (ait Celsus) ista curatio noua est, qua nunc quidam traditos sibi ægros (qui sub cautionibus Medicis trahebantur) interdum contrarijs remedijs sanant. Si quidem apud antiquos quoque ante Herophilum, & Erasistratum, maximeque post Hippocratem fuit Petron quidam, qui febricitantem hominem vbi acceperat, multis vestimentis operiebat, vt simul calorem ingentem, sitimque excitaret. His alia subiungit Celsus progressum illius Petronis declarantia per similia factum, & hanc medelam non minus gratam fuisse affirmat, quàm rationali Methodo incedentem, illam tamen temerariam vocat, quia plures à principijs exceptos interemerit, & verum esse nihilominus fatetur, vt quos ratio non restituit, temeritas adiuuet, & circumspecti quoque hominis statuit, & nouare interdum, & augere morbum, & febres accendere, quia curationem vbi id quod est non recipit, potest recipere id quod futurum est. Hic Petron à Celso commemoratus erat Prodici illius ab Hippocrate inducti verus imitator, & æmulus, quatenus vterque non per contraria refrigerantia, sed per similia calefacientia febrem accipiebat sanandam, in eo tamen alter ab altero differebat, quod Prodicus inediam imperabat, & famem, Petron plenè nutriebat, vinum exhibens, & carnem suillam. Ex quo colligimus antiquissimam fuisse hanc medendi rationem, quæ tantum continere videtur absurditatis, vt minus admirati debeamus super esse nostris etiam temporibus antiquissimæ consuetudinis magna vestigia, à quorundam Medicorum incessu impressa, & in exteris præcipuè regionibus conspicua. De qua consuetudine duo breuiter hic inquirenda veniunt, quorum alterum est, num ad Methodum redigi possit, alterum verò num à cordato Medico in vsum reuocari debeat. nam quantum ad primum, nil videtur excogitari posse absurdius, quā per calorifica caloris extinctionem moliri, cum similia similibus foueantur, contraria contrarijs aboleantur, imo concuti hinc videtur, & funditus illud euerti principium illud communissimum, omnium Medicorum firmatum consensu, in primo libro accuratè discussum, contraria esse contrariorum remedia, quod omni tempore verissimum esse multipliciter confirmat in Vndecimo Methodi Galenus, & locum habere nō solum in morbis, sed etiam in symptomatis, quamuis horum neç propriè curatio sit, nec propriè contrarietas, sed curatio quidem simul cum affectibus ex accidenti, contrarietas verò abusiuè. At si hæc vera sunt, quomodo fieri curatio per similia potest, quæ tamen fieri interdum solet, vt præmissa veterum testimonia affirmant, & quædam ægrorum experimenta confirmant? Sed dubitationem soluamus


uamus dicentes, remedia, quæ videntur similia, fieri demum contraria, esse à primordio similia, euadere in fine contraria, esse secundum formam similia, secũdum operationem contraria, esse per se calefactoria, per accidens refrigeratoria, & hoc nomine febris sanatiua. nam fomenta calidiora, operimenta, vina sunt quidem calefactoria, & ex se promunt essentialem calefactionem, sed quia simul caliditatem igneam discutiunt, & per euaporationem inductam dissoluunt, refrigerare demum dicuntur, & in principio, & per se calefaciunt, in fine, & per accidens refrigerant, calefaciunt immediatè, & hoc modo febrem augent, refrigerant intermedia apertione, & euaporatione materierum calidarum, & hoc modo febrem dissoluunt. nam refrigerantia quoque frigidorum morborum euadunt remedia, quatenus nempè per antiperistasim innatum calorem cogunt, & validiorem efficiunt ad frigidos superandos affectus, vt clarum extat exemplum de superiectione frigidæ multæ in distentione citra vlcerationem iuueni bene carnoso, æstate media ad reuocandum calorem facta, qui calor morbosum affectum soluit, vt ait Hippocrates in celebri aphorismo. Frigidus est affectus tetanus, & sanatur interdum à frigidæ adiectione vberi, si vsu venit vt calorem cogat, & intra reuocet cum magno sui incremento, alioquin non foret præsidium, sed excidium, iuuat ergo non vt frigidã, quia vt talis obest, sed vt congregans calorem, & exaggerans, non iuuat per operationem essentialem, quæ est refrigeratio, iuuat per accidentalem, quæ est caloris conduplicatio. Pari pacto calida possunt tollere calidum morbum, non quatenus calida, sed quatenus refrigerationis per discussionem, & euaporationem inductiua, vt per propriam operationem obsint, per accidentalem prosint, tantum hæc accidentali modo refrigerantia, quantum frigida apparent eodem modo calefacientia. Et sic fieri potest vt frigida sanent affectus frigidos, calida calidos, & hæc tamen sanatio non fit iure similitudinis apparentis, sed contrarietatis delitescentis, quia frigida vt calefacientia, calida vt refrigerantia sanant, & sic manet inconcussum Medicum principium perpetua veritate comitatum, contraria contrariorum esse remedia. Hæc igitur fuerit dubitationis solutio, eo libentius amplexanda, quo est euidentius à Galeno in medium allata, qui exponens in secundo commentario sexti Epidemiorum superius adductam Hippocratis sententiam de humoribus educendis, & de operatione per similia, hanc eandem dubitatione & proponit, & dissoluit hęc pręter alia scribens. Vt auxilium aquæ, quod frigidum videtur, tetanũ frigidum affectum calefaciẽdo interdum iuuat, sic calefacientia alia per accidens refrigerant, caliditatem igneam discutientia, & euaporantia. In quo sensu cum multa dixerit Galenus tandem concludens pollicetur librum rectæ in curando Methodi confirmatiuum hoc nomine inscribendum, Quòd bene ab Hippocrate dictum sit, contraria contrariorum esse remedia. Verum cum apparuerit viam, quæ per similia videtur progredi, ad methodum facilè redigi, restat vt breuiter consideremus num aliquando ineunda, an semper dimittenda. Quo in proposito memoria repetere debemus illud Hippocratis præ-

clarissimum monitum in Epidemiorum tertio, vt ad hoc exerceamur, vt in morbis si non iuuemus, saltem ne quid noceamus, quia turpissimum fuerit inde augeri morbum, vnde debet tolli, & qui auctor esse debet salutis, auctorem fieri perditionis. Et licet huius viæ remedia sint aliquo pacto rationalia, vt ostendimus, hæc tamen ratio est temeraria vel ipso fatente celso, & temeritas est inimica consilio, & malæ fortunæ obnoxia, & cum ars hæc paratissimos semper habeat obtrectatores, non debet bonus artifex obtrectiones è longinquo accersere, sed imitari bonos Duces, qui si possunt, cunctando restituunt rem, nec illa in prugnis facta aggrediuntur, quæ tanti discriminis plena videntur, vt iuxta dictum Lyrici vel mors cita, vel victoria læta, Cautus sit dux, cautus sit Medicus, qui cum experimentum sciat periculosum, si in alterutro peccandum sit, malit videri nimis timidus, vt ait ille, quàm parum prudens, quippe ex tribus condicionibus ab Asclepiade in medela requisitis, vt tuta sit, vt cita, vt iucunda, prima primas obtinet, & duabus reliquis existit potior. Sed quæ securitas fuerit in ipso febris insultu mulsi, & vini plures cyathos, & carnem suillam exhibere? febrem itendere vt remittas, calorem augere vt minuas, accendere vt extinguas? At extinguetur forsan non febrilis, sed ipse calor innatus ex nimio incendio marcorem perpessus. Nec fidendum consecuturæ potioni frigidæ, quia interdum plus possunt augentia morbum, quam minuentia, illorum exeruntur statim vires, horum occultantur, & raro adsunt necessariæ ad propinandam frigidã condiciones. Hæc medendi ratio plures interficit, sanat pauciores, ergo rarum habet quæsitum effectum, sub vera via rationali plures euadunt, quàm pereant, ergo optatum euentum habet frequentiorem, & quia rarum est proprium fortunæ, frequens artis, vt docet Phylosophus in secundo Physicorũ, ideo opus primæ fuerit fortuitum, secundæ artifitiale, at Medicus non fortunæ, sed artis debet esse sectator, vt nos monet Hippocrates in libro de Arte omnem à fortuna dependentiam redarguens, quod facit etiam in libro de locis in Homine hæc memorabilia verba conscribens. Firma est ars tota Medica, eiusque præceptiones, ex quibus constat, pulcherrimæ fortuna minime indigere videntur. sui enim iuris est Fortuna, nullius imperio paret, neque ad cuiusquam votum sequitur. Scientia verò imperio patet, neque felicis successu caret, si quis ea instructus vti volet. His, alijsque consequentibus dictis nos reuocat Hippocrates à temeritate fortunæ, cuius tamen fauorem bono artifici, eiusque operibus profitetur non deesse. Concludamus ergo vel numquam, vel raro propositam medelæ viam ineundam, in magna videlicet perturbatione, ac desperatione rerum, in validissimisque corporibus, cum iuxta Paræmiam res redijt ad triarios, & oportet, vel ipso monente Galeno in decimo Methodi iuxta Thucididis dictum aliquid agentes vel periclitari. Quod si hanc ab Hippocrate, & à Celso, alijsque propositam legimus, non tamquam eam, quæ expediat, sed tamquam eam, quæ locum aliquando habeat, propositam dicimus, & Celsum præcipue eius non tàm laudatorem, quàm moderatorem asserimus.

De

De Indicatione Præseruatoria Febrium Putridarum.

CAPVT XV.


ABsolutis duabus putridarum indicationibus, vitali nempe, & curatoria, quarum non indiligens fortasse habuimus hactenus examen, aggredienda postremo venit indicatio præseruatoria ad propositi muneris complementum. Illud ergo primo dicamus, quòd veluti indicatio vitalis respicit vires, curatoria morbum, ita præseruatoria causam morbi. nam vt vitalis tueri vult vitam, quæ consistit in conseruatione virium, curatoria vult morbum depellere, qui actiones lædit, ita præseruatoria vult morbi generationem impedire, quæ pendet à causa. In febribus ergo putridis munus indicationis præseruatoriæ tendit ad inhibendam causam, vnde febris suum habet ortum. diximus enim supra cum Galeno in vndecimo Methodi in febribus considerari partim portionem genitam, partim generandam, ratione portionis genitæ locum habet indicatio curatoria, ratione verò generandæ præseruatoria. Generatio febris pendet à putredine, à qua manant putridi vapores febrilem intemperiem inuehentes, putredo pendet à transpiratione prohibita, quæ inhibet difflationem caloris, eumque efficit igneum, & ad humores dispositos putrefaciendos accomodatum, prohibita transpiratio pendet vel à condensatione, vel à constrictione corporum, vel ab obstructione, nam quæ vel densata sunt, vel constricta, vel obstructionibus impedita liberum non habent, nec expeditum effluuium consuetum, & veluti condensatio, & Constrictio soboles sunt rerum refrigerantium, & adstringentium, ita obstructio fructus est humorum vel multitudine, vel crassitie, vel lentore peccantium, vt humores multi, crassi, lenti obstructionem efficiant, obstructio transpirationis retentionem, transpirationis retentio putredinem, putredo demum febrẽ, vt septem sint præter naturam posita seriatim iuxta Galeni animaduersionem in illo Vndecimo Methodi, à quibus indicationes sumuntur in febribus continuis, humorum multitudo, crassitudo, lentor, obstructio, transpirationis retentio, putredo, & febris ipsa carens intermissione, quæ omnia contrariorum habent insinuationem. nam multitudo humorum indicat euacuationem, crassitudo attenuationem, lentitudo detersionem, obstructio reclusionem, transpirationis retentio excretionem, putredo & excretionem, & ventilationem, & refrigerationem, & semiputridorum concoctionem, febris demum refrigerationem. Hoc eodem pacto densatio, vnde aliquando emergit transpirationis impedimentum, rarefactionem, ipsa verò constrictio fusionem tamquã contraria adhibenda suadent. Sed hic forsan dubitauerit aliquis cur Galenus in Vndecimo Methodi recensens septem illa præternaturalia, vnde in febribus continentibus putridis eliciendæ sint indicationes, vt diximus, nullam fecerit condensationis, & constrictionis mentionem tamquam causarum, quæ possunt transpirationis retentionem efficere, vt in eodem libro paullo ante docuerat asserens, & putredi-

nem

nem fieri à transſpiratione prohibita, & transſpirationem prohiberi partim condenſatis, partim conſtrictis, partim obſtructis meatibus, vt vnam fecerit putredinis immediatam cauſam, transſpirationis nempe retentionem, huius autem retentionis triplicem cauſam adduxerit, condenſationem, conſtrictionem, obſtructionem. Cur ergo in recenſendis rebus præter naturam, quæ veniunt remouendæ, non meminit etiam condenſationis, & conſtrictionis, veluti meminit obſtructionis ab humoribus multis, craſſis lentis progenitæ? Huius rei illa reddenda fuerit cauſa, quòd vbi enumerat ſeptem illa præter naturã, verba facit de febribus putridis continentibus, quæ gignuntur à putredine, quæ pendet quidem à transſpirationis retentione, ſed non à qua libet, ſed ab ea, cuius cauſa & obſtructio, multos, craſſos, & lentos humores conſectata, non cuius cauſa eſt vel condenſatio, vel conſtrictio, quia meatibus ſolum vel condenſatis, vel conniuẽtibus, vel numquam ferè, vel in frequentiſſimè fit putrida febris, cuius obſtructio dicitur comes inſeparabilis, ſed fit febris vel Ephemera, vel ſynocha non putrida, vt idem docet Galenus in nono Methodi. Qui in Vndecimo ante illam ſeptem rerum præternaturalium enumerationem conſiderans transſpirationis retentionem non eam ſolam conſiderauit, quæ locum habet in febri putrida, & pendet à cauſa obſtruente, ſed qualemcumque retentionem illius naturalis effluxus à qualicumque cauſa profectam, ſiue ſit condenſatio, ſiue conſtrictio, ſiue obſtructio, ideoque ibi cuilibet cauſæ ſuum opponebat contrarium, vt condenſata rarefierent, conſtricta funderentur, obſtructis ex copia aptarentur euacuantia, ex craſſitie attenuantia, ex lentore humorem detergentia. Non ergo proponebantur cauſę prohibitæ transſpirationis, quæ faceret putridam febrem, ſed abſolutè cuiuſcunque transſpirationis impeditæ, qualemcumque febrem ſiue intercedente, ſiue deficiente putredine efficientis, nam cum putredo ſupponat, & arguat impeditam transſpirationem in febribus, vt ſui cauſam immediatam, huius transſpirationis impeditę omnes fuerunt cauſæ & inueſtigandæ, & recenſendæ, vt ea cauſa innoteſceret, quæ in excitanda putredine locum propriè haberet. Iàm ex illis ſeptem enumeratis rebus præternaturalibus, multitudine ſcilicet, craſſitie, lentore, obſtructione, transſpirationis retentione, putredine, & febre, quæ indicationes eliciuntur partim curatoriæ ſunt, partim præſeruatorię, quia res illæ omnes ſunt præternaturales ideoque remouendæ, & ſunt vel affectus, & exigunt curationem, vel cauſæ, & pertinent ad præſeruationem. nam euacuatio, attenuatio deterſio ſequitur præſeruatoriam indicationem, in obſtructione quatenus eſt iàm facta, & habet rationem morbi præſentis ſubeſt indicatio curatoria, quæ reſidet in recluſione, quatenus eſt in generatione, & habet rationem morbi imminentis ſubeſt indicatio præſeruatoria ad inhibendum humorum obſtruentium confluxum relata, ita etiam transſpirationis retentio facta curationem inſinuat per excretionis operam, futura, & imminens præſeruationem per remedia obſtructioni medentia. Putredo ratione portionis in generatione exiſtentis pręſeruatoriè indicat refrigerationem, & ventilationem. In febri demum pro

parte

parte facta consideratur indicatio curatoria refrigerandi, & humectandi, pro parte generanda attenditur indicatio præseruatoria putredinem inhibendi. Ac febris quidem indicatio prima est quæ consideranti se offert, non prima tamen quæ operanti subest, nisi primatum ei etiam concedamus, quatenus à febri incipit inueniendorum præsidiorum methodus. At quæ vltima apparent inuenienti, prima adsunt exequenti. nam cum ad tollendam febrem opus sit putredinem tollere, ad hanc remouendam remouere transpirationis retentionem, ad hāc depellendam depellere obstructionem, ad hanc sanandam impedire humorum confluxum, quod fit euacuatione potissimum, euacuatio quidem vltima inuenitur, sed prima perficitur, quia à prohibendo humorum confluxu debemus incipere, ideoque primo euacuantia præsidia vsurpare qui enim tollendis obstructionibus operam nauat non euacuato prius corpore vniuerso, & deobstruentia auxilia adhibet non sublata prius multitudine, non modo nil proficit, nec voti fit compos, sed quas tollere obstructiones parat, conduplicat magis, & vlterius promouet maiori excitato succorum abundantium ad partes obstructas confluxu, vt abundè Galenus declarat in Vndecimo Methodi, illud inter cætera ostendens, ad remouendam in febribus putridis humorum multitudinem incipiendum à sanguinis missione esse, quòd hæc ad faciendam omnium æqualiter humorum euacuationem miras habeat vires.

De sanguinis Missione vt remedio febris putridæ præseruatorio.

CAPVT XVI.

PHlebotomiam superius considerauimus vt remedium curatorium febrē ipsam respiciens, & refrigerandi vim habens non contemnendam accidentaria saltem ratione, vt declarauimus; nunc eadem consideranda venit vt remedium præseruatorium ad causam febris directum. nam cum ad tollendam hanc causam opus sit tollere multitudinem, & humorum ad partes obstructas tendentium prohibere confluxum, ad hunc finem valdè conducit sectio venæ, quippe quæ non vnicum tantum humorē, sed omnes æqualiter in venis existentes iuxta dictum Galeni in secundo aphorismorum euacuet. Indicatur ergo hæc euacuatio à causa morbum magnum excitante, & fouente, quæ est sanguinis inutilis multitudo. nam vtilem sanguinem euacuare quì decet? Conseruandus hic potius est, suisque in receptaculis retinendus tamquā vitæ fomes, verusque Thesaurus. Amouentur, & euacuantur quæ sunt præter naturam, & quæ naturæ molesta sunt, & inutilia. Sanguinis igitur qua inutilis euacuandus. Verum duplici nomine potest esse inutilis, vel ratione qualitatis, vel ratione quantitatis, primo quidem nomine, cum propriam qualitatem exactè non retinet, nec benè nutriendis partibus, vt solebat, accomodus est, secundo autem nomine cum ad tantā affluentiam peruenit, vt aut vires premendo labefactet, aut vasa replendo vel distendat, vel infringat,

gat, vel obstruat. Vtroque nimirum nomine inutilis est, & onerosus naturæ, quæ non alimentum accipit inde, vt expectat, sed vel putredinem sustinet, vel bonam partium conformationem deperdit. Ad hanc igitur summouendam iacturam, ad hoc eximendum onus apprimè phlebotomia conducit; & quantum sanguis ille est inutilis naturæ efflagitanti, tantum hæc est vtilis laboranti, quia partim corrigit prauitatem, partim minuit multitudiuem. Corrigit vbi sanguis qualitate peccat, quatenus innatum calorem euentat, & ad meliorem quandam simmetriam redigit, vt sanguinem melius regere, & meliorem gignere possit, minuit vbi sanguis peccat quanittate, & exuberantiam præfert, quatenus molestam plenitudinem euacuat. Ac veluti in hoc casu remedij euacuatorij munus explet, ita in altero reuulsorium præcipuè, ac deriuatorium præsidium se præstat, quia vehementiorem humorum impetum partim in diuersā partem reuellit, partim per propinquam deriuat. nam cum non adest sanguinis plethora, non indigemus vniuersali euacuatione, nec de vasis inaniendi suscipere cogitationē debemus, illud potius onus incumbit, vt prauum existentem sanguinem ab incæpto confluxu reuocemus, & eum, qui iam confluxit, per partes propinquiores educamus. Quòd si quis velit fructum agnoscere commemoratæ reuulsionis, ac deriuationis in putridis febribus, illud consideret, in partibus illis, vbi adest focus putredinis, subesse præternaturalem quendam calorem putredinis opificem, qui ad se pelliciat, auideque trahat peccantem sanguinem suopte, etiā nutu confluere paratum, suaque præsentia magnum putredini incrementum præbentem, & quia effectricem caufam adauget, & quia materialem cumulatiorem suppeditat. Prodest ergo reuellere in partes diuersas, ne confluat ad affectam, prodest deriuare per propinquas, ne permaneat in affectā. Vim autem caloris in parte residentis, quæ focum includit putredinis, explanat Galenus, & in Vndecimo Methodi, & in secundo de differentijs febrium. Erit ergo phlebotomia in febribus propositis modo euacuatorium, modò reuulsorium, modò deriuatorium, præsidium, nec locum solum habebit vrgente plenitudine, vnde inanitio insinuatur, sed sanguine etiam ita alteraro, vt prauæ qualitatis vitium subierit, vnde correctio, & ad meliorem quandam frugem reuocatio indicitur. Hæc est clarissima, obseruationeque dignissima Galeni doctrina in Nono Methodi, vt concludere possimus non soium in copia sanguinis, sed etiam in quadam corruptela adhibendam esse febricitantibus phlebotomiam, quia quod corruptum est, euacnandum venit, quatenus omne corruptum est naturæ infestum, & inimicum, & omne tale non retinendum, sed excernendum; fit autem euacuatio vitiosi sanguinis vel purgatione, vel vena incisa, quorum præsidiorum delectum facit prudens Medicus, alterum alteri præferendo, quippe qui in cacochymia insigni purgationem amplexabitur magis, in leuiori missionem sanguinis vsurpabit, quæ portionem vitiosi sanguinis euacuet, eiusdemque regenerationem meliorem præstet, innatum calorem contemperando, & inditam succis labem eximendo, quod in-

intelligendum præcipuè venit de cacochymia biliosa, & atrabilari non excedentibus, vbi calor efferuescit, non de pituitosa, vbi idem languescit, vnde crudiorum succorum viget prouentus à phlebotomia potius dehortantium. Quinimo vel in primoribus vijs existente cruditate differendam censet Galenus venæ sectionem quousque elaborata concoctio fuerit, quo etiam factum est, vt in illo nono Methodi libro narret in iuuene quem synocha febris corripuerat, & omnia ferè comitabantur insignis plenitudinis signa, distulisse se tamen venæ sectionem ob apparentem in eo coctionis tarditatem, vt interposita mora, & delitescentem adhuc febris naturam aperiret magis, & cunctantem alimoniæ coctionem perficeret satis. Sed quid in cruditate obseruandum sit ex Galeni mẽte plenius supra fuit explicatum. Et quia interdum, imo sæpenumero cum proposita sanguinis corruptela iunguntur vires non benè validæ, & veluti illa euacuationem insinuat, ita istæ custodiam sui requirunt, & quæ euacuatoria sunt præsidia non sunt custodiendis, sub leuandisque viribus opportuna, insurgit tunc indicationum euidens pugna, cum aliud affectus indicet, aliud virtus requirat. Quo in casu nobile dat Galenus documentum, vt in vtramque partem oculos dirigamus, & paulatim quod vitiosum est euacuemus, paulatim inuicem, quod salubre est, pro eo reponamus, partim euacuantes, partim roborantes, quam vitiosi succi curationem vocari communiter à Medicis Epicrasin est auctor, & habet locum non solum in purgatione pharmacis molienda, sed etiam in phlebotomia administranda, quæ in hunc finem directa non semel adhibetur, nec euacuatione conferta absoluitur, quam vires non sunt ferendo, sed in plures vices distribuitur, & quod vnica sectione venæ erat præstandum, id pluribus repetitis leuiusculis perficitur. Quæ ratio euacuandi seruatur præcipuè quando est in sanguine vitium qualitatis, cuius gratia non euacuanda plenitudo, sed prauitas venit emendanda, vt ideo non magna sit opus phlebotomia, viribus non benè cõstantibus, eamque sustinere nequeuntibus. Quod non modo in nono Methodi cumulatè docet Galenus, sed in quinto etiam prius docuerat, vt supra considerauimus ipsius, adductis in medium verbis. Quæ fiunt de his, qui vlceri pulmonis ex vitioso confluente succo sunt obnoxij ad quos præseruandos cum triplex præsidium proponeret, purgationem, medicamenti, quod diaspermaton dicitur, exhibitionem, capitis prouisionem, docebat etiam modum in sanguine illis detrahendo seruandum, ab Epicrasi videlicet deductum. At cum succorum vrget affluentia, claraque apparent plethoræ argumenta, audacter licet sanguinem detrahere, & copiosam excretionem moliri, quia tunc ferè semper virtus validior subest, & si aliquando apparet infirmior, id potius contingit ratione oppressionis, quam resolutionis, vt ideo hæc imbecillitas euacuando subleuetur, quasi onere, vnde prius premebatur, liberata. Hinc fit, vt in magna sanguinis plenitudine venæ sectionem celebrandam vel vsque ad animi aliqualem defectum, quẽ Græci vocant λυποθυμίαν, suadeat in nono Methodi Galenus, vt supra considerauimus, magna tamen cautione adhibita, ne tanta fiat dissolutio,

lutio, vt vires collapsæ non amplius valeant consurgere, quasi animi illum defectum exclusiuè, vt aiunt, intelligat, non inclusiuè, quem mittendi sanguinis modum vsurpandũ consulit in febribus synochis, seu continentibus, his præcipuè, quæ citra humorum putredinem accenduntur. nam licet duobus iuuenibus, quos febri synocha correptos legimus in nono Methodi, aperta vtrique vena fuerit vsque ad animi deliquium, cum alterius febris continens esset sine putredine, alterius etiam cum putredine, tamen in hoc vltimo tum primum incipiebat putredo, nec multum inualuerat, vt remaneret adhuc satis integra sanguinis exuberantis constitutio, & firma vigeret virium dispositio. Quod non contingit in perseuerante, diuturnioremque moram trahente putredine, quia tunc obrepit sanguinis effatu digna corruptela, sanguineusque succus partim in biliosum, partim in melancolicum facessit, & abit, nec seruatur amplius pristina continentis febris Idea, sed fit continua vel biliosa, vel melancolica, nec in continuis id genus febribus tuta est hæc sanguinis mittendi largior manus, quã in omnibus etiam suspectam supra ostendimus, sed in modo propositis est non leuibus discriminibus obnoxia, vt clarè docet Galenus in decimo capite illius noni. Qui etiam in quartodecimo capite Vndicimi affirmat in sola succorum redundantia, si nulla nec obstructio subsit, nec putredo, protinus à missione sanguinis consecuturam incolumitatem, quæ missio tanta sit, quantam supra naturalem statum excreuerat redundantia. At in putrida febri, in qua nec obstructio, nec putredo sanari phlebotomia possunt, reponi aliquid sanguinis ad spatiũ curationis debere statuit, quominus intempestiuè ad sustinendas vires nutrire cogamur, vt non ea copia sanguinis educatur, quæ plenitudini conueniat, sed pars aliqua, quæ fuerat alioquin euacuanda relinquatur ad membrorum alimoniam in diuturno curandæ febris spatio, vt leuibus vtentes cibarijs, medicamentosis potius, quam nutritorijs curandæ commodius febri nauare operam valeamus. Ex quo nimirum colligitur in putrida febri, vbi adest etiam sanguinis copia, si putredo inualuerit, non commendari pleniorem phlebotomiam pro multitudinis ratione, quia in synochis putredinis expertibus potest hæc sola salutem afferre, quippe quæ redundantiam succorum omnem, quæ sola facessit negotiũ, possit adimere, sed in putridis non ita præstare hoc potest, quia nec putredinem, nec obstructionem tollit per se venæ sectio, & hæc tolli debent, suaque habent propria, & accomodata præsidia, quæ & superius innuimus, & inferius explicabimus. Potest quidem illa futuram, & generandam obstructionem à sanguinis multitudine pendentem impedire, & cohibere, sublato per euacuationem humorum confluxu, sed factam iam, & generatam non potest eximere alijs præsidijs deobstruendi vim habentibus eximendam, vt supra etiam diximus, quibus adhibendis quia tempus non exiguum requiritur, cauendum diligenter venit, ne ob largiorem sanguinis eductionem vires languescant, & largiorem alimoniam exigant, vnde febri incrementum accedat, vt satius sit non omnem insinuatam sanguinis copiam exhaurire, sed portionem reponere nu-

triendis

triendis partibus accomodam, quo nobis detur commodior sine febris incremento à plenioribus cibis profecto auferendæ tum putredinis, tùm obstructionis facultas.

Dubitationis ex dictis emergentis examinatio, & solutio.

CAPVT XVII.



Vbitationem, quàm superius quasi per transennam attigimus, libet hic rursus ad incudem reuocare, vt acuratioris indaginis ictibus agitata pleniorem veritatis depromat lucem. Dubitauimus supra quomodo venæ sectio adhibeatur ad sanandam febrem putridam, si hoc remedium Galeni testimonio non sanat putredinem, nec obstructionem, soluimus tunc etiam allatum dubium, quod nunc accuratius soluendum, pleniusque suscipimus dicentes, quòd venæ sectio præter fructum ventilationis, & refrigerationis putredini illatum, de quo superius locuti sumus, explet præclarum munus remedij præseruatorij, quatenus minuit succorum abundantiam, eorum confluxum compescit, obstructionis pabulum, transpirationis prohibitæ aufert occasionem. Nec proprijs præsidijs curari obstructio potest, vt sæpe in Vndecimo Methodi testatur Galenus, nisi prius vniuersi corporis facta fuerit euacuatio, sine qua ad partem obstructam fit maior attractio, maior succorum ad augendam obstructionem accomodatorum cófluxio. Et quantum vniuersali euacuationi conducit venæ sectio, tantum ad sanandam obstructionem, atque adeo putredinem confert, quippe quæ reclusioni, putredinisque correctioni expeditam viam aperiat. Nec iuuat solum materiam confluxuram demendo, sed eandem etiam in diuersas partes reuellendo, & eam, quæ iàm confluxit, per propinquas partes deriuando. Quibus quidem modis fit, vt & pabulum obstructioni, & consequenti putredini dematur, & putredinali calori, ignis in foco residentis vicem subeunti, non leue refrigerium importetur. Hinc manauit celebre illud Galeni documentum, cuius supra fecimus animaduersionem, phlebotomiæ vt remedij curatorij rationem habentes, saluberrimum esse in febribus venam incidere non continentibus modo, verum etiam alijs omnibus à putrida materia accensis, vbi nec ætas, nec vires prohibeant. Cuius quidem rei præclaram affert rationem in hoc positam, quòd leuata corporis administratrix natura, & quodam quasi onere, vnde prius premebatur, liberata facilè quod reliquum est vincit, quia proprij non oblita muneris, & coquit quod coqui est habile, & quod potest excerni, excernit. Ita fit, vt sanguinis missio non solum vtilissima sit febribus continentibus, quà multitudinem demit, hancque demendo omnem febrilem calorem sopit, sed vtilissima etiam quibuscumq; febribus putridis, quà vim tum cócoctricé tũ expultricem ad sua munia obeunda erigit. Quo quidẽ nomine, & putredinem respicit, & obstructionem, putredinem quidem, & concoquendo, & euacuando, obstru-

ctionem verò euacuando, confluentemque materiam excernendo, vt saltem ratione accidentaria venæ sectio, & putredini, & obstructioni conducat, quippe quæ naturam ad succos semiputridos concoquendos, putridos, vel putredini obnoxios excernendos moueat. Valet in febribus continentibus putredinis expertibus tamquam remediū euacuatiuum, quod præcipuè respicit peccatum sanguinis in quantō, valet in quibuscūq; febribus putridis tamquam remediū nō modo euacuatiuum, sed etiam reuulsorium, & euentatoriū, quod respicit vitiū sanguinis non solū in quanto, sed etiam in quali. Ac veluti febri ob magnam calidiorem intemperiem conuenit vt remedium curatorium, ita causæ febris, quam fouet sanguis inutilis, congruit vt remedium præseruatorium. Vltimum erat hoc remedium in inuentione, sed primum fuerit in executione, quia progrediebamur a febri ad putredinem, a putredine ad prohibitam transpirationem, a prohibita transpiratione ad obstructionem, ab obstructione ad succorum lentorem, crassitiem, multitudinem, quæ multitudo venit euacuanda, eiusq; confluxus ad partes obstructas inhibendus. Quam quidem euacuationem, & confluentis materiæ inhibitionem mirum in modum præstat sanguinis detractio, a qua sumendum exordium in curandis febribus putridis, in quibus non licet a primordio purgante pharmaco multitudinem minuere, vt ostendemus inferius, & inchoantibus morbis mouenda sunt quæ mouenda veniunt iuxta Hippocraticum in Aphorismis consilium, & motus hic duplex est, vel purgante medela, vel phlebotomia factus, & cum primus rarissimè conueniat in principio, reliquus est vsus secundi, nullam præcedentem humorum coctionem, purganti pharmaco debitam, requirentis, & suopte nutu primum sibi ordinem, dum refertur ad pharmacum, vindicantis. nam si fuerit in primoribus vijs crudorum prouentus excremētorum, vel clyster abundè sufficiet, vel medicamentum leniens satis erit, superque, quod leniens medicamen locum habebit præcipuè in febribus intermissione præditis, & a cruditatum congerie vel generatis, vel fotis; At si continua fuerit febris, venosi labem generis præseferens, non erit cunctandum, præmisso clystere (si fuerit opus) tundere venam, vt à magno remedio statim exordiamur, quod in magnis morbis faciendum esse locuples est auctor Galenus in Quinto Methodi, vt supra etiam consideraulmus. Hinc Paulus Galeni vestigijs more suo inhærens hæc ait libro secundo. Cum vires eius, qui ex putredine febricitat, validas exploraueris, incunctanter venam incidere conuenit, nisi ventriculum cruditas infestet. Nullam interponendam moram censet & Paulus in hoc remedio administrando, quod & tollendæ febri, & sanandæ putredini, & obstructioni maximam opem promittit, nam cum Galenus affirmauit hoc nec putredinem, nec obstructionem sanare, insinuare voluit quod non omnem, nec omnino, quia licet sit illarum quoque remedium, non est tamen solum, cum præter illud alijs etiam sit opus, vt præclarè considerauit etiam Aetius libro secundo sui Tetrabibli sermone primo hoc scribens de curatione febriū putridarum verba faciens. Quandoqui-

quidem verò neque obturatio, neq; putrefactio curari potest per solam venæ sectionem, quum alijs auxilijs opus habeant, reseruare aliquid sanguinis oportet ad curationis tempus, vt ne necessitas aliqua ingruat ob inopiam intempestiuè nutriendi. Quæ ferè omnia ab Aetio adducta verba sunt ex Vndecimo Methodi Galenicæ desumpta, sed per additionem illius vocis (solam) quam cum venæ sectione coniunxit, clariora effecta, Galeni sensu sic explicato, vt non remoueat à phlebotomia vim sanandæ obstructionis, & putredinis absolutè, sed remoueat integram, & absolutam.

An in febribus malignis, & pestilentibus secanda sit vena.

CAPVT XVIII.



EX his, quæ hactenus diximus, emergit dubitatio non contemnenda, nec sicco, vt aiunt, pede pertranseunda. nam si putridis febribus conuenit venæ sectio, vt ex Galeni clarissimo sensu supra asseruimus, & magis conuenit eis, quo magis sunt putridæ, magis graues, magis continuitatis participes, cur ergo in malignis, & pestilentibus febribus, macularum quas vocant peticulas, aliorumque exantematum, & bubonum, carbunculorumq; insultu comitatis, sæpe omittitur hoc remedium, & si reuocetur in vsum, magnum, vt frequens docuit euentus, affert detrimentum? Vnde etiam factum est, vt in his malis doctissimi viri hoc remedium oderint cane peius, & angue, vt ait Lyricus, imò non remedium censeant, sed exitium, nec dubitauerint in suis alioquin præclarissimis de Febri pestilenti lucubrationibus scribere sententiam de vena in his febribus secanda in perniciem humani generis fuisse inuectam. Habuit hęc opinio plures auctores, pluribus rationibus innitentes, & habet hoc etiam tempore plures his rationibus partim conuictos, partim etiam persuasos sectatores. Quo magis hanc aggredi prouinciam toto corde debemus, vt rem hanc tantopere controuersam, tantum in humana salute momenti habentem pro virili discutiamus, & primo iactis fundamentis inhærentes venæ sectionem his quoque febribus per se conuenire, sed accidentaria interdum ratione pretermitti ostendamus, secundo rationes præcipuas auctorum aliter sentientium in medium adductas, si fieri poterit, dissoluamus. Neque verò hic conteremus tempus in malignarum, pestilentiumque febrium natura vel indaganda, vel exponenda, sed illud, omisso multiloquio, ab omnibus concessum accipiemus, habere illas proprium quendam quasi carecterismum, vnde insigniuntur, a proprio ipsarum more profectum. nam cum in febribus quattuor considerentur ex Galeni doctrina in 2. ac 3. de crisibus, idea, mos, Magnitudo, motus, ex ipso more propriam sortiuntur naturam, in quo more ferarum quarundam imitationem præferunt non obscuram, vt vel ipso Galeni testimonio in commentarijs Epidemiorum dicere solebat Sabinus. nam vt feræ quædam in abdito delitescentes parare viatoribus insidias, occultamque moliri ignaris, & nil tale cogitantibus perniciem solent, ita malignæ, pestilentesque febres, suæ prauitatis documenta non dantes, suaque damna occulentes, dolosè

dolosè miseros ęgros circumueniũt, & pessumdant. Hic earum mos non aliunde pendet, quàm à virulenta quadam qualitate, vera veri veneni æmula, cuius vi cordis impetunt arcem, nec vmquam desistunt demoliri vitam, non flammeo calore infestantes, sed venefica aura negotium facessentes. Cuius originem auræ non abditam, occultamque proprietatem esse dixerimus, quæ fuit tamen grauissimorum opinio virorum, sed in excellentem putredinis gradum cum Galeno retulerimus, qui in suis commentarijs primi, & tertij Epidemiorum putredini insigni refert acceptam omnem morborum pestilentium constitutionem ab Hippocrate relatam, & omnem apparentem malignitatem putredinis facit sobolem, Vnde in primo commentario in primum de ægris ibi ad considerandum propositis loquens ait, Plurimi ipsorum iacebant, quia assiduè, magisque progressu temporis aceruata superflua tum acriora, tum maligniora fierent. Austrini siquidem status, si diutius edurent, putredines pariunt, & præsertim cum humidi fuerint. Et in tertio commentario in tertiũ de alijs ægrotis loquens ait, Malignitas redundantis humoris ex magnitudine putredinis consistit, quasi dicat malignitatem esse fructum magnæ putredinis, quia non quælibet putredo facit malignitatem, sed exquisita, & ad magnum gradum euecta, vt sit putredo secundum totum, & non secundum partem dũtaxat, vt in primo libro cum Aristotele considerauimus. nam cum hæc ad eum gradum peruenit, vt fiat mixti in miscibilia dissolutio, & putrescentium humorum à propria forma separatio, contingit illud, quod in quarto Metorologico de putredine loquens philosophus ait, vt in hac substantiarum dissolutione generetur noua aliqua substantia, cui calor ille putredinalis, putrescenti mixto dissentaneus, existat consonus, vt patet de vermibus ex quorundam putredine orientibus, propterea quod calor expressus, qui naturalis est, ea quæ secreta sunt, cogat, vt ait Philosophus, qui vocat calorem expressum in putredine naturalem non ad mixtum corruptum referendo, quia huic est præternaturalis, & alienus factus, sed ad animal generatum, cuius naturæ euadit conformis, ideoque ad illud generandum accomodatus. Hæc ergo noua genita substantia à calore præternaturali humoribus sortitur naturam humanæ planè contrariam, & alienam, tamquam contrarij, & alieni caloris fructum, & ratione indutæ contrarietatis subit veneficam vicem, veneniquе cuiusdam induit vim, cordi suopte nutu inimicam, vt iure in sexto de locis affectis ostenderit Galenus in humano corpore ex humoribus corruptis gigni posse substantiam quãdam non solum nostræ aduersam, & hostilem, sed ipsius etiam veneni imitatricem, & æmulam. Hinc ergo prodit illa aura virulenta, quæ continuò cor impetit, & ab omnimoda humorum corruptione, ab insigni putredine profecta ad putredinem intercedente morte subeundã animal disponit. Quid ergo opus est ad occultam proprietatem confugere ad malignam, pestilentemque labem inuehendam, si sola putredo, supra vulgarem gradum euecta, hanc potest inuehere? Hinc Galenus in primo de differentijs febriũ malignam omnem, & pestilentem febrem in putredinem partim externam, partim internam, hoc est

par-

partim ambientis, partim humorũ adigit, & febrem pestilentem præcipuè fieri dicit ob humores in corpore aptos in putredinem, quoties animal breuem quandam occasionem ab aere circumfluente susceperit, sed magna ex parte incipere ex aeris circumfluentis respiratione, quem putrida exhalatio infecit. Nec mirum videri debet, quia magna putredo est magna corruptio, magna corruptio est cum dissolutione pristinæ substantiæ, & cum generatione recentis omnino aduersæ, tantum videlicet aduersæ, quantum calor putredinalis est naturali contrarius. At naturæ contrarietas fit virulenta, quia contrariorum proprietas est mutua contentio, ac destructio violenta. Hęc est origo praui moris febribus, quæ ob huius pręsentiam nuncupantur malignæ, & pestilentes, hæc est earum indoles non ã Galeno solum declarata, sed ab eius etiam interprete Auicenna confirmata, qui licet in ortu pestilentis febris influxus quosdam cælestes ignotæ impressionis nominet, hanc tamen longinquam, remotamque causam ad proximam, & immediatam putredinis redigit, vt aer putrescens ad cor pertingat, & complexionem spiritus in ipso existentis corrumpat, & humores inibi contentos putrefaciat. nam cælestem in nostra corpora efficientiam nec Hippocrates inficiatur, qui magnam eam in libro de aere, & aquis constituit, nec Galenus, qui in tertio de diebus decretorijs eidem plurimùm detulit, non Hippocratem solum, sed Platonem quoque in Timæo, & Aristotelem in Quarto de generatione animalium, quorum vterque magnam cœlo tribuit in nostra corpora vim, volens, libensque consectatus. Verum hæc est causa remota, at artifex proximam, & immediatam quærit, quæ sola scientiam parit. Non aliud ergo inter simplices putridas, & malignas, pestilentesque febres inducendum discrimen venit, nisi hoc, quod primæ pendent à vaporibus simpliciter putridis, vnde humores cordis igneam illam intemperiem contraxerunt, secundæ autem pendent à vaporibus non solum putridis, verum etiam virulentis ob eximium putredinis gradum, & pendent à putredine non solum aliorum humorum, sed interdum humorum in corde residentium, qui in febribus verè pestilentibus putrescunt ex putrido aere attracto hanc nacti labem. In febribus ergo simpliciter putridis humores cordis sunt tantummodo calefacti ex putridarum fuliginum accessu, in malignis, & pestilentibus, & calefacti, & aura venefica infestati, & putredine interdum imbuti ex deterrimi inquinamenti ad cordis arcem ingressu. nam malignam, pestilentemque febrem aliquando confundit Galenus, & vnico pestilentis nomine vtramque comprehendit, aliquando verò alteram ab altera seiungit, quia communi hoc vinculo deuinciuntur, vt sint germina excellentis putredinis, vt sociam habeant virulentam qualitatem, auramque veneficam inseparabilem, nec differant inter se nisi secundum maiorem, vel minorem putredinis excessum, in maligna minus, in pestilenti magis vigentem, in prima ab internis potius causis, & à magna humorum corruptione procedentem, in secunda extrinsecus potius, & ab inquinati aeris attractu manantem, in prima humores cordis quoad qualitatem, in secunda quoad substantiam quoque oblædentem. Vnde

prodit

prodit maius pestilentis, quàm malignæ periculum, quia ex hac multi moriuntur ex illa paucissimi euadunt, vt non immeritò cecinerit chorus apud Sophodem in Aiace flagellifero.

Est satius atris Ditis operiri vmbris,
Quàm pestifero, ac immedicabili
Morbo agitari.

Non tantum periculum insinuat nomen malignitatis, cuius proprium est metum incutere mortis, sed non adimere spem salutis, Quæ est Galeni doctrina in commentario primi Prorrheticorum, ita scribentis, κακοήθεις morbos, idest malignos appellamus, quicumque periculum minantes spem salutis non adimunt. At verè pestilens febris omnes propemodum ægros interficit, & paucissimis parcit, vt ostendit constitutio in tertio Epidemiorum ab Hippocrate enarrata, & à Galeno explicata, quia verè pestilens febris est morbus semper Epidemicus perniciosus, vt duo includat, communionem multis gentibus factam, & perniciem simul inuectam, & pestem habeat comitem indiuiduam, at febris non tam pestilens, quam magis propriè malignam vocamus, licet possit esse morbus Epidemicus, idest vulgaris, est tamen magis Endemicus, hoc est vernaculus, & interdum potest etiã esse sporadicus, hoc est dispersus, ex peculiari hominum singulorum diæta, & humorum corruptela contractus, & pestis comitatu destitutus, vt dici possit febris pestilens sine peste. Possumus igitur cum Galeno hoc nomine febris pestilentis complecti omnes tùm propriè dictas pestilentes, tùm proprie vocatas malignas, quæ omnes in hac communitate conueniunt, vt à putredine non vulgari ortum suum traxerint, in quam putredinẽ adeo pestilentia omnia pathemata referunt Hippocrates, & Galenus, vt ille in tertio Epidemiorum pestilentem constitutionem exponens dixerit, carbunculi æstate multi, & alia quæ putredo vocatur, & hic in commentario illius libri multoties repetere voluerit ex aucto putredinis gradu pestilentem emersisse malignitatem. Sunt ergo febres pestilentes ex putredinis excessu, siue hæc putredo exterius aduenerit, siue interius eruperit, siue coniunctam habeat pestem, siue seiunctã. His autem iactis fundamentis, & facta hac breui naturæ ipsarum declaratione, non erit difficile modo orientes hinc indicationes colligere, & num eis venam etiam secando satisfacere liceat, inuenire. nam his febribus primo communes sunt indicationes illæ, quæ conueniunt febribus putridis, & quatenus febres sunt, & quatenus putridæ, secundo conueniunt propriæ ex propria earum natura deductæ, & quia comitem habent excedentem putredinem, & veneficam qualitatem, ideo indicantur magna putredinis remedia, & insinuantur alexipharmaca aduersus virulentam qualitatem præsidia. Ita fit, vt omnes indicationes superius enumeratæ locum habeant in pestilentibus febribus, quæ quia sibi duo quasi propria vendicant, excessum putredinis, & auram virulentam, duas etiam præcipuas excitant indicationes, eorum quæ tollant putredinem, eorum, quæ retundant vim veneficam. nam licet in alijs quoque magna sit habenda putredinis ratio, in his tamẽ tanto maior, quanto putredo subest vehementior. Vnde Galenus communi putredini hæc opponebat remedia,

inedia, excretionem, ventilationem, refrigerationem, concoctionem, at in pestilenti putredine his adiungebat accuratam exicationẽ, quia quæ validè putrescunt, magnā habent præternaturalis humiditatis vbertatem ob factam humidi à sicco secretionem, & ob redundantem in his corporibus humorum copiam, sine qua non fieret insignis putredo, caloris naturalis, & proprij in vnoquoque humido corruptiua iuxta Philosophi dictum. Quod plenè Galenus declarat in primo illo de differentijs febrium, initium pestilentis febris faciens humores corporis in putrefactionẽ paratos, eaque corripi eos potissimū affirmans, qui iam prius pleni fuerint humiditate excrementosa, eos autem, qui hac humiditate caruerint, penitus ferè impatibiles ab hoc morbo manere. Ac eo quidem loco proponens Galenus præcipuos scopos in huius febri præseruatione obseruandos illud summatim dicebat, quòd cum sit summa putredo, corpora sunt quouis modo exiccanda, veluti, ficciora in pristina natura custodienda, excrementis plena expurganda, obstructa ab hac meatuū labe aperientibus liberanda, & medendi demum Methodo in libris explicata hoc nomine inscriptis ad sanitatem perducenda, vt hoc pacto & præseruatorias, & curatorias indicationes, quæ in idem coincidunt Galeno teste in libro de phlebotomia, ob oculos posuerit. Sunt ergo febres pestilentes eadem Methodo tractandę, quam in suis libris docuit Galenus, maiori tamen compescendæ putredinis cura suscepta, & remediorum virulentę qualitati aduersantium cogitatione adiecta. Ac veluti in reliquis febribus incipiendum est ab euacuantibus ad inhibendum humorum inchoatum confluxum ad partes obstructas, sic in his etiam faciendum, ac tanto quidem magis, quanto maior in his quæritur exiccatio nullo remedio melius, quàm euacuante perficienda, ac veluti in alijs febribus putridis à phlebotomia capiebatur exordium, sic in pestilentibus ab eadem est inchoandum, quia æqualis, imo maior hic adest huius remedij indicatio, est enim morbus non modo magnus, sed maximus, est febris non modo putrida, sed excellenti putredinis gradu comitata, ideoq; ratione & genericę, & specificæ naturæ huius remedij indiga, quatenus scilicet morbus maximus, & quatenus febris ad putredinis excessum deducta. Remedia morbis magnis applicita debent esse magna, alioquin euadunt irrita, & conceptam spem deludentia, non est magnum remedium, nisi duplex, purgatio, & sanguinis detractio, at illa non habet in principio locum, nisi rarissimè, vt inferius ostendemus, restat ergo sola sanguinis eductio, tanto minus omittenda, quanto magis vis ægritudinis est verenda, in qua magnus vrget feruor si non quoad partes externas, in quibus sæpenumero apparet remissus, & quasi placidus calor, saltem quoad internas, in quibus incendij plenus negocium facessit æstus, vt frigeant exteriora, interiora vrantur, ergo magno refrigerio est opus, Vnde Celsus proponebat vberem frigidæ potionem, quæ tamen in principio non potest adhiberi, & alijs etiā temporibus infrequenter potest vsurpari, at hoc refrigerium venæ sectio ita solet præstare, vt potest polliceri. Nec valet solum ad refrigerandum, Sed ad corpus etiam exiccandum, quod in hac febre efficien-

dum præcipuè proponebat Galenus, in qua potissimum id vsu venire videtur, quod Aristoteles dixit in prima Problematum particula febres fieri per duarum qualitatum, caliditatis nempè, & humiditatis, excessum. Indiget hæc febris euacuatione humorum, quorum sequitur multitudinem, quippe quæ non corripiat corpora exucca, vt testatur Galenus, quibus potius parcit, sed excrementosis humiditatibus referta, at hanc euacuationem, vel in ipso principio commodè prestat sectio venæ. Quæ ad cohibendum etiam maximum putredinis impetum, vnde vis pestifera manat, plurimũ habebit momenti, quia licet ipsa non sufficiat ad abolendam, vel putredinem, vel obstructionem, patefacit tamen aditum, magnum impertit iuuamentum, & non vulgarẽ habet in hac opera præstanda rationem. Non deest ergo quod indicet phlebotomiam, & quod ortam indicationem confirmet, siue morbi magnitudinem spectes, siue putredinis vehementiam, siue caloris feruorem, siue humidi multitudinem, quæ omnia simul iuncta magnam faciunt hanc indicationem, quam admittere etiam possunt, & cõgrua ætas, & virium, quæ sint ferendo, commoda dispositio. nam in homine nec in puerilibus, nec in senilibus annis constituto si pestilens febris appareat, nil vetat bonum adhuc virium tonum superesse, præsertim circa morbi principia, in quibus vel Hippocratis testimonio leuiora solent esse omnia, & imbecilliora. Quod quidem vel ex eo confirmatur, quòd in his etiam, qui pereunt, extenduntur interdum hæ febres ad vigesimum diem, ac trigesimũ, & vlterius, quod sine virtutis robore nullo posset pacto contingere. Non est sine virtutis consensu mittendus sanguis, qualiscumque sit morbi vox, quantumcunq; clamet, nisi hanc vocem, hunc eius clamorẽ virtus excipiat, & consona respondeat, inepti, ac planè temerarij fuerit Medici cogitare, ne dum perficere sanguinis missionem. Si, vt sunt indicantia, affuerint quoq; permittentia, non modo timidi fuerit, sed ordinem etiam ab arte institutum deserentis nobilissimum remedium detrectare. Sed ne videamur Solis rationibus niti, ad nostrorum Procerum accedamus auctoritatem. Primus prodeat Hippocrates, qui est instar omnium, à quo in suis Epidemicarum constitutionum pestilentium narrationibus accepimus nullam febricitantibus illis aduenisse vtiliorem euacuationem ipsa sanguinis per nares eruptione, quã vocant hæmorhagiam, & ea quidẽ cumulata, & conferta, non exigua, ac diminuta, quia hæc erat mortis consequentis signum, illa futuræ mox salutis principium, si bona ergo hæc naturalis sanguinis euacuatio, bona & artificialis, quippe ars naturæ benè agentis est imitatrix, & æmula, vt in secundo primi libri aphorismo abundè docet Hippocrates. Accedat Galenus, qui in tertio commentario in primum Epidemiorum Critonis in secundo à morbi initio die ex acuta pestilenti febre pereuntis historiam considerans, quærit causam cur huic homini non statim fuerit secta vena, & sibi ipsi respondet Hippocratem ad plurimos, quos descripsit, ægrotantes iàm morbo progresso fuisse accitum, vt ideo non potuerit vsurpare remedium, quod secundum Galeni sententiam erat illis febribus conuenientissimum. De quo dubitauerit nemo qui apud eundem Gale-

num legerit in quartodecimo Methodi febres cum carbunculis, ideoque pestilentes largissima sanguinis detractione curari, ad cuius rei clariorem explicationem non pigebit in referendis Galenicis verbis aliquantisper morari. nam cum de his loqueretur, qui carbunculis corripiuntur, hæc ait. Omnibus his circumposita caro in summam peruenit inflammationē, non tamen colore aspicitur Erysipelatis, imo q adhuc phlegmones colore sit nigrior, veluti si plusculo rubro minus miscens nigri. Quòd autem necessariò febricitent qui ita sunt affecti, idq; non minus imo magis, quam illi, quibus Erysipelatosa est phlegmone, id vtiq; latere neminem potest. Sed & incipiendum ab incisa vena curationem esse, id quoque neminē latere arbitror, qui præsertim meminerit, quæ in curatione febrium de sanguinis missione diximus. Nec illud obscurum sanguinis vacuationem, quæ ad animi defectum vsque sit adhibita, magis etiam his collaturam, nisi tamen aliud quippiam obstet ex his, quæ venam incidi vetent. In his Galenicis verbis multa sunt annotanda, primum illud cum his Carbunculis iunctas esse febres non leues illas quidem, sed acutissimas, quæ non possint esse nisi pestilentes, & plenę malignitatis indicatæ vel à sola carbunculorum prauitate, e pessimo corruptorum excrementorum seminario erumpentium, quę febres si fortè non orirentur pestilentes, euaderent illico tales ob morbosum corporis apparatum insignem, qui præcipuus est ad pestiferam vim depromendam, vt declarat Galenus loco comemorato primi de differentijs febrium, secundum annotandum est in his, curationem inchoandam esse à venæ incisione iuxta Methodum traditam de curandis reliquis febribus, vt appareat documentum de phlebotomia in febribus putridis adhibenda esse pestilentibus etiam commune. Tertio obseruandum laudari non modo sanguinis eductionem, sed confertissimè factam ad animi vsq; deliquium, supposita magna humorum congerie, magna succorum plenitudine. Sed quia hæc larga euacuatio non debet fieri, nisi omni impedimento remoto, ideo quarto loco obseruandum proponit, ne quid obstet ex his, quæ venam incidi vetant. Quibus verbis innuit non modo virtutis congruæ, & ætatis præsentiam, sed eorum etiam symptomatum absentiam, quæ animum possint à sanguine detrahendo auocare, qualia nos superius cum Galeno considerauimus, & qualia ipse in malignis febribus in duodecimo Methodi considerat, illa nempè animi deliquia, & ad syncopem propēsiones, quibus sunt interdum aliqui febricitantes vel tenuioribus, vel crassioribus succis referti tantopere obnoxij, vt licet multa egeant euacuatione, nullam tamen possint ipsi perferre, & nullam debeant Medici tentare. Quæ omnia impedimenta pertinent ad vires conuellendas, quibus constantibus, & cōstantiam conseruaturis nil est quod propositam mittendi sanguinis indicationē valeat remorari. Galenū sectati in hoc etiam sunt Aetius, Paulus, Oribasius, Actuarius, omnes in mittendo sanguine ad has febres curandas concordes. Quam concordiam adeo amplexatus est, adeo retinuit mordicus Auicennas, vt in hoc remedio præcipuam salutis spem visus fuerit collocasse. Cuius hæc sunt verba in prima Fen Quarti Canonis, summa curationis pestilentium

febrium eſt exiccatio, & illud cum phlebotomia, & ſolutione ventris, & oportet incipere in ea ab euacuatione, ſi autem materia vincens fuerit ſanguinea, fiat phlebotomia, & ſi fuerint humores alij, euacuentur. Proponit Auicennas ſcopum exiccandi à Galeno propoſitum, & ſæpius inculcatum in primo illo de differentijs febrium, & hanc exiccationem non per exiccantia qualitatibus manifeſtis molitur, quia hæc ſunt imbecillia, ſed per valida euacuantia, quorum validior eſt efficientia, & inter euacuantia primum locum tribuit phlebotomiæ, præſertim in vera plethora, ſecundum purgationi, præſertim in cacochymia, ſed prima longè tutior eſt ſecunda, quia illa habet ſemper locum, nec indiget apparatu humorum, ſecunda, niſi materia turgeat, non ita commodè adhibetur in cruditate humorum etiam peſtilentem febrem efficientium. Quo factum eſt, vt celſus multis ante Galenum annis curationem peſtilentis febris tractans ad ſanguinem ſtatim confugiat, purgationem reſpuat, ex primi detractione multum expectans opis, in ſecundæ adminiſtratione multum præſeferens timoris. Deſiderat (inquit ipſe libro tertio) propriam animaduerſione in febribus peſtilentiæ caſus. In hanc minime vtile eſt aut fame, aut medicamentis vti, aut ducere aluum. Si vires ſinunt, ſanguinem mittere optimum eſt, præcipuè ſi cum dolore febris eſt. Talem ergo facit propriam animaduerſionē huius morbi celſus, vt in eo, & inediam repudiet, & pharmaciam. Inediam quidem reſpuit, quia præternaturalis diſpoſitio fit ex humorum corruptione, quæ non aliter exigit ciborum contemperamentum, ac defectus exigat adiectionem iuxta Galeni documentum in commentario decimiſeptimi Aphoriſmi primæ particulæ. Fames ergo peiorem facit materiam, & vires in his conſcindit, in quibus quam fieri poteſt ſunt integræ conſeruandæ. Hùc trahi poteſt quod ſcribit Galenus in commentario tertio libri tertij Epidem. omnes in peſte illa magna; & ferè ſolos ſuperſtites fuiſſe, qui ſibi in comedēdo vim intulerūt reſpuit quoq; pharmaciā Celſus quià veretur multam ventris commotionem, & factam à remotis partibus vi calidioris pharmaci attractionem, memor fortaſſe eorum, quæ legimus in Epidemijs, multis fuiſſe pernicioſam aluum fluentem, quo etiā nomine in ſecundo de victus ratione in acutis Galenus in pleuritide pharmacum extimuit, & venæ ſectioni poſtponendum cenſuit, in vtroque caſu adhibendæ, relicta purgatione, ſiue dolor ad claui culam pertingat, ſiue ad Hippocondria; ſed nos nil modo de vſu pharmaci dicimus nū rectè fuerit à Celſo vetitus, illud ſolum oſtendiſſe contenti, in peſtilentibus eum febribus miſſam facere purgationem, at phlebotomiam adeò non miſſam facere, vt eam vocet remedium optimum, præſertim in doloris acceſſu, quia nempè eſt remedium magnum, & præſentaneum, magnam opem promittens, nullam noxam minitans, ſi vires conſiſtant, & hanc excretionem perferant alioquin nō vſurpandam, quia non ſufficiunt indicantia ad indicata complenda, niſi adſint quoque permittentia, inter quæ vires primatum obtinent, ſemper oculo, vt aiunt, dextero à Medicis reſpiciendæ tamquam vitæ, & mortis firmiſſimæ claues. Quod non minus in reliquis febri-

bus obseruandum est, in quibus non debemus cum lãguore virium effundere sanguinem, ne cum sanguine spiritus simul vitales effundamus. Quam cautelam quia nõ desunt qui parum seruent, non deest etiam contingens calamitas, vt pestilenti laborantes febre post phlebotomiam illico in peius ruant, & ad citissimam mortem properent. Hunc infœlicem euentum non vsui, sed abusui optimæ medelæ referre debemus acceptum, illud pro comperto habentes hanc huic febri per se conuenire, esseque opportunissimam, sed accidentaria interdum ratione parum congruere, & fieri incommodissimam. Quod vt innotescat euidentius, non fuerit graue rationes aliter sentientium breuiter colligere, & soluere accuratius.

Rationum ab auctoribus venæ sectionem in febri pestilenti improbantibus adductarum consideratio, & solutio.

CAPVT XIX.



MVLTOS fuisse inter neotericos Medicinæ scriptores constat, qui hanc vnanimes tutati sunt sentẽtiam, alienissimum esse remedium in febribus pestilentibus phlebotomiam, vt inter cęteros testatur Thomas Erastus in sua ad Gesnerum Epistola in qua omnes omnium in hoc argumento recenset, & ad breuem calculum redigit opiniones; sed quia post Erastum salius in aureo suo libro de febre pestilenti hanc rem tractauit luculentissimè, & omnia ferè congessit argumenta, vel saltem pręcipua ad refellendam in hoc morbo sanguinis missionem accõmodata, quibus multi si non persuasi, conuicti saltem manus dederunt, ideo operæ pretium facturum me reor, si rationes eius omnes reuocem in examen, earumque momentum perpendam; quid veri includant, quid falsi aperiam, solutiones omnium in medium adducam, quia hac disputatione non ludicra, vt ait ille, petuntur præmia, nec leuem ex ea fructum hoc honestum pollicetur certamen. Summa res agitur, qua nulla apud Physicos maior, humana videlicet salus, in cuius perniciem existimat, clamatque salius inuectam esse in pestiferis febribus sanguinis eductionem, cum potius rectè adhibita & ratione monstrante, & confirmante experimento, summi habeat remedij rationem. Salius ergo duas proponit inter se contrarias, & ediametro se destruentes opiniones, quarum altera commendat, & necessariam censet venæ sectionem non aliter in pestifera, quam in reliquis putridis febribus, altera verò tantundem improbat eam, exitialemque vocat, vt nullam sanguinis mittendi cogitationem suscipiendam, omnem ad virus febris infringendum intentionem conuertendam proponat. Vtriusque rationes adducit, & fundamenta, sed neutrius sequitur placita, quippe secundam opinionem soli virulentæ qualitati addictam refellit ex eo, quòd huic qualitati intendendum quidem, at non soli, sed putredinis etiam maximè vigentis habenda ratio, habenda plenitudinis obstructiones vel efficientis, vel fouentis, ideoque euentatio molienda exonerando naturam, imminuendo materiam. At primam sententiam venę sectioni deditam tantum abest vt amplectandam iudicet, vt in perniciem

niciem humani generis inuectam affirmare non dubitet. Quod suum maximi quidem momenti dictum multifariam nititur confirmare. Primo quidem celeberrimorum virorum testimonio, qui hoc remediũ in hoc morbo nocuum se expertos esse monuerunt, secundo hac ratione, quòd licet febris sit putrida, & morbus magnus, obstructionibus, & inflammationibus vel internis, vel externis comitatus, & frequentius sit febris ardens, tamen ex venenata qualitate ægri tãtam virium imbecillitatem contrahunt, vt euacuationem hanc sustinere nequeant semper magis lapsuri in vlteriorem languorem. Et quia fundamentum secandæ venæ pendet ab Hippocratis auctoritate asserentis in quarto acutorum in omni vehementi morbo detrahendum sanguinem, admonet sub hac sententia non comprehendi morbos pestilentes in principio tractationis ab acutis morbis, quorum victum docendum Hippocrates susceperat, secretos, planeque distinctos, à Galeno etiam in libello de phlebotomia prætermissos, vt ex mente horum auctorum mittendus quidem sit sanguis in alijs morbis, qui sunt cacoethe, non tamen in pestilentibus ab hac regula subtractis, & ob hanc pręcipuè causam subtractis, quòd vitalem virtutem pessum dant, & robur virium mittendo sanguini necessarium abolent. Et quia respondere quis poterat, in principio ægritudinis, cum nondum inualuit, & venenata qualitas suas vires deprompsit, virtutem esse validam, & sustinendæ euacuationi aptam, ideoque tunc secandam venam iuxta monitum Hippocratis in principijs morborum mouere iubentis, ipse hoc reijcit responsum, quia in indicatione huius remedij non tantum virium præsentium habenda est ratio, sed etiam futurarum, in quibus absque dubio expectanda in pestilentibus magna infirmitas venit. In cuius infirmitatis periculo semper Galenus abstinet à venæ sectione, etiam si morbus sit magnus, florens ætas, & virtus impræsentiarum constans. Qui ob hanc quoq; causam in libro de cibis boni, & mali succi audaces eos vocat Medicos, qui audebant in pestiferis illis febribus venam secare, & in harum consideratione versans numquam huius remedij meminit, quia Methodum Hippocraticam sectabatur, & erat suorum memor fundamentorum, quæ vetant in morbis cum virium imbecillitate copulatis venam secare. Hinc autem apparet Galenum hanc reprobare in curanda febri pestilenti, quòd huius præseruationem docens, nullam facit mittendi sanguinis mẽtionem, cum docuisset tamen eadem esse remedia & præseruatoria, & curatoria, vt si excludatur ad præseruandum, non includatur ad curandum. Sic ad suum placitum confirmandum trahit Salius Galenum. Cuius testimonio quoniam aduersarios vti sciebat in commentario Historię Critonis, in quo videtur innuere in pestilentibus morbis ab initio secandam esse venam, ideo ipse ad vim testimonij infirmandam duo euertit fundamenta, quibus illi videbantur inniti, quorum alterum erat Critonem, & ægros omnes cum eo in Catalogo descriptos sub pestilenti ægrotasse constitutione, alterum verò Critonem ipsum pestilenti laborasse ęgritudine. Horum vtrumque nititur ostendere falsum, primum quidem ex eo, quòd ægri illi omnes laborarunt sub tempestate tertia ab Hippocrate descripta, quæ fuit frigida, & sic-

& ficca, ideoque non potuit esse pestifera, licet vulgarium morborum feracissima, quod confirmat Hippocratis auctoritate affirmantis multos tunc euasisse, ac determinatam quandam tum ætatem, tum naturam periculum maximum subijsse, cum nulli nec ætati, nec naturæ pestilentia parcat. Hac etiam probatione vtitur in secundo, quia hinc patet non potuisse Critonem laborare pestifera febri ex causa externa, cum non fuerit pestilens aeris constitutio, nam quòd ex interna causa talem non contraxerit febrem inde deducit, quòd in Critone duo tantum inueniuntur, materiæ copia, & eiusdem prauitas, à copia non fit affectus pestilens, alioquin omnis morbus ex plenitudine esset pestilens, nec itidem à prauitate, alioquin omnes morbi à prauis succis profecti ad censum pestilentium forent referendi, quorum vtrumque constat esse falsum, nam simplex succorum prauitas disponit quidem ad pestilentem morbum, sed non constituit corpora in eo, nisi ad prauitatem humorum accedat corruptio, quæ nulla potest in Critone conijci. In quo fuit insignis quidem succorum & prauitas, & copia; partim bilis acris, & mordacis, partim atrę bilis secundum vnam portionem ad crus transmissæ, secundum alteram ad caput ob nimiam copiam recurrentis, vt ratione primæ factæ fuerint pustulæ in talo nigræ, ratione secundæ deliramenta furiosa, veluti erat rationi consentaneum. Qui duplex materiæ pessimè motus malè factus citam attulit Critoni mortem, quia decretoria non decernentia cum symptomatis, & signis lætalibus, qualia erant pustulæ nigræ, & insania furiosa, iuxta Hippocraticum dogma mortem portendebant instantem. Mortem ergo Critonis non in vim pestilentis febris refert, sed in violentiam prauorum succorum qualitate irritantium, copia opprimentium, ideoque concludit Galeni sententiam de sectione venæ in eius exponenda historia non posse ad genus febrium trahi pestilentem ideam redolentium. Quod confirmat, quia etiam in Historia Mulieris, quæ ad Tisamenum decumbebat, & Calui Larissæi si facit Galenus mentionem phlebotomiæ, tamquam remedij illis morbis accomodati, nil inde colligi posse statuit, quia non constet mulieris ægritudinem fuisse pestilentem, ileo morbo per se lætalissimo affectæ, & Caluus etiam describatur ęger post tempestatem pestilentem, ideoque non affectu pestifero correptus. Quo fit, vt si in his casibus dicat Galenus opportunam futuram fuisse sanguinis missionem, non propterea cõfirmet conuenire in pestilentibus febribus, quæ hic nullæ fuerunt. Ad quarum neque præseruationem, neque curationem huius remedij vmquam meminit. Ad Auicennæ auctoritatem remedium probantis pro curandis his febribus respondet non esse eam præferendam rationi, & veritati, præsertim cum ipse malè sectatus in hoc sit Paulum, Aetium, Rufum, non tamquam curatorium, sed præseruatorium remedium proponentes. Et quoniam aliqui distinguunt has febres in pestilentes actu existentes, & in futuras tales, & in primis repudiant venæ sectionem, in secundis admittunt, veluti primum consilium laudat, ita de secundo determinat, quòd si futura sit febris pestilens ratione causarum externarum, ratione scilicet contagij, & aeris corrupti, si possit tolli cõtagium, & corrigi mala qualitas aeris, curanda

da erit more reliquarum putridarum ſine gradu peſtilenti, nec erit tractanda vt peſtilens cum non ſit, ideoque ſi venæ ſectio conuenit, non conuenit vt peſtilenti. At ſi contagium non inhibeantur, nec mala aeris qualitas emendetnr, in febri ratione ſuperuenturi gradus peſtilentis inhibet venæ ſectionem ob imminentem virium caſum. Sed ſi ſuſpicio peſtiferæ condicionis pendeat à cauſis internis, humoribus nempè corruptis, & putreſcentibus, hanc febrem vocat ab initio peſtilentem occultam, & ab hac etiam remouet phlebotomiam ob futurum virtutis languorem, quam tamen febrem ſolertiori Medici iudicio indigere ſtatuit non ob curationem ſolum, verum etiam ob cognitionem. Excluſa igitur venæ bracchij apertione in hoc febrium genere, eius loco ſufficit ad minorandam materiam hirudines hęmorhoidibus adiungẽdas, quæ & ad placidam, & ſine virium diſpendio factam euacuationem, & ad reuulſionem à partibus nobilioribus auertentem valdè conducant, & tutiſſimæ, ac vtiliſſimæ vel in virium imbecillitate continuo experimento appareant. Partium quoq; infernarum ſcarificationem commẽdat ob eaſdem cauſas non mediocriter, & ſi caſu contingat, vt neutra harum medelarum vſurpari queat, ad cucurbitulas in infernis partibus ſcarificatas confugiendum proponit, quas tamen inferiores hirudinibus facit, quòd vires magis infringant, violentius attrahant, & maiorem humorum agitationem celerrimè inducant. Sed nihilominus adiungit adhibendas interdum eſſe etiam poſt hirudines cum per has nõ abundè facta eſt minoratio materię, & validior adhuc exigitur reuulſio, & ad cutem attractio, modo nõ ſint vires proſtratæ. In mulieribus Menſium vel ſuppreſſionẽ vel imminentiam habẽtibus proponit ſectionem venæ in talo, tamquam minus infirmantẽ vires, & ſpiritus reſoluentem, quam ſectio venarum ſuperiorum, & vrgẽte virium debilitate conſulit hyrudines eiſdem venis validius applicitas, vel cucurbitulas coxis tantum, & partibus inferioribus appoſitas, & ſi cerebrum appareret repletum, internis narium partibus hyrudines adiũctas, illa ſeruata cautione, vt opportunè hæc omnia fiant. Hæc eſt eius ſententia de remedijs elicien dis ex Fonte chirurgico in peſtilenti febre, & hæ ſunt rationes, quibus in ea ſectionem venæ cõuellit, & reprobat, & ita quidem reprobat, vt eam peſtilentis morbi peſtilentem medelam decernat, ſed hæ quoque quas nunc ſubijciemus, erunt reſpõſiones infirmandis rationibus illis opportunę, quę rationes minus habent in receſſu, quàm in fronte promittant, ac tantum abeſt vt rem propoſitam aſtruant, vt cõtrariam potius diligenter examinatæ confirment. Non improbamus qualemcumque cautionẽ maiorem in ſanguine detrahẽdo prę cipuè in eo morbo, qui ad abolẽdas vires videtur maximè factus, ſine quibus qui vult ſanguinem mittere, vult ſine fundamẽtis ædificare, vult morbum quidem demoliri, ſed non aduertit vitæ ſe prius demolitionem moliri, ſed importunum etiam timorem laudare non debemus, qui nos faciat αἱμοφόβους, vt ſolet vocare Galenus vbi minus eſt opus. nam licet verum ſit illud præclarum Thucididis in ſecundo belli Peloponeſiaci documentum, ἀμάθεια μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, hoc eſt ignorantia quidem audaciam, diſcurſus autem facit tarditatem, & cunctationem, tamen verum etiam eſt illud Hippo

crati-

craticum in Libello Legis ἀπειρὶη δειλίης τὲ, καὶ θρασύτητος τιθηνὴ, hoc est imperitia est timiditatis, & audaciæ nutrix, vt timiditas impotentiam, audacia arguat inertiam. Non sit quidem audacia, quæ temeritatem in Medico inducat, & procliuem ad periclitandum faciat, sed non sit etiam inanis timor, qui à magnis remedijs auocet, & hæsitantem in operibus magna pollicentibus efficiat. Hic inanis timor dedecet maximè viros doctos, quo nomine & dignandum, si quis alius sit, & admirandum fatemur salium, doctissimorum scriptorum auctorem. Sed nollem tantam in eo cautionem apparere, vt ad minus necessariam timiditatem videatur accedere. Respondeamus ergo rationibus eius superius allatis in hunc modum. Ad primam quidem ex testimonio doctorum virorum deductam, qui nocuũ se hoc remedium in febri pestilenti expertos confirment, dupliciter respondemus, primo quidem tunc apparere nocuum remedium, cum est importunum, quod contingit cum adeo progressa est putredo, vt vires non sint euacuationi sustinendæ amplius aptæ, non futurum alioquin nocuum, sed vtilissimum, si opportunè fuerit adhibitum, secundo respondemus aliud contra argumentum paris vigoris opponentes, clarissimorum videlicet auctoritatem virorum, contrariam experientiam profitentium, & magnam à remedio consecutam vtilitatem affirmantium. Ad secundam ex virium languore venenatam qualitatem consectante sumptam dicimus ab initio morbi, in quo iuxta Hippocratis animaduersionem sunt omnia leuiora, non apparere istum languorem, quia nondum putredo inualuit, non dum tantas radices fixit, vt venenata inde profecta qualitas cum virium euersione excellat, & si fortè fortuna apparet vel ex magna vi ægritudinis, vel ex parua ęgroti (quod fieri interdum posse non diffitemur) tunc non datur venæ secandæ locus, non appellendus huic remedio animus, aliò conuertendus curationis conatus, irritus plerumq; & frustra susceptus futurus, cum de natura tantam à primordio labem experta tàm vehemens morbus videtur triũphaturus. Sed hoc raro contingit, & in solis naturis ferè contingit, quę à primordio vires sunt sortitæ languidiores, in reliquis inchoante febri virtus est adhuc ferendo propositam sanguinis missionem, tanto faciendam alacrius, quanto id commodi pollicetur certius, fore vt eius beneficio coerceatur putredo alioquin magis, magisque inualitura, compescatur cœpta phlegmasia febrilis, & propterea inhibeatur vlterior imminens virtutis casus. hæc namque cadit ob ingrauescentem vim morbi, ob incrementum putredinis, ob inualescentem ignei caloris impetum. At venæ sectio hæc omnia remoratur, & impedit. Vnde non valet instantia de consecuturo virium languore in febre pestilenti, in qua si non ratione præsentis imbecillitatis, ratione saltem futuræ ineuitabilis omitti debeat phlebotomia, non valet, inquam, hæc instantia, quia concedentes imminere hanc imbecillitatem, si morbus suos progressus efficiat, dicimus eandem impediri sanguine misso ob allatas rationes, vt hæc missio non debeat omitti, quia futurus sit languor virium, sed debeat vsurpari, quia cessurum ei sit, vel saltem remissionem subiturum omne vigens in ægritudine vitium. Non ergo deterreri debemus ab eo, quod sit futurum, sed statim

occurrere debemus, ne fit futurum, nec melius id præstare possumus, quàm huius remedij ope, magni in arte, & præsentanei à Galeno iure optimo nominati, cuius præsidio ardentissimas & extinxisse se febres, & quasi repente iugulasse gloriatur. Nec dicere oportet ab hoc censu subtractas esse pestilentes febres, quia Hippocrates documentum tradiderit de vena in morbis acutis aperienda, indicationes omnes ad hoc peragendum necessarias proponens, ab acutis autem morbis separauerit ab initio pestilentes, de quibus non veniunt intelligēda quæ de acutis sunt tradita, hæc mihi videtur inanis fuga, ac rationi adeo dissentanea, vt contrarium potius sit asseuerādum, tanto magis pestilentibus morbis congruere sanguinis detractionem, quanto ipsi acuminis vim præseferunt maiorem. nam, vt docet Galenus in tertij Epidemiorum commentario tertio, nomen morbi vel Epidemici, vel pestilentis nō denotat particularem aliquem, ac determinatum morbum, sed qualemcumque aut communitate, aut pernicie insignitum, vt communitas faciat Epidemicum, pernicies verò pestilentem, vt acutis, & quibuscumq; alijs accedens gradus perniciosus, ac læthifer eos efficiat pestilentes. Quæ veritas etiam innotescit apud eundem Galenum in commētario Proemij primi acutorum, vbi recenset quattuor genera morborum, Epidemicos, pestilentes, Endemicos, sporadicos, & vocat cum Hippocrate Epidemicos eos, qui vno tempore multos inuadunt, pestilentes eos, qui multis præterea sunt perniciosi, Endemicos eos, qui particularis regionis sunt vernaculi, sporadicos demum, qui dispersi sunt, & priuatim homines ex peculiari eorum diæta prehendunt. De quibus sporadicis affirmat institutum esse Hippocratis verba in illis acutorum libris facere, cum de Endemijs in libro de aere, & locis fecisset, de Epidemicis in libris Epidemiorum, ad quos etiā referebat pestilentes, de quibus ideo nullum peculiarem censuit librum conscribendum. Non separat ergo Hippocrates pestilentes ab acutis, nisi quatenus hos ibi considerat secundum simplex acumen, quod possunt habere etiam si fuerint sporadici, & considerat sine adiectione vel communitatis, vel perniciei, secundum quam adiectionem euadunt Epidemici, & pestilentes. Et regulæ de acutis traditę conueniunt etiam pestilentibus, qui ferè semper acuti sunt, vel saltem quando sunt acuti, quod est quasi semper, quia pestilentia non minuit, sed auget magnitudinem morbosam, & non solum adiungit necessitatem antidotorum adhibendorum pro compescenda virulēta qualitate, sed etiam remediorum magnorum pro infringenda morborum magnitudine. Inter quæ remedia magna cum præcipuum habeat locum venæ sectio, quomodo debuit eam Hippocrates à pestilentibus affectibus arcere? Quod qui affirmat, non animaduertit se contradicere Galeno, qui testatur pestilentes ab Hippocrate connumeratos fuisse inter Epidemicos, & in eisdem libris consideratos, & constat in Epidemicis laudatam ab eo fuisse sanguinis euacuationem super omnia auxilia non solum sponte naturæ factam, sed arte etiam paratam. Et quia asseritur præceptum de indicantibus phlebotomiam respicere dumtaxat morbos acutos, à quibus fuerant prius secreti pestilentes sub hoc ideo præcepto non comprehensi, iccirco optimū fuerit Hippocra-

pocraticam dictionem accuratius de nuo cōsiderare, quę talis est. In acutis morbis sanguinem detrahes, si vehemens morbus videatur, flerueritque ægrotanti ætas, & virium adfuerit robur. His verbis colligens Hippocrates ea omnia, quæ vel indicant, vel coindicant phlebotomiam, proponit magnitudinem morbi, florem ætatis, & constantiam virium, & applicat hæc morbis acutis, non vt propria ipsorum, sed vt communia omnium morborum, applicabilia tamen præcipuè acutis, vt præceptum Hippocratis sit communissimum quasi dicentis, vbicumque affuerint tres istæ condiciones propositæ, conueniet mittere sanguinem, & ideo in acutis, de quibus erat institutus sermo, hoc expediet facere; & aduertēdum quòd dicens Hippocrates, in acutis si fuerit morbus vehemens cū reliquis, videtur quodam modo nugari, vt in 1. lib. considerauimus. quia non est dare morbū acutū sine vehemētia vel ipsius Galeni testimonio sæpius affirmātis, & præsertim in cōmentarijs secundi Aphorismorū acutum morbum duas habere condiciones, vehementiā, & celeritatē, quarum altera si desit, desinit esse acutus, & ideo per primæ condicionis defectum diaria licet celeritatis plena non est ægritudo acuta, & per defectum secundæ non est acuta tabes licet vehementiæ referta. Ex quo patet Hippocraticum sensum fuisse ad communia indicantia directum, non ad propria acutorum, de quibus cum loqueretur voluit dicere tunc esse in eis aperiendam venam, cum affuerint tres propositæ condiciones, morbi vehementis, ætatis floridæ, virtutis constantis, quasi dicat, in acutis si præter magnitudinem morbi, quæ est ab eis inseparabilis, locum habuerint aliæ duæ condiciones, mittendus erit sanguis, vt hæ condiciones non educantur è natura acutorum, sed ex communi ægritudinum consideratione eductæ proponantur; & sic explicat locum Galenus in commentario, in quo testatur in hoc quasi oraculo Hippocratico contineri ea omnia, quæ faciunt ad insinuandam sanguinis missionem, & hæc affirmat habere locum non modo in acutis morbis, qui ibi nominantur quia ibi considerantur, sed etiam in longis, & cronicis, in quibus possunt pariter adesse relatæ condiciones ad phlebotomiam impellentes. Hæc sunt Galeni verba. Quod porrò in fronte dictionis dictum est, In acutis morbis sanguinem detrahes, vt consideretur est dignum. Sed quomodo longorum morborum non meminit? Quoniam sanè de acutis nunc docet, atque ob id solos eos memorauit. Nempè & ex longis multi sunt qui sanguinis egent detractione, cum & hi dictis tribus subiaceāt scopis. Quæ si ponderasset verba salius, non ita arguisset, Hippocrates dat præceptū mittendi sanguinis in acutis si cōcurrant tres scopi, sed ab acutis sunt distinctis pestilētes, ergo nō dat preceptum de pestilentibus. Inanis omnino argumentatio, nec rationi consentanea. nam possemus hoc etiam pacto nos arguere. Morbi longi sunt distincti ab acutis, ergo præceptum non complectitur longos. Probabilior foret hæc argumentatio, quia longi distinguuntur ab acutis natura, & indole, pestilentes distincti fuerant consideratione sola, eandem cum acutis naturam subire nati. At hanc argumentationem falsam esse decernit Galenus præcepti communitatem ostendens omnia morborum genera complectentis, in quibus ille scoporum ter-

narius appareat, quia non quatenus talis,vel talis morbus indicat hoc remedium,sed quatenus his tribus scopis comitatus, Qui cum apparere etiam possint in febribus pestilentibus, cur non facient inditam sibi, propriamq; indicationem? quæ magnitudo ægritudinis potest hic desiderari? quæ potest ætas excludi? quæ virtus non potest hic inueniri? non est eundum inficias, hanc non semper subesse, sed non est tamen concedendum hanc semper languere, quia nil vetat hominem corripi febre pestifera, qui tamen ob propriæ naturæ robur,& ob ęgritudinis nondum confirmatæ inchoamentum bonum retineat virium tonum, facili negotio, si omittantur magna remedia, dissoluendum facili, etiam negotio, si adhibeantur, conseruandum. Cur ergo non debent adhiberi,si adsunt propositi scopi,& quãdo adsunt? Cur ab euentu nec perpetuo, nec necessario deducitur argumentum? Cur id, quod est accidentarium trahitur in examẽ quasi fuerit essentiale?, quasi consequatur naturam mali quatenus ipsum? Quod fieri sæpe debet, vt omittatur sanguinis euacuatio ob apparẽtem virtutis infirmitatem, cur semper fieri iubetur, cum non semper hæc metuenda infirmitas habeat in ęgro veritatem? Nec semper est præsens hæc tanta imbecillitas, nec semper est pertimescenda in futurum, quinimò expectanda fuerit eius aduenturæ inhibitio, si congrua statim adhibeatur curatio à magnis præsidijs petita, & præcipuè à venæ sectione, quæ calorem igneum remittendo, serpentem putredinem compescendo, & vlterioris obstructionis ansam adimendo impedire potest futuram alioquin imbecillitatem. Quã quia non censuit Galenus necessarium in his febribus habere locum, ideo non possumus dicere eum abhorruisse ab hoc remedio, cuius omissionem si laudat in febribus illis pestiferis in libro de cibis boni, & mali succi nominatis factam, summa cum ratione id facit, quia corpora erant corruptis humoribus refertissima ob assumptorum in annonæ caritate ciborum prauitatem contractis, vigebat extrema in eis cacochymia, qua vigente in nullo morbo sanguis detrahi debet, vt supra considerauimus, quia secum trahit virium nedum infirmitatem, sed prostrationem, Vnde Galenus addit rationabiliter abstinuisse Medicos ab hoc remedio in illis febribus, quia vires erant iàm resolutę. In quarum tanta resolutione quis audeat venam tundere, & si tundat cur doleat mortem obrepere? Nec in pestilenti solùm, sed in qualicumque affectu hac mole comitato corruptorum humorum, hac resolutione languentium virium incongrua foret, & omnino importuna hæc medela, alioquin vtilissima futura, si licuisset per vires. Quod videtur eo loci innuere Galenus consilium Medicorum laudantis qui in febribus illis remedium omiserunt magnum, & magnis morbis conueniens ob additam completæ cacochymię vires destruentis conditionem, quæ si abfuisset, nulla fuisset prætermittendi remedij occasio, vt hic Galenus appareat potius venæ sectionis laudator, quam redargutor, quod etiam animaduertit, & affirmauit Erastus. Nec verum est Galenum in consideratione harum febrium non meminisse huius præsidij, quia apertè meminit in quarto decimo Methodi, & in commentarijs tertij Epidemiorum, vt supra diximus, & has ad methodum illam communem redigendas censuit, quã

traditam legimus in vndecimo Methodi de vena aperienda in febribus omnibus, quas putris humor accendit, dum modo necessarij supperant scopi, quod innotescit ex Galenicis verbis in tertio de præsag. ex pulsib. quibus affirmat se in febriū curationibus de omnibus etiam pestilentibus disputasse, siue separatim visum fuerit, siue in Methodo medendi tractare; vt hinc pateat nō esse illas à communi illa Methodo seuocandas, quia possunt & ipsæ habere congruentes, & simul concurrentes tres illos mittendi sanguinis scopos, nec illa insignis viriū imbecillitas est necessaria soboles febris pestilentis, quà pestilens est, quippe consectaretur omnem pestilentem, quod claro euentu refellitur, & consequitur interdum ex peculiari causa accidentaria, vt contigit in illa febre pestifera ex annonæ caritate, in qua vires erant infirmæ, & quasi prostratæ non ob pestilentem constitutionem, sed ob insignem cacochymiam nihil ferè bonę alimoniæ in visceribus relinquentē. Nec valet argumentum deductum ex eo, quòd Galenus docens huius præseruationem febris missam faciat, tacitamque prætereat phlebotomiam, quia in primo illo de differentijs febrium casū inciderat in examen febris pestilentis, cuius originem edocens, & causam à magna putredine profecta proponens satis habuit theoriticam doctrinam tradere, nec debebat ad praxim accedere, nisi quædā summatim attingens ad exactiorem notionem conducentia, vt fecit humorum expiationem, & vniuersi corporis accuratam exiccationem commendans, & ad alia alibi tradita febrium præsidia reuocans, quibus verbis libros Methodi insinuauit, & præsertim vndecimū communia putridarum febrium curandarum dogmata continentem. Satis habuit communes pestilentis scopos memorare, nec materias eorum absoluendorum debuit adiungere parum proposito sermoni accomodatas, multum omnibus in arte vel mediocriter versatis notas, & facili negocio inueniendas. nam si expedit corpora valdè exiccare, nulla opportunior, nec tutior exiccandi via, quàm à sanguine detracto petita. Ad considerationem illam de febri Critonis, & aliorum ibi enumeratorum ægrorum, non fuisse pestilentem, quia fuerit sub tempestate frigida, & sicca, respondemus nil modo nos dicere nū sub hac tempestate gigni potuerint pestilentes morbi verè dicti, illud addidisse contentos, quod satis, superque est nostro proposito, fuisse illas febres pestilentes priuatim dictas, quas vocare solet Galenus pestilentes sine peste, vt patet in tertio de præsag. ex pulsibus, & in tertio commentario tertij Epidemiorum, quæ febres non proueniunt ex causa cōmuni, qualis est ambientis aeris natura, sed ex peculiari cuiusque diæta, cuius vitio fit, vt insignem subeant corruptionem humores, & pestilentem ægritudinem inferant, vt in appendice libri de natura humana consideratum legimus. Talis ergo fuit febris Critonis, qui ob hanc etiam causam tàm sæuis conflictatus est morbis, & tàm repentinam obijt mortem, obrepere nequeuntem nisi ex deterrima, & omnium pessima febre, vt constat vel ipsius Hippocratis testimonio in libro Prognosticorum ita clamantis. Febres simplicissimæ, & signis securissimis comitatæ quarto die, vel etiam ante desinunt. Malignissimæ verò, & signa habentes grauissima quar-

quarto die, vel ante quartam occidunt. Vocat Hippocrates simplicissimas, & securissimis signis comitatas febres, quæ desinunt ante quartam, malignissimas, & grauissimis præditas signis eas, quæ ante hanc diem occidunt, quia vterque euentus prouenit à more ipsarum febrium, cuius moris habenda maior est ratio, quàm vel speciei, vel magnitudinis, vel motus febrilis, vt abundè docet Galenus in 2. de crisibus, at in primis bonus est mos, in secundis deterrimus, vt ideo primæ sint benè moratæ, & benigniores, & salubres, secundæ autem malè moratæ, & malignissimæ, & læthales, nam symptomata indicant naturam moris, & veluti si ab initio appareant leuia, arguunt bonum morem, ita si ab initio grauissima, indicant morem pessimum, quia vis quædam infertur cōmuni morborum naturæ, & quasi indoli, cuius proprium est habere circa principium omnia leuiora. At Critonis febris tanto fuit malignior, quanto fuit ad occidendum celerior, vel ipso secundo die mortem inferens, Quā vnde deducere possumus nisi ex pessimo morbi more in pustulis circa talum nigris, in ferina insania ex confluente ad cerebrum materia, in puris, & sinceris excrementis multis biliosis per aluum relucente? Quæ considerans Galenus ita decernit in commentario illius Historiæ. Æger hic dignus est vt memoria teneatur ob mortis celeritatem. Copia multa fuisse videtur, quam natura à principibus partibus ad crus reycere cupiuit, cum autem pars ea superfluum omne excipere nequiret, quod reliquum erat in caput ascendit, quodque malignum hoc esset, vehementem desipientiā procreauit. Argumentum malignitatis superflui erat, quòd pustulæ nigræ super talum fierent. Quid dici potest clarius? non semel, sed bis vocat affectum malignum Galenus, primo in malignitatem refert vehemens illud, & effatu dignum delirium in ipso morbi insultu molestum, quod esse non poterat, nisi materia in cerebrum progressa multæ fuisset compos malignitatis, mox huius vim confirmat vlterius ex pustularum nigrarum super talum eruptione, quæ pustulæ erant soboles sanguinis fæculentioris, & apprime corrupti, & erant cancrosæ affectionis æmulæ, & virulenta illa tubercula imitantes, quæ cum feruida febri coniuncta diximus à Galeno in decimoquarto Methodi considerata. Quis ergo non agnoscit malignitatem euidentem, & summam, si non ex communi causa, ex propria saltem Critonis dispositione prodeuntem? Quomodo hanc negare salius audet? non potest ad solam copiam, & prauitatem simplicem recurrere, quia non fuissent symptomata tàm sæua, non irruisset mors tàm festina, copia, & prauitas habuerunt comitem magnam corruptionem, eximiam putredinem, & fuit peccatum in quanto, & quali, & maius in secundo, quàm in primo, quia symptomata non fuerunt propria multitudinis, sed memorabilis prauitatis, & corruptionis, à qua præcipuè manat ipsa malignitas, & vnde etiam fit vt decretoria appareant non decernentia, quippe decretoria apparent ob naturæ irritationem, à materia venefica factam, euadunt non decernentia ob eiusdem naturæ succumbentiam, ac triumphantis morbi victoriam. Iure ergo admiratur Galenus, cur Critoni non fuerit sanguis detractus sic dicens. Admiratione dignum quidnam

nam causæ fuerit, cur Homini huic non statim incipiente morbo secta fuerit vena, sed non ignoramus Hippocratem ad plurimos, quos scripsit, ægrotantes iàm morbo progresso accitum fuisse. Conueniebat hic secundum Galenum sectio venæ, quam non adhibuit Hippocrates, quia non fuit opportunè accersitus. Non abhorret Galenus ab hoc remedio in malignissima febri, imo in hoc solo ostendit potuisse locari aliquam spem salutis, nec deterretur à malignitate vrgente, nec à futura virium imbecillitate, quia sperabat hanc vsu remedij potuisse impediri. Quis non videt quanta sit consecuta infirmitas, cum secundo die mors obrepserit, & non ex oppressione materiæ, sed ex malignitate? Et Galenus tamen censet potuisse, ac debuisse adhiberi phlebotomiam, quia hæc inhibuisset consecuturam infirmitatem ab initio adhibita priusquam morbus inualuisset naturam oppressurus. Ac propterea ait, quod statim ab initio morbi oportebat sanguinem mittere, vt in primo insultu magnum remedium retunderet magnum morbi impetum, nec aduentare fineret consecuturum virium casum. Non ergo pertimescenda in morbis illa virium venit infirmitas, quam impedire possit expectanda remedij vtilitas. Hoc est artis munus, obluctari morbo iuxta Hippocr. dictũ, & præsidiorum ope eius cohibere progressum. nam, vt inquit ille, & Medicus de Vlceribus iudicans futurũ prædicet, quæ serpent, quæ putrefactionem facient, & de Metallis dici potest, Magnes ferrum trahet. vtrumque enim si suæ naturæ relinquetur, & ignorentur impedientia, vim exercebit suæ naturæ propriã, & primam. Sed vlcera nec serpent, nec putrefactionem facient, si contraria curatio accesserit, nec Magnes trahet ferrum, si Magneti allium fuerit illitum. hæc quippe est indoles, & auxiliorum proprietas malos auertere morborum euentus, in illorum defectu consecuturos. Hoc igitur statuendum etiam de febri pestilenti, quod, nisi obuiam sit magnis remedijs itum, suas exeret proprietates, vires labefaciet, ac pessumdabit, hanc verò noxam arcebit forsan ab initio vsurpata sectio venæ, Quæ si in Critone fuisset hoc pacto adhibita, mortis loco contigisset forsan victoria optata. Quod fuisse videtur Galeni placitum, aliter non facturi phlebotomię mentionem, quam numquam adhibet deploratis morbis soli prognostico relinquendis. In casu etiam Calui in commentario tertio tertij Epidemiorũ descripto affirmat Galenus se non posse conijcere num missus ei fuerit sanguis, cum ex vna parte credi possit, quatenus Hippocrates testatur nil eum ex oblatis adiutum fuisse, & inter oblata possit etiam venæ sectio recenseri, ex alterá non possit, quatenus delirauerit, ac tribus diebus obierit, vt prætermissa auxilia videantur. Ex quo Galeni scribendi modo colligimus, quod supra tactum fuit, ex remediorum omissione sæpe mala inualescere, & obitum afferre, & in hoc etiam casu congruam fuisse sanguinis missionem, cuius administratio poterat salutis spem impertiri, & fuit tamen febris etiam illa malignissima, & sęuissimis symptomatis comitata, vt nullus superfit dubitãdi locus, quin Galenus in hoc febrium genere phlebotomiam apprimè laudauerit, & vnicum ferè auxilium, in prima tamen morbi inuasione adhibitum, existimauerit. nam sunt hæ febres e-

nu-

numero pestilentium ex priuata ægrorum constitutione subeuntium non vulgarem humorum, sed excellentem, & immodicam putredinem, quæ licet non communicetur semper humoribus cordis, quos non est semper necessarium in pestilenti putrescere, impertitur eis tamen virulentum quendam omni tempore carecterem, vitalis auræ præcipuum hostem. Talem fuisse etiam Mulieris apud Tisamenum decumbentis febrem concludere debemus, cum id non solum ex aliorum acerbitate symptomatum, & mortis celeritate, sed præcipuè ex refrigeratione extremorum adiunctam vrinarum prauitatem habente videatur innotescere, nec oportet confugere ad acumen morbi illius, quem vocant Ilæum, quia clara est Galeni auctoritas hunc in commentario sensum repudiantis, & horum prauitatem symptomatam ad veram malignitatem referentis. Sic enim ait. Ileus vocatur affectus, cuius symptomata mulieri fuisse scribit, multos vomitus, & potus continere non posse, & dolores circa hyppocondria esse, & tormina cum doloribus in ventre, quæ omnia cum Ileosis simul sunt. Quòd autem deinceps scripsit, non est eorum, quæ simul cum ipsis existunt, sed eorum, quæ in malignum tendenti superueniunt affectui, & maximè summas partes esse frigidas perpetuò. Prauum est & anxium esse. Præterea, & vrinas adscripsit, quamquam affectus in veris, & humoribus non esset, sed in intestinis. Quæ vltima Galeni verba non insinuant venas, & humores fuisse immunes (quomodo enim fuissent vrinæ illæ, illa anxietudo, illa extremorum refrigeratio?) sed primarium, & originarium affectum pertinuisse ad intestina inflammatione affecta, vt consecuta febris haberet rationem quasi symptomatis affectũ intestinalem consectantis, sic tamen vt vtrobique magna se proderet malignitas. In hac igitur muliere considerat Galenus non fuisse factam venæ sectæ mentionem, illam conuenisse sic insinuans, & hoc remediũ numquam ab Hippocrate memorari memorans, nec aliud vllum, nisi cum raritatem quandam, & insuetam rationem contineat, vt contigit in Anaxione, cui octaua die fuit sanguis detractus, raro in tàm magno morbi progressu detrahi solitus; quasi velit dicere Galenus in reliquis omnibus magnis affectibus vel sectam fuisse ab initio, vel secari debuisse venam suppositis supponendis. Quam sectionem non possumus dicere omissam ab eo fuisse vel in præseruatione, vel in curatione febrium pestilentium, quia in vtroque casu inclusit non solum ob generalem regulam de putridis traditam in Vndecimo Methodi, ad quam redigendas censuit etiam pestilentes, sed etiam quod præseruationem docens, implicitè saltem sanguinis detractionem insinuauit, & docens curationem explicitè proposuit, vt patet in commentarijs Epidemiorum, in quibus fatetur considerari pestilentes febres, & in Quartodecimo Methodi. Nec Auicennæ benè infirmatur auctoritas ex eo, quòd non debeat præponderare rationi, & veritati, quia ostendimus iàm nec rationem, nec veritatem contrarium suadere. imo Auicennæ decreto consonare, Auicennæ, inquam, non malè Rufum, Aetium, Paulum consectantis, quasi ipsi de sola præseruatione locuti fuerint, non de curatione, quia non dixerim modo eadem esse remedia præseruatorial, & curatoria, vt ostendit Galenus in libello

de

de phlebotomia, sed illud potius non tacuerim, de ipsa curatione fieri ab illis auctoribus verba sanguinis missionem laudantibus, vt innotescit diligenter attendenti, quod obseruauit etiam Erastus. Vnde mirandum non est si Auerroes quoque in amplexando remedio concors fuit cum eo, quicum libentissimè quærit omne dissidium. Nec Græcos modo sectati in hoc sunt Arabes, sed Latinos etiam, inter quos Celsus, vt diximus, vnicum pestilentis febris remedium in phlebotomia ferè collocat, & soranus eam ad præfligandas pestiferas valetudines optimam iudicat. Ad distintionem inductam febris pestilentis in actualem, & potentialem dicimus in prima ostensã esse conuenientem phlebotomiam, in secunda etiam eandem conuenire, nec esse impedimenro respectum virium lapsurarum ob superuenturum gradum virulentum, quia sectio venæ potest cohibere huius gradus aduentum, inhibere hunc virium casum. Quem casum virium considerans Trallianus, in artis operibus versatissimus, & cautionis amicissimus, de curatione febrium continentium loquens, dicebat festinandam esse sanguinis missionem, vbi conuenit, quòd in omnibus morbis, sed præcipuè in continentibus incõmodissima fit dilatio, febribus vehementioribus redditis, dum putredo augescit, & vires imbecilliores fiunt, vt quæ febrium magnitudinem non amplius ferre possint, nec amplius magnorum presidiorum aliquod ad curationem admittere queant. Præclara nimirum vox, & optimi consilij plena, festinationem remedij carpere suadens ad impediendam virium labem, quæ si ex magnitudine febris concidunt, ex eiusdem remissione resurgunt, & hanc remissionem pollicetur præpropera remedij cura, vt consideratio imminentis virium casus non dehortandi, sed cohortandi ad phlebotomiam habeat magnum momentum, siue febris pestilens fuerit manifesta, siue occulta siue ex principio externo, siue ex interno orta. De remedijs loco phlebotomiæ suffectis, hirudinibus nempè circa venas hæmorhoidales, & cucurbitulis circa partes infernas scatificatis, hoc non omiserim dicere, neminem esse sanæ compotem mentis, qui hæc debeat remedia arguere à veteribus omnibus commendata, ratione suffulta, experimento confirmata, qui non debeat his manũ dare si non datur secandæ venæ opportunitas, sed cõsiderandum venit hæc esse remedia vicariam operam præbentia, nec rationi consonum esse, dimisso remedio principali, accedere ad ea, quæ vicem principalis gerunt, quia tunc non seruatur inter magnitudinem morbi, & remedij proportio, quam esse accuratè seruandam auctor est nobis Hippocrates in libro de locis in Homine sic dicens, omnia medicamenta sunt quæ præsentem statum dimouent, valentiora autem omnia immutant. licet autem, si quidem velis medicamento transmouere, sin minus, cibo. ægrotanti verò omnia è præsenti statu dimouere opem fert. nisi enim quod morbũ facit dimoueris, augetur. In morbis debilibus medicamẽta natura valentia minime sunt exhibenda, neq; imbecillitas medicamenti paucitate metienda est, sed in valẽtibus natura valentibus medicamentis vtendum, debilibus verò non valentia medicamenta danda, neque medicamentum transmutandum est, sed singulis secundum suam naturam exhibendum, ita vt debilibus quidem debilia natura medicamenta

exhibeantur, valentibus verò morbis valentia natura medicamenta. Magnum est, & diligenter attendendum hoc Hippocratis documẽtum, in quo sunt plura memorabilia, illud primum, quod omnia quæ vim habent præsentis status dimouendi, dicuntur medicamẽta, quasi artis Medicę præsidia, siue medelæ, non solum si ad pharmaciam pertineant, sed etiam si ad chirurgiam, atque adeo diætam, alterum memorabile est, quòd omnia, quæ vim habeant immmutandi, debent esse valentiora, alioquin non immutant, sed relinquunt statum præsentem in peius ruiturum, non enim immutant quem non vincunt, nec vincunt eum, quo non sunt valentiora. Tertium adiungit quòd hæc immutatio potest fieri non solum medicamento, sed etiam cibo, quando scilicet morbus est leuis, nec magna exigitur vis ad immutàndum. Quartum est, expedire in ægrotante omnia dimouere, quia ægrotantis, vt ægrotans est, omnia sunt præternaturalia, & hæc sunt immutanda, si enim persistant, & non remoueantur, morbi succedit incrementum, quod nos supra considerauimus tamquam rem maximi momẽti, non debere omitti remedia vim immutandi morbi habentia, ne morbus inualescens vires acquirat eundo, Tandem proponit proportionem inter morbum, & remediũ seruandam, vt debilibus morbis debilia medicamenta aptentur, valentibus valentia, nõ debilibus valentia, valentibus debilia, quia prima fuerint superuacanea, & maiorem in ægrotante motum, quàm fit opus inferent, secunda verò fuerint irrita, & nullam præsentis status immutationem inuehent. nã qui possint immutare si non sint valentiora, & qui possint esse valentiora, si sint debilia? Talia sunt remedia ad pestilentem febrem relata, hirudines in venis hæmorhoidalibus, cucurbitulæ scarificatæ in partibus infernis, quia non confertã faciunt, nec vberem euacuationem, qualem morbi dictat magnitudo, sed diminutam satis, & tollendæ totius plenitudini parum aptam, & hæmorhoidum apertio non multum arridet Galeno vbi quis non fuerit illi euacuationi assuetus, & cucurbitulæ scarificatæ videntur ei non tàm ad vniuersum corpus euacuãdum, quàm ad partem subleuandam accomodatæ, & sine præcedenti euacuatione totius malè tutæ. Sed has missas rationes faciamus, quicquid illæ habeant momenti, in hac præcipuè vim constituamus, quòd leuia, ac debilia sunt remedia, & à phlebotomia multum distantia. Neque verò hic aliquis debet Galeni verbis inniti in quarto de sanitate tuenda, vbi dicere videtur, si vitiosus humor sit cum sanguinis copia, aut vena incidenda, aut aliquid, quod tantumdem valet, agendum. Sanè tantundem possunt, hæc: quibus hæmorhoides sunt retentæ, si has emiseris, si mulieri menstrua consuetudo cessauit, hanc prouoces, si quibus horum nihil est, si malleolos scapello incidas. His verbis, quasi hæc auxilia phlebotomiæ paria facientibus, non potest quis inniti, quia mala est latina versio, & à contextu græco admodum aliena, in quo legimus, ει μετὰ πλήθους αἵματος, ἤτοι φλεβοτομητέον, ἤ τι τῶν ἀναλόγων τῶδὲ πρακτέον. ἀνάλογα δ' ἐστι ταδὶ. Quæ verba sic veniunt vertenda. si cum copia sanguinis, vel secanda vena, vel quid eorum quæ sunt huic analoga, faciendum. Analoga autem sunt hæc. Non dicit

cit ergo Galenus hæc tantundem valere, & equare vim phlebotomię, sed habere analogiam, & proportionem cum ea, at proportio admittit inæqualitatem, vt solet dicere Aristoteles in libris de animalibus spinam in piscibus esse analogam ossibus in terrenis animantibus, quis audeat autem spinam facere ossi parem? sic idem Philosophus in æthicis affirmabat alias esse amicitias æqualitatis, alias proportionis, vt per primam amici sint pares, per secundam valdè dispares, vt patet in amicitia inter Dominum, & seruum intercedente. Habent ergo remedia hæc non vim parem, sed proportionatam con disparitate coniunctam, vt omnia euacuent quidem sanguinem, sed non omnia æqua ratione, sed phlebotomia validè, reliqua auxilia enarrata debiliter. Quam debilitatem cum hæc retineant, non sunt magnitudini morbi accomodata, quia non vincunt, nec possunt statum immutare, vt dicebat Hippocrates, in cuius doctrina, vt vidimus, non possunt vocari vera medicamenta quæ non sunt valentiora, & vim retinent vincendi. Esto igitur vtrumque propositorum remediorum laudabile, ac tutum in pestilenti febre, negare hoc nemo poterit esse vtrumque inualidum, nec propositam in curatione metam attingere. Quod clarissimè explicuit Celsus hæc de cucurbitulis etiã scribens libro secundo. Conuenit cucurbitula in acutis quoq; morbis quibusdam, si & leuari corpus debet, & ex vena sanguinem mitti, vires non patiuntur. Idque auxilium vt minus vehemens, ita magis tutum. Neque vmquam periculosum est, etiã si in medio febris impetu, etiam si in cruditate adhibetur. Ideoque vbi sanguinẽ mitti opus est, si incisa vena præceps periculum est, aut si in parte corporis etiam vitium est, hùc potius confugiendum est; cum eo tamen, vt sciamus, hic vt nullum periculum, ita leuius præsidium esse, nec posse vehementi malo nisi æque vehemens auxilium succurrere. Ex quibus celsi verbis multa colligimus, primo cucurbitulam conuenire quidem in quibusdam morbis acutis, sed conuenire, cum per vires non est licitum sanguinem mittere, 2. esse quidem remedium tutissimum, sed parum vehemens, & ad illud confugiendum duplici in casu, vel cum sectio venæ est plena periculi, vel cum est vitium in parte corporis, vt hoc pacto innuat hoc sibi remedium non arridere nec cum vti licet phlebotomia, nec cum vniuersi corporis est affectio, postremo suum de remedio promit iudicium, tantum ei demens efficaciæ, quantum addit securitatis, & in vehementi morbo æque vehemens auxilium requirens. cuius vehementiæ cum sit cucurbitula expers, non multum potest in magno morbo præstare opis, eo solùm nomine non omittenda, quòd melius est aliquod tentare præsidium, quàm nullum. Quod oribasius etiam expressit octauo. Medicinalium collectionum ex Apollonio in hunc modum de scarificatione loquente. optimum sanè præsidium est tum ad conseruationem sanitatis, tum ad eiusdem recuperationem, vbi ipsa deprauata fuerit. Nemo tamen phlebotomiam à me explodi suspicetur. ego enim illam in maximis, periculosissimisque affectibus non omitto, in quibus sanè abunde, affatimque sanguinem mittere est opus. nam proinde vt affectus sunt vehemẽtes, ita


quoque affatim vacuationes facien dæ sunt. Plethoram autem commoderatam, quæ aliquid mali factura sit, ac iàm conuersionem in morbosum statum attingat, tibia, quæ sacrificationibus vexata fuerit, innoxiamque totam, quam volumus, sanguinis illigationem reddiderit, citra validam totius molis commotionem, soluit. Sic Oribasius cum Apollonio laudat scarificationes, vt longè præferendam assumat Phlebotomiam, quam in maximis, & periculosissimis morbis sibi familiarem esse testatur, & rationem adiungit à proportione remedij cum morbo deductam, quia in morbo magno sanguis sit copiosus, & affatim effundendus, alioquin non immutat corpus, nec innouat statum, quod in magnitudine morbi faciendum venit. At in modica plenitudine, quæ vel minatur morbum, vel vix inchoauit, scarificatio potest supplere, soluens plenitudinem, subleuans naturam, & ita in curatione potius proponitur phlebotomia, in præseruatione scarificatio (contrarium autem asserebat Ialius) & valdè rationabiliter proponitur, quia veluti difficilius est pellere hostes Vrbem ingressos, quàm arcere obsidentes, ita maioris est molis morbum factum profligare, quàm imminentem inhibere, & maiori machina est opus ad vincendum morbum inualescentem, quam vix incipientem, quippe in hoc omnia sunt leuiora, & morbi ab initio suæ inuasionis sunt veluti arbusta vix è terra erumpentia, sed suæ confirmationis tempore sunt instar arborum homines operientium, & claras suæ naturæ significationes dantium, vt eleganter in tertiodecimo Methodi considerauit Galenus. Ex his apparet adductas superius rationes solui facilè posse, nec excludendam esse in pestilentibus febribus phlebotomiam, sed vsurpandam cum licet per vires, quod licere interdum dubitauerit nemo vel mediocriter in artis versatus operibus, si nulla interponatur mora, sed in prima febris inuasione remedium obeatur priusquam febris magnitudo virtutis inuehat paruitatem, nam cum virtus languet, stulti, fuerit venam tundere, prudentis fuerit ad cucurbitulas scarificatas, ad hirudines hæmorhoidibus appositas, tutissima omnium remedia, confugere, quæ nos remedia nec reprobamus, nec reprobantes non reprobare possumus, imo volentes, ac lubentes frequentissimè in vsum curandorũ ægrorum reuocamus, illud tantum astruere voluimus, venæ sectionem, si non est in morbis pestilentibus semper facienda, non esse tamen semper omittendam, imo dari non infrequentem eius celebrandæ occasionem, & hinc maiorem expectari, quàm vel ex cucurbitulis, vel ex hirudinibus opem, quod & rationum ostendit claritas, & auctorum docet auctoritas, & experimentorum confirmat vtilitas. Illa tamen placere debebit cautio, vt indicationi sanguinis minuendi non per solam venam sectam, quam vires commodè permittant, satisfiat, sed per adiectas etiam hyrudines, vel cucurbitulas, vt si euacuanda veniat libra sanguinis, bipartita fiat euacuatio partim per venam sectam, partim per alterum remediorum analogorum absoluenda, ac tanto absoluenda tutius, quanto vel per hirudines, vel per cucurbitulas spirituum dissolutio fit obscurius, & post remedium vniuersale, quod habet rationem potius

par-

partialis adhibetur conuenientius.

De Vsu Medicamenti vt remedij præseruatorij.

CAPVT XX.



AD prohibendum cõfluxum humorum, obstructiones efficientium diximus requiri euacuantia, inter quæ principem sibi locum vendicat venæ sectio, quæ omnes æqualiter humores e venis educit, nec solum euacuando iuuat, sed etiam reuellendo, & impetum confluentium humorum retundendo. Hanc eandem vacuandi operam præstat etiam medicamentum, quod peccantes humores per aluum potest, per vrinam, per sudorem, atque adeo per vomitum, si ad illum sit propensio innata, expellere, vt docet sæpius in vndecimo Methodi Galenus. Ac de medicamento quidem aluum ducente illud primum considerandum proponit, quòd cum plerumque acrimoniam habeat, vimque retineat calefactoriam, & exiccantem, hoc nomine euadit suspectum, ne febrem augeat, eiusque calorem conduplicet, quia Galeni tempestate non erant nota placidiora hæc medicamenta leniendi vim habentia, refrigeratoria potius, & humectantia, quàm calefactoria, & exiccantia, quæ ex fælici Arabum inuentione in vsum vtilissimum sunt reuocata. Hinc in commentarijs quarti acutorum idem Galenus affirmat Hippocratem proposuisse ad ardentes febres curandas lac asininum coctum, quippe qui calidiorem, acrioremque pharmacorum facultatem pertimesceret. Vnde etiam factum est à Galeno, vt ad moliendam etiam ventris euacuationẽ cremori ptissanæ, aquæ mulsæ, oximeliti, alijsque id genus dederit manus, & aluo his non obtemperante, ad placidum clysterem accedendum proposuerit, validiorem pharmacorum vim veritus. Qui quidem si nostrorum lenientium suppellectilem habuisset paratam, non recusasset certè ea interdum vti ad ciendam aluum, deturbandasq; crudiusculas materias in primoribus vijs existentes, & huius placidæ moliendæ euacuationis indicationẽ præbentes. Ad implendam euacuationis placidæ indicationem licet præcipuè accedere in febribus intermittentibus, vel etiam his, quæ in continuitate endosin habent talem, vt solet vocare Galenus, vt agnoscant intermissioni propemodum parem, in quibus non ita vrget minuendi sanguinis indicatio, quin liceat interdum præponere lenientis medicamenti exhibitionẽ. nam licet Galenus afferat in commentario primo in sextum Epidemiorum, cum opus est vtroque remedio, phlebotomiæ videlicet, & pharmaciæ, inchoandum esse à primo, id tamen intelligendum venit in relatione ad medicamentum purgans, cui præponenda est venæ sectio, nullius indiga præparationis, concoctionisue in humoribus euacuandis, quæ præparatio, & coctio necessaria est, vt ostendimus, pharmaco purganti, & à remotis corporis partibus trahenti, non necessaria, sed superuacanea lenienti solas primas vias ab infestis excrementis expianti. Hoc ergo poterit aliquando præponi phlebotomiæ, cũ materia nempè excrementitia primores obsidens ductus vrgendo indica-

dicabit, nec temerè tamẽ ad hæc vel lenientia medicamẽta accedendũ, sed memoria semper retinendum Hippocratis documentum in libello de medelis purgantibus asserentis in febribus continuis vel expectanda parum manifestam remissionem, vel diei saltem quartæ decimæ egressionem antequam pharmacum propinetur. nam etsi de purgantibus ibi est sermo, tamen in vsu etiam lenientium magnitudo febris magnam exigit cautionẽ ob æstum febrilem negocium facessentem, & motum medicamenti labefactantem, & in contrarios interdum euentus deducentem, Vnde Auicennas in prima Fen Quarti Canonis ad dicendum fuit inductus, suspecta se in his febribus habere vel leuissima medicamenta, & magis amare clisteres, habereque magis amica enemata. Cuius dicti illud forsan fuit occassio, quod Hippocrates considerat in libro de locis in Homine, incertos esse, planeque ancipites medicamentorũ in humano corpore motus, vt sæpe irrita fiant quæ multũ debent mouere, sæpe multũ moueant quæ vires videntur imbecilles præferre, sæpe alimenta induant naturam medicamentorum, medicamenta vim alimentorum. Quò respiciens quoque Cornelius Celsus dixit in secundo libro, Quæ medendi causa reperta sunt, nonnunquam in peius aliquid conuertunt, neque id euitare humana imbecillitas in tanta varietate corporum potest. vt in varietatem corporum, difformemque semper dispositionem referat Celsus varietatem effectuum, difformemque euentum à medicamentis prodeuntem. Quæ quidem dicta non tardum, nec hæsitabundum, sed cautum reddere debent Medicum in propinandis etiam lenientibus cuicumque febricitanti, præsertim si febris continua fuerit, quoniã iuxta Hippocraticum dictum nihil temerè, nihil negligere, & cautum reddere debent non tàm in prima lenientis exhibitione, quæ in primo morborum insultu solet esse familiaris, quàm in illa eiusdem repetitione, quæ in eorundem morborum progressu, in ipso incremento, in ipso statu febrium solet à multis vsurpari, singulis ferè tribus diebus aliquid vel cassiæ, vel lenitiui, vel alterius medicamentis similis exhibentibus, quam consuetudinem miris ad cœlum extollit laudibus Argenterius in commẽtario vigesimi quarti Aphorismi primę particulę. & hoc quasi medendi arcano mirificas à se curationes gloriatur perfectas. Non mihi est animus consilium hoc suscipere confutãdum, est animus tamen fateri illud esse mihi valdè suspectum, quia videtur Hippocratis menti repugnare in secundo Aphorismorum iubentis mouere inchoantibus morbis, si quid videatur mouendum, quiescere in eorundem consistentia, & vigore, ne distrahatur natura, & auocetur ab ea, quam tunc temporis molitur, humorum concoctione, in qua præcipua residet salutis spes, nec mihi dicat aliquis mouere esse proprium eius, qui vel sanguinem detrahit, vel pharmacum purgans exhibet, quia ego etiam dicam quiescere esse proprium eius, qui nihil agit, sed feriatur ab omnibus, nec vel ipsis vtitur lenientibus, quæ possunt interdum non leuem excitare, nec expectatam commotionem, vt sæpe docuit euentus, nec fidendum est exiguæ remedij quantitati nullam alterationem allaturæ, quia, vt ait Hippocrates loco illo de locis in homine, imbecil-

litas

litas medicamenti paucitate metienda non est, pro varietate corporum, magno interdum medicamēto nullum motum, pauco econtra magnū excitante, vt ob hanc causam præter clysteres omnia etiam leuissima lenientia Auicennas habuerit suspecta. Ac si vera fatenda sunt, vt obseruari aliquando cum aliquo ægrorum emolumento hanc medelam fuisse seruatam, ita frequentius animaduerti non leuem hinc iacturam esse profectam præcipue in vigente febrium feruore, cum natura summam aliunde requirit quietem, vt suam perficere possit alterandorum humorum commotionem, & quam sibi libuerit moliri, eam absoluere valeat morbificæ materiæ administrationem. Cautionem igitur lenientium quoq; consulimus, non eorundem omissionem, & veluti eorum vsum etiam repetitum interdum laudandum censemus, ita nimis familiarem, & sine præmeditatione factam exhibitionem suspectam habemus, vt vniuersum hoc negocium prudenti medentis iudicio sit relinquendum. Nunc à leniente ad purgans medicamentum transeamus. Hoc sectionem venæ consequitur, vt diximus, quia præcedentem exigit præparationem, coctionemq; humorum minus in mittendo sanguine necessariam, hanc, inquam, exigit præcedentem, nisi vrgeat materia turgens, irrequietoque impetu hàc illàc delata iuxta monitum Hippocratis affirmantis in celebri aphorismo primi libri concocta medicari oportere, non cruda, neque in principijs, nisi materia turgeat, quę plerumque non turget, vt ideo attendenda, expectandaque sit concoctio, vt parata, beneque disposita ad exeundum materia purgetur adminiculum præbente natura morbificæ materiæ dominata, eamque arbitratu suo dirigente: nam crudior existens irritatur frustra, magnoque ægrorum detrimento commouetur, & conturbatur sine vllo quæsitæ expulsionis fructu. At materia turgens, inordinatoque motu varias corporis partes quasi furibunda impetens quàm celerrimam exposcit purgationem, vt ansa dematur imminenti discrimini, ne in aliquod nobile viscus impingat, eique effatu dignam labem inferat: nam furentem quis possit coercere hominem nullius regulæ capacem, omne imperium detrectantem? Hunc redolet materia turgens, & vocatum à græcis orgasmum præseferens, quia hunc etiam non licet compescere, & a præcipiti, plenoque minarum cursu reuocare. Verum bono humanæ naturæ fato contingit, vt non frequens sit hic furor, & quasi rabidus humorum impetus impetum animalium æmulatus, quæ Veneris æstro accensa in Venerem effrænata ruunt, quorum furens incitamentum lepidè apud Platonem in conuiuio describit Diotima. Hinc factum est, vt Hippocrates in Aphorismis dixerit in acutis passionibus raro, & in principijs medicamenta purgantia esse adhibenda, idque cum præmeditatione faciendum. nam cum in altero aphorismo dixisset cōcoctam solum materiam esse expurgandam, non crudam, neque in principio, nisi turgeat, & addidisset plurimam non turgere, huncque turgentiæ casum esse infrequentissimum, voluit in hoc quasi colligere in acutis passionibus raram esse purgantis exhibitionem in principijs factam, quo tempore viget materiæ cruditas, quia rara est eius turgentia, quæ facit vt non expectata coctione purgemus,

gemus, quę turgentia quoniam propria est acutorum morborum, & a longis aliena, ideo in acutis solis propè relinquit ansam purgãdi in principio longis denegatam, sed in acutis etiam prudenter, & cum præmeditatione pertractandam, quòd in materia etiam furente attendendus sit, & pro virili procurandus qualiscumque apparatus, vt in illius aphorismi commentario plenè declarat Galenus. non enim admittenda Argenterij medicamentorum amicissimi expositio existimantis morbos dumtaxat longos sub regula concoctionis ad purgandum expectandæ fuisse ab Hippocrate comprehensos, inde autem acutos exceptos, in quibus frequentem suadeat in principijs purgationem etiam non præsente humorum turgentia, non est, inquam, admittenda nõ solum quia Galeno contrariatur, quem absque dubio verisimilius est Hippocraticam olfecisse mentem, verum etiam quia ratio, quæ materiam crudam ostendit purgationi ineptam, non minus in acutis, quàm in morbis viget longis, & nullam aliam dedit exceptionẽ Hippocrates, nisi a materiæ turgentia petitam, quę turgentia cum non soleat in longis, sed in acutis affectibus vrgere, non facit in illis, sed in istis exceptionem, & quia rara est hæc furentis materiæ occasio, rara etiam est in acutis facta ab initio purgatio, cui etiam accedere debet accurata præmeditatio. nam tanti facit Hippocrates actiones exercere in subiectum benè dispositum, & cauere a male parato, vt vel in ipsa humorum turgentia, cuius tamen est maximum momentum, prudentem præmeditationem requirat, quia philosophicum est Theorema a Galeno in primo de symptomatum causis, & de differentijs febrium confirmatum ad promendos effectus non tàm vim principij efficientis, quàm patientis habilitatem valere. Maneat ergo inconcussa hæc Hippocratica, & Galenica simul doctrina pulcherrima non esse purgantibus attingendam materiam, quæ cruditatem includat, & turgentiam excludat, vt cruditas auocet à purgando, turgentia alliciat, quippe quæ non sinat coctionis expectare opem, & festinare non lentè, sed festinanter cogat ad cauendam nobilis membri ab irrumpente materia noxam.

Hanc eandem indicationem, quam præbet turgens, insinuat etiam virulenta, & venefica materia, quia si turgens excitat ad purgandum quatenus lædere potest partes præcipuas, quanto magis excitare debet venefica, quæ actu lædit? In materia morbifica vel consideras cruditatem, vel furorem, & virulentiã. Cruditas retrahit à purgando, quia actus benè exercentur solum in subiecto benè disposito, furor, & virulentia inuitant ad purgandum, vt imminens grauissimorum symptomatum arceatur periculum.

Præclarè Hippocrates in libro de Arte cum Nautis comparat Medicos, nam veluti illi in tranquillo maris statu expeditam habent nauis gubernationem, oborta verò tempestate acutam adhibere coguntur solertiam, ita hi in morbis facilibus & in quiescente materia coctionem expectante facilem habent medendi progressum, in morbis implicatis, & materia vel furente ob turgentiam, vel venefica ob prauitatem aliquid agentes vel periclitari inducuntur. Quoniam igitur humorum furor, & virulentia plus valent indicando, quàm cruditas prohibendo, purgationi in succis

tur-

turgentibus, & veneficis opportunus conceditur locus. nam dum Hippocrates in turgentia clarè concedit, multo magis in venefica qualitate insinuat concedendum. Hinc Galenus in octauo Methodi fuit auctor in grassante pestilenti maximum attulisse commodum tum vomitionem, tum adhibitam purgationem. Non arrisit hæc sententia Celso, qui pestilentis febris curationem explicans in hac minimè vtile dixit vel fame, vel medicamentis vti, vel ducere aluum. Quasi monere voluerit magnam esse habendā rationē feruidi caloris in pestifera febri lancinantis, & partes saltem internas exurentis, magnam virium à magnitudine morbi aut deiectarum, aut facili negotio deijciendarum, magnam cruditatis in quiescentibus humoribus vigentis. Quæ omnia à propinando pharmaco prudentem Medicum videntur auocare. Nec dubitandi relinquitur locus solerti hic opus esse iudicio. Comparanda vis indicantis cum vi prohibentium. materia venefica indicat, prohibet magnitudo febris, virtus interdum inualida, cruditas humorum: si plus habet momenti materia indicando, quàm cætera prohibendo, purgatio obeunda, si econtra, dimittenda. Galenus quidem respexit magnam actiuitatem veneficæ materiæ, quam non vehementissima febris comitetur, non insignis virium languor, quippe vrgente febre, & flammeam quādam caliditatem præferente nec in ipsa turgente materia tutam autumat purgationem, vt patet secunda Aphorismorum particula, vbi turgentibus humoribus applicandam purgationem suadet vel prima die, vel saltem altera antequam febris magnum accipiat incrementum, quasi innuere velit à magno febrili calore vsum purgantis prohiberi. Quo non extante impedimento cruda etiam materia in corpore ad suscipiendam purgationem accomodato, quod quale sit in prima aphorismorum particula explanat Galenus, si vel turgeat, vel venefica admodum sit, potest salua methodo purgari. Quibus Galenicis inhærens vestigijs fidissimus eius interpres, & consectator Auicennas quarta Fen primi Canonis in pestilentium febrium initijs, quando humores à sanguinis recedentes natura peccant, præcipit purgationem. Quàm si non velis nomine vacuationis vndequaque laudare, non possis tamen reuulsionis nomine auersari, vt venefica, virulentaque qualitas à præcipuis auocetur visceribus, longiusque trahatur. Hoc quidem reuulsionis nomine in alijs etiam casibus licet interdum ab initio purgare, quia non solum in confluxu inordinato, & furente humorum varias partes petentium, sed in ordinato etiam, ac definito vnicam dumtaxat partem occupantium, & ad vnicum membrum confluentium, qualis est casus excrementorum ad excitādam, augendamque pleuritidem repentium, in quo quidem Hippocrates secundo acutorum libro vsum veratri à primordio proponit, si dolor non ad clauiculam tendat, sed hypocondria infestet, ad reuellendam materiam ab incepto in thoracem confluxu, & per conuenientes vias à natura tentatas pharmaco deducendam. Galenus quidem parumper in hoc ab Hippocrate dissentiens in hoc etiam casu sanguinis missionem præposuit vt remedium ad faciendam quęsitam reuulsionem accomodatius, medicamenti incertitudinem, turbationemque veritus, & fe-

bris vehementiam pleuriticos conflictantis, quæ non tàm respexit in suo decreto Hippócrates, quàm inclinationem, propensionemq; peccantium humorũ, cui magis conuenire videatur purgatio, quã sanguinis missio, quæ solam ferè fluentium humorum facit retractionem, purgatio verò non fluentes solum, sed ad fluendum etiam paratos euocans melius compescit fluxionem humorum præcipuè suo pondere deorsùm tendentium, suaque natura malè phlebotomiæ, per bellè pharmaciæ motum consectantium. Verum nec ipse Galenus respuit, nec damnat purgationis remedium in conferta concursione succorum ad inflammatam partem impetu quodam ruentium. non solum enim in pleuritica inflammatione id genus medelæ permittit, sed in ea etiam, quæ fauces occupat, & anginam constituit, vt patet in sexto de compositione medicamentorum secundum loca, & in ophtalmia, magnaque oculorum inflammatione idem se purgationis remedium adhibuisse magno cum ægrotantium emolumento in decimo tertio Methodi fatetur, in quo etiam libro à nullis ferè inflammationibus etiam inchoantibus, dum corpus prauis sit humoribus plenum, & febris præsentia exercitationis, vel balnei administrationem inhibeat, aliquam saltem purgationem alienam existimat. Qui memor huius placiti in decimo quarto eiusdem Methodi vehementem quoque erisipelatosam inflammationem ante repellentium appulsum purgando curat, veritus in pleno corpore ipsam repulsionem, ne ad nobilissimum viscus repulsa materia impetum habeat, & veluti missionem sanguinis in phlegmone, ita purgationem in erysipelate magis conuenire arbitratus. Hinc potest colligi fuisse Galeni mentem non modo in motu ordinis experte, furorisque pleno, quem seruent humores turgentes in omnia membra propensi, & omnibus noxam minitantes, sed in motu etiam eorundem ordinato ad partem quampiam determinatam pro inflammatione adaugenda delatorum conuenire ab initio purgantis interdum operam. Verum hic insurgens aliquis dixerit Galenicam in hoc doctrinam Hippocraticæ repugnare, cum Hippocrates in Quarto acutorum apertè clamet ea, quæ inflammantur, inter initia morborum non esse medicamento tentanda, quòd ab inflammata parte nil dematur non cedente, nec obsequente quæ adhuc cruda est, affectione. At nodum hunc non est difficile soluere. nam, vt docet Galenus in decimotertio Methodi, in his, quæ adhuc suam habent generationem, inflammationibus duo præstare tenemur, sanguinem scilicet, qui iàm confluxit, & parti est impactus, euacuare, & confluxurũ, & ad partem inflammatam progredientem compescere, & coercere. Primum ergo sanguinem, qui parti iàm videtur impactus, non possumus medicamento eximere, sed aperientibus, ac digerentibus auxilijs hic venit educendus sed existentem in fluxu, & fluxioni paratum commodè possumus pharmaco euacuare, & sic inflammationis incrementum impedire. Apparet ergo medicamentum conuenire ex Hippocratis, & Galeni doctrina non solum cum materia est cocta in progressu morbi, quo tempore purgandum esse nemo diffitetur, ne humorum in morbis reliquiæ faciant quas solent facere offensiones, sed etiam aliquandò in cruditate materię, & in

prin-

principio morborum, cum ea scilicet habet insigne vitium vel in qualitate, vel in motu, in qualitate, si fuerit valdè virulenta, & venefica, in motu, si turgeat, & in partes omnes rapido, inordinatoque motu feratur, vel etiam non turgens ad partem aliquam determinatam tendat, & effatu dignam inflammationem excitet. Ad quam præcauendam adhibent hi Medicinæ Coriphæi aliquam saltem purgationem, si non omnibus numeris expletam. nam celebre Herophili dictum non est à ratione alienum, vt fatetur etiam Celsus in Epistola ad Callistum, medicamenta Deorum immortalium manus esse, quia quod diuinus tactus efficere potest, id quasi præstant medicamenta vsus experientia comprobata, Quem euentũ in propositis præcipuè casibus cum magno ægrorum periculo coniunctis solemus animaduertere. Verumtamen cum magna præmeditatione qualiscumque purgatio molienda, quia imparatam, & adhuc rebellem materiam dum moues rem arduam tentas, & repugnanti naturæ molestam vim infers. Et quoniam infrequẽtes sunt propositæ occasiones, & raro contingunt, & cum contingunt, apud multos clarissimos viros remanent controuersæ si non omnes, aliquæ saltem, ideo infrequentius in morbis inchoantibus purgare debemus, vt monuit Hippocrates in Aphorismis, & annotat vrgens Galenus in commentarijs, cum sit Hippocraticum consilium inchoantibus quidem morbis mouere si quid videatur mouendum, sed cum duplex fieri possit motus, alter per venam sectam, alter per pharmacum, huius postremi adhibendi infrequentem, esse occasionem, vsumque rarissimum idem auctor decernit. Quod quidem præcipuè veritatem habet in curandis febribus, quarum vehementia, & magnitudo suspectam semper facit purgationis administrationem ob ipsius medicamenti acredinem, & caliditatem exaggerandæ febri opportunissimam, qua ratione motus Galenus in principio pleuritidis non libenter accedit ad propinandum pharmacum etiam dolore ad Hyppocondria vergente, sed sanguinis detractionem amplexatur libérius, vt superius diximus, & ob eandem causam affirmat in quarto de victus ratione auctorem lactis asinini vsum proposuisse, ne calido pharmaco vrgentem ardentis febris feruorem conduplicaret. In quo quidem vniuerso libro purgantium operam in febribus præcipue parum ab initio laudatam legimus; quasi vrinarum maturationem, cui potissimum sit incumbendum, impedituram, ideoque post morbi vigorem, & post diem saltem quartumdecimum differendam. nam verissimum est illud, quod libro tertio ait Celsus, Antiqui medicamentis quibusdam datis concoctionem moliebantur, eò quod cruditatem maximè horrebant, deinde eam materiam, quæ lædere videbatur, ducendo sæpius aluum subtrahebant. Ex quibus apparet verbis præcessisse secundum antiquos remedia concoctoria, & preparatoria, successisse euacuatoria, & hæc fuisse potius placidiora, & per vices ad aluum subducendam repetita, vt in cruditate materiæ non purgarent, eiusque maturitatem expectarent. In quem finem auctor quarti acutorum illud memorabile tradidit documentum. Quibus principio vrinæ & nebulosæ, & crassæ existunt, hos annuentibus cæteris purgare conuenit. Quòd si vrinæ inter ini-


tia tenues fuerint, tales non purgabis, at si videatur, clysterem exhibebis. Tales autem ita curare confert. Corpus quieti permittere, vngere, & æqualiter contegere oportet, mulsamque aquosam bibendam, & ptisſanæ cremorem sorbendum dabis. Ventrē ab initio clystere duces, sed medicamenta purgantia non admouebis. Nempe si ventrē moueris, vrina non maturabitur, febrisq; citra tum sudorem tum iudicationem in longū protrahetur tempus. In cuius dicti explicatione pulchrè ostendit Galenus cur ad faciendam coctionem quiete sit opus, & commotio omnis, & agitatio contrariam vim exerat. Quam quidem doctrinam his esse admodum consentaneam, quæ ab Hippocrate tradi asseruimus in libello de purgantibus medicamentis, dubitauerit nemo in eius lectione versatus. nam ibi in febri continua, & magnitudinem aliquam habente detestatur purgantia, eorum caliditatem, agitationemque pertimescens, vel saltem non nisi post quartam decimam diem, remisso iàm febris impetu, adhibenda censet, intereaque blandis clysteribus aluum subducendam, illud adiungens, quòd carnes febricitantium, & ventres ab initio medicamentum ad se trahunt, vt nulla consequatur purgatio, magna consequatur flammei caloris amplificatio. Trahūt carnes febricitantium medicamentum, quia feruent tunc temporis, & æstuant, & proprium est caloris attrahere, vt docet Galenus in decimo tertio Methodi, & veluti maior flamma trahit ad se minorem, ita carnes illæ calidiores ad se trahunt medicamentum non tanta caliditate præditum, hincque febrilis fit caloris exaggeratio, quia adiunctum est igni pabulum, & ignis agitatione accipit incrementum. Quæ ne contingant suadet senex diuinus purgantium fugam, & clysterum administrationem tamquā tutissimam inculcat, vnde etiam Galenus in vndecimo Methodi, vt supra annotauimus, in febribus blādos clysteres pharmacis præponendos existimat; hisque inhærens Auicenna vestigijs non solum purgantibus, sed lenientibus etiam medicamentis, vt diximus, eos præponit. Quod verum putandum est de febribus continuis, & non vulgari magnitudine prȩditis, in quibus omnis à medicamento excitata agitatio esse potest suspecta, & minus, quàm clysteres, tuta; nam in his, quæ vel intermissionem, vel magnam remissionem habent, adhiberi etiam à primordio potest lenientium exhibitio, præcipue vbi in primoribus vijs magnus adest excrementorum prouentus, qui cito veniat eximendus, nē vlterius permeans, per venosumque genus perreptans infestas iàm obstructiones augere possit, quod superius fuit à nobis animaduersum. In quo etiam conspicua apparet præseruatoria medicamenti facultas. In quo casu ante sanguinis etiam detractionem accedimus ad medicamen exhibendum, quod in quarto acutorum post eam vsurpandum monebat auctor, quia ipse de purgante loquebatur, nos modo loquimur de leniente temporibus priscis ignoto, quod præponi interdum potest phlebotomiæ, quando febris non vrget magnitudo, & magis vrget in primoribus vijs existens materia excrementitia, quæ per solum educi clysterem non potest, & maius aliquod præsidium exposcit. Verum quærere possit aliquis, si pro purgante propinando expectanda est humorum concoctio, & febris appa-

apparens remiſſio, nec ante hoc tempus licet purgare, niſi aliquando in propoſitis caſibus, idque cum magna præmeditatione, qui tamen caſus ſunt infrequentes: quid opus eſt tunc purgare, cum facta ſunt omnia mitiora, cum febris vigor euanuit, cum iàm affulget dominantis naturæ victoria, quæ certam, & pollicetur, & præſtat ſalutis ſpem, vt docet Galenus in libris de criſibus? ex dictis ſuperius colligitur dubitationis ſolutio in eo poſita, quòd purgatio fit ad abolendas morbi reliquias, vnde pernicioſæ conſueuerunt excitari interdum recidiuæ, ad expellendam materiam concoctam, quæ non eam gratiam à natura ſuſcepit, vt poſſit partes nutrire, & in alimoniam faceſſere, ſed eam ſolam, vt ſit ad expulſionem parata, expellentique naturæ à medicamento præſertim adiutæ obedire prompta, vt in commentarijs ſecundi acutorum oſtendit Galenus, non tàm ad tollendam febrē præſentem, quàm ad inhibendā imminentem à noua putredine excitandam, quia, vt ſuperius cum eodē Galeno explicauimus, qui febrem curat, non id modo, quod eius accenſum eſt, reſpicere debet, ſed id quoque, quod mox accendi poteſt, cuius qui magnam non habet rationem, inanem molitur, planeque voti expertem curationem. Quapropter ſæpe docuit euentus ob omiſſum in febricitantibus ad meliorem iàm frugem redactis medicamentum, ob neglectam materiæ morbificæ ſuam coctionem adeptæ indicatam è corpore expulſionem, non ſolum noua morborum incrementa eſſe conſecuta, ſed celeres etiam miſerorum ægrotantium mortes. nam veluti in arte militari non ſatis eſt Imperatori, ſeu cuicumque Duci hoſtes compeſcuiſſe, ſed ad omnimodam ſecuritatem onus incumbit vt de medio tollat, quia hoſtes ſuperſtites licet infracti noua ſemper in hoſtium perniciem moliuntur machinamenta: ita in arte Medica non ſufficit Medico peccantes humores cohibuiſſe, & coctionis quodam quaſi fræno coercuiſſe, ſed conuenit etiam vndequaque è corpore deturbare, in quo nō poſſunt quieſcere ſine magno nouæ putredinis periculo. Hinc factum eſt, vt in ſecundo Aphoriſmorum dixerit Hippocrates, quæ relinquūtur in morbis poſt iudicationem recidiuas facere conſueuiſſe, vt non ſolum in remiſſione morborum, ſed in facta etiam iudicatione, quæ tāquam imperfecta reliquias humorum adhuc reliquerit, purgandum hominem cenſeat. nam has neceſſarium eſt, vt declarat in commentario Galenus, tempore putreſcentes febres accendere, quia omnis humor alienus, à natura Corporis, in quo continetur, aptus natura non eſt ad eius nutritionem, & in poſterum neceſſario in putredinem vertitur, præcipuè ſi in loco calido contineatur, quia ab innato calore potuit quidem vinci, ſed non poteſt ab eodem contineri, potuit vinci ad expulſionem, non poteſt dirigi ad conuerſionem, potuit ſubtrahi dominio caloris putredinoſi, non poteſt ab eodem ſeruari tutus. Non omittenda ergo purgantium medicaminum ſuo tempore cura, in quibus tamen adhibendis placidiora ſunt ſeligenda, & cum lenientibus coniungenda, vt magis caueatur omnis caloris febrilis exacerbatio, & cum minori ſuccorum perturbatione neceſſaria obeatur expiatio, quæ præclarum eſt putridarum febrium præſeruatorium præſidium.

Purgantia placida pro varietate humorum euariantia omitto tamquã notissima, ac tanto magis omitto, quòd vniuersalia persequi, non multum particularibus addictus, cogito.

De Præparantibus, & concoquentibus pro purgatione efficienda.

CAPVT XXI.



X supradictis constare potest materiam morbificam raro esse purgandam, nisi cocta sit, atque adeo præparata. nam, vt supra cum Galeno diximus, ad producendum effectum non tàm valet efficacitas causæ efficientis, quam dispositio causæ materialis, vt non tàm respicere debeamus vim medicamenti purgantis, cuius ope calor innatus insurgit ad expellendum, quam dispositionem humoris, corporisque purgandi, sine qua irritus plerumque euadit omnis conatus susceptus ad purgandum. Concoctionem insinuauit Hippocrates, vt diximus, quando in celebri illo aphorismo decreuit concocta medicari oportere, non cruda, neque in principijs, nisi materia turgeat, præparationem autem, quando in alio aphorismo dixit corpora ante purgationem fluxilia esse reddenda. non enim idem est præparatio, & concoctio, vt aliqui ad pauca respicientes facilè enuntiarunt, Sed valdè inter se differunt, magnoque distincta sunt interuallo. Quod luce clarius monstrant hæc Galeni verba in libro de artis constitutione. Quod in naturalem statum redire potest, contrarijs alterare oportet; crassum, & viscosum attenuando; tenue incrassando, & communiter vtraque concoquendo. Ex quibus nimirum verbis elicitur aliud esse humorum præparationem, aliud concoctionem, & præparationem quidem in eo residere, vt quæ crassa sunt attenuentur, quæ tenuia incrassentur, qnia hoc pacto tollitur immoderata illa secunda qualitas crassitiei, vel tenuitatis, quæ facit eos rebelles ad suscipiendam concoctionem, cuius ope facilem subeunt, expeditamque purgationem. Præparatio quidem est opus magis artis, quam naturæ, concoctio contra opus magis naturæ, quam artis, quia præparatio fit per incidentia, attenuantia, incrassantia, aperientia; concoctio autem fit per calorem innatum roborantia, qui calor innatus temperat, & moderatur, vt oportet, crudos existentes humores, & ad meliorem, quàm fieri possit, magisque naturæ consentaneam redigit frugem. Præparatio quidem duo præstat, vt docet Galenus in explicatione commemorati aphorismi de corpore fluxili ante purgationem efficiendo, alterum pertinet ad humores euacuandos, alterum ad partes, per quas fieri debet euacuatio. Humores namque qua tenus crassi veniunt attenuandi, quatenus viscidi incidendi, vt impertitam à medicamẽto commotionem suscipere commodè possint, aliquando etiam tenues incrassandi, si præ tenuitate effugiant impulsum, vt contingit in catharris tenuissimis, qui præ nimia sui tenuitate tussientis conatum reddunt irritum; partes autem corporis, per quas facienda est euacuatio, disponendæ sunt meatum obstructione, & qualicumque occlusione sublata, vijsque conuenientibus reserratis, vt propellendis humori-

moribus expeditus pateat aditus. Hæc est fluxilitas corporis, per quã excrementa facilè fluunt, & ratione suæ substantiæ, & ratione spatij, per quod veniunt euacuanda, hæc est opportuna præparatio humorũ euacuandorum, sine qua inanis est, planeque temeraria omnis de purgando suscepta cogitatio. Nec sufficit tamen hæc in humoribus inducta dispositio, & in meatibus corporis patefacta progressio, quia adhuc humores licet attenuati, & incisi, & qualicumque ratione præparati, patentibus etiam vndique meatibus omnibus, possunt esse naturæ expulsionem tẽtanti rebelles, adhuc non parum contumaces, eiusque nutui repugnantes. Quæ contumacia, & repugnantia debet tolli, debet inseri obedientia, promptaque ad naturales motiones obsecundatio, quod quidem, & promittit, & præstat concoctio. hæc enim vt docet in tertio de crisibus Galenus, in hoc consistit, vt natura vincat, ac dominetur humoribus, eorumque impetũ retundens, & qualemcumq; proteruiam compescens sibi faciat captiuos, & omnino obedientes, quippe non amplius alieno calore directos, & administratos, sed naturali triumphãte, & arbitratu suo omnem succorum prauorum sarcinam deponente. Non facit quidem hæc coctio, de qua nobis est sermo institutus, vt cocti succi euadant ad nutriendum apti, quia hæc nutriendi facultas non competit, nec impertiri potest alijs, quàm cibali substantiæ, non competit excremẽtitiæ seu biliosæ, seu melancolicæ, quæ tantam recipere naturæ gratiam non potest, vt alendis partibus euadat idonea, cũ à cognatione partium sit aliena, illam tantum recipere valet, vt non amplius naturæ dirigenti repugnet, non amplius contumaciam præferat, sed obediens, naturalique obtemperans nutui appareat, vt prima coctio alimentis debita moram in corpore inducat, & conuersionẽ in membra alenda, secunda verò coctio prauis humoribus aptata egressionem potius è corpore faciat, membraque reddat ab onere molesto immunia, vt alimentorum coctio vnionem quærat, excrementorum coctio ad separationem tendat. Hanc excrementorum coctionem perbellè expressit Galenus in secundi acutorum commẽtarijs asserens vtramque bilem cum suis ichoribus aliter dici solere coctam, quàm pituitam. & crudum quemcumque succum, quoniam hi quidem humores alterari adeo possunt vt cocti dicantur ad alimoniam faciendam, quam commodè ab eis præstari posse declarant libri de naturalibus facultatibus, at biliosi, ichorosique succi semper manent alimoniæ dissentanei, & nutritioni inepti, & hanc solam subeunt coctionem, quòd à natura extant victi, & quasi domiti ad omnimodam obedientiam, non amplius repugnantes, nec refractarij, vt prius, innato calori, sed ei tamquam domino, omnemque victoriam adepto succumbentes, vt non propria, & vera, sed vniuersaliori, & quasi metaphorica quadam coctionis nomenclatura videantur donati. secundum quam metaphoricam appellationem aliquando Hippocrates vocauit etiam morbos coctos eos, qui in temperamento præter naturali consistentes processu temporis ad meliorem quandam temperiem rediguntur, & in hunc sensum in sexto Epidemiorum dixit, Morbos synthropos idest connutritos in senecta

definere coctione, solutione, rarefactione, in cuius dicti commentario annotauit Galenus calidos morbos, vt cephaleas calidas, tolli posse ex aduentante senectutis refrigerio cõtrarij rationem habente, & hunc solutionis modum ex senis temperatura factum partes subire πεπασμῶν, idest concoctionum, significante πεπασμῦ deductionem omnem, quæ in mediocrem fiat temperiem, vt de concoctis ostensum est fructibus. Quo fit, vt apud Hippocratem, & Galenum triplex extet coctionis ratio, prima quidem proprijssime dicta, quæ nil aliud est nisi adeptio in materia alimentali formæ accomodatæ ad alendum, & hæc coctio propriè vocatur à Græcis πέψις, aliẹ duæ Metaphoricè dictæ, quarum altera est progressio ab intemperie ad meliorem quandam temperaturam, altera verò est in materia excrementitia qualitatis inductio ad obediendum dominanti naturæ dispoNentis, & hæ duæ pertinent ad pepasmum superius nominatum, inter quem, & coctionem propriam vocatam πέψιν hoc intercedit discriminis, vt ostendit Galenus in commentario secundo primi Epidemiorum, quod pepasmus respicit ea, quẹ sunt præter naturam, vt sunt morbi, & morbificæ causæ, pepsis autem complectitur ea, quẹ sunt secundum naturam, cum hẹc coctio fit in coquentis substantiam deductio quædam eius, quod coquitur. At in reliquis duabus coctionibus Pepasmi nomine insignitis quæritur potius separatio à substantia coquentis, quia in vna quæritur separatio temperaturæ morbosæ, in altera dispositio ad expulsionem materiæ excrementosæ. Omnis coctio fit à dominio caloris innati, sed euariat pro varietate rei concoquendæ, quæ vel est amica, & cognata naturæ concoquentis, & subit rationem veræ coctionis, vel inimica, & aliena, & solius metaphoricæ coctionis est compos. Sed quoniam hẹc quoq; dominium arguit, & victoriam caloris insiti, ideo hæc quoque & attendenda, & exoptanda. Vnde Hippocrates dixit in primo Epidemiorum concoctiones exeuntium omnes, omni ex parte tempestiuas, vel bonos, & iudicatorios abscessus considerare oportet, cuius pręcepti rationem reddens subiungebat, concoctiones celeritatem iudicij, & securam sanitatem ostendunt. Quod ideo affirmare pro comperto potuit, quia dominantis naturæ victoriam cum futura semper salute coniunctam insinuant. Hãc excrementorum coctionem in libro de veteri Medicina ob oculos nobis posuit idem Hippocrates catharralem fluxionem appellans coctam ex eo, quod pristina tenuitate, & affluentia deposita, consistentiam quandam, ac moderationem acquisiuerit, & defluentes lachrimæ nec ita sint vberes, nec ita permaneant tenues, quales erant prius, sed parciores, & crassiores appareant tamquam à natura victæ, ab innatoque calore directæ. Hanc eandem coctionis doctrinam explicatam apud Aristotelem habemus in quarto Meteorologico, vbi cum definuisset coctionem perfectionem à naturali, proprioque calore ex oppositis passiuis factam, quæ sua cuique materies existunt, subiunxit coctionis finem alijs naturam existere, quam naturam veluti formam, essentiamque diximus, alijs ad quandam subiectam formam contendere, vbi scilicet humor, qui torrebatur, vel elixabatur, vel putrescebat, vel alio quouis modo incalescebat, talis, tantusque euasit, tunc enim & vti-

vtilis, & concoctus dicitur, vt mustum, & collectiones tuberculorum iàm suppuratæ, & lachrimæ, cum sordes in oculis obortæ sunt, aliaque similiter. Quæ omnia dicuntur cocta, cum materies, & humiditas victa fuerit, regimenque acceperit à naturali caliditate impertitum. In quo regimine fit vt omnia euadant crassiora, & calidiora, crassiora quidem quia humidum ex multo fit paucum, ex tenui fit crassum, calidiora autem, quia omnis hæc elaboratio soboles est vigentis, dominantisque caloris. Huius ergo duplicis finis in coquendo propositi primum quidem, qui ad consecutionem nouæ formæ pertinet, referre ad alimenta præcipuè debemus, secundum autem, qui ad subiectam quandam formam contendit, & solam humidi in quanto, & quali correctionem, moderationemque inuehit, ad excrementorum potissimum qualemcumq; perfectionem dirigere possumus, in quibus licet non fiat vera coctio, fit tamen quædam rectificatio per humidi incrassationem, ac diminutionem à vigente, vincenteque calido innato profectam, nã humores etiam, qui sui natura sunt sicciores, vt bilis, & melancholia, ratione adiunctæ putredinis, vnde pendet eorum præcipua cruditas, immoderatiori scatent humiditate, coctionis beneficio corrigenda. Ex qua coctione ipsi quoq; dicuntur nancisci perfectionem, partim quia putredini subtrahuntur, partim quia legi naturæ subduntur, quippe meliori obedire est suam condicionem reddere meliorem.

Quæ coctio quia semper non solum caliditatem vlteriorem (naturalem intelligere debemus) sed crassitiem etiam maiorem comitem habet adiunctam, promit se vel in hoc à præparatione humorum distinctam, quandoquidem per hanc non semper, imo raro inducitur crassities maior, imò sæpissimè tenuitas maior procuratur, vt supra diximus, sed per coctionem omnia semper fiunt crassiora, vt non solum Aristoteles commemorato libro ostendit, sed Galenus etiam in libris de crisibus, & in commentario secundi acutorum confirmat. Nec tamen in ipsa succorum crassitie consistit coctionis modo considerata essentia, sed est ipsa crassities qualitas coctionẽ consecuta, coctio verò in ipsa victoria caloris innati residet, in ipso dominio, quod in succos à se deuictos natura exerit, & exercet, vt quia victi, ideo cocti, & quia cocti, ideo crassi, vt victoria sit causa coctionis, coctio verò crassitiei. Præparatio procedit plerumque attenuando, coctio semper incrassando, præparatio relationem maiorem habet ad medicamentum, coctio ad calorem innatum, præparatio facit vt humor sit dispositus sequi motum medicamenti, coctio vt sit paratus sequì nutum naturæ, pręparatio facit humorem fluxilem, coctio obedientem. Posset esse fluxilis, & rebellis tamen, ideo subigendus, domandus que venit per coctionem, vt obtemperet dirigenti, expellentique naturæ, sed cum fluxilis est, nec rebellionem, & contumaciam præfert, in eo expurgando non debemus coctionem expectare, vt de biliosis tenuissimis succis, quales sunt potissimum ichores biliosi, decernit Galenus in libello Quos, quando, & quibus purgare oportet. Ex dictis patet materiam vt crassam indicare attenuantia, vt viscidam detergentia, vt iunctam cum occlusione meatuum aperientia, vt nimis tenuem interdum incrassantia, vt demum cru-

dam concoquentia, & sunt omnes indicationes præseruatoriæ potissimum, quia licet etiam curationem respiciant, ad præparandam pertinent, disponendamque materiam pro expulsione, ad tollendum confluxum humorum obstruentium, ad demendam transpirationis prohibitionem, ad compescendam putredinem. Indicationibus attenuandi, detergendi, aperiendi, interdum etiam incrassandi satisfaciunt medicamenta peccantes humores hoc modo præparantia, quorum vberrimam siluam habemus, & naturam in Quinto simplicium explicatam à Galeno legimus, & varietatem pro varietate parandorum humorum adhibemus. Indicationi concoquendi satisfacit maximè calor innatus his præsidijs, quæ ipsius corroborandi vim habent, suffultus, qualia præsidia supra diximus ab Hippocrate in Quarto acutorum proponi ad corporis quietem pertinentia, ad vnctionem, ad fotum, ad æquale contegumentum, ad requietem in conclaui obscuro, & lecto molli sine proiectione, & iactatione, ad opportunam hyppocondriorum illisionē, opportunumque mulsæ, & oximelitis vsum. Valet ad concoquendum somnus, cuius propriam Galenus in duodecimo Methodi fecit coctionem, vt vigiliæ digestionem, quia in somno calor centrum petit, in vigilia circumferentiam corporis obsidet iuxta monitum sexti Epidemiorum, valet ad idem etiam vinum opportunè exhibitum, qaod, vt supra explicuimus, coctiones omnes promouet, ventriculum fouens, & concoctricem partium omnium facultatem roborans. Ex dictis patet coctionis, & præparationis discrimen, & simul innotescit primam esse potiorem secunda, quia hæc solam corporis fluxilitatem inuehit, corporis inquam, vel continentis, vel contenti, illa victoriam caloris insinuat, in qua vniuersa salutis spes firmiter residet.

De Vomitum prouocantibus.

CAPVT XXII.



Egimus in Quarto acutorum morbos omnes solui vel per os, vel per aluum, vel per vesicam, vel per aliam, quæ talis sit, partem, sudorem autem morbis omnibus esse communem. In cuius sermonis commentario annotat Galenus nec vniuersalem esse, nec communiter inesse omnibus, quòd non per hæc solum morbi soluantur, verum etiam, & per vterum, & per sanguinis è naribus eruptionem, vt hæ omnes viæ ad soluendos morbos omnes si non simul, seiunctim saltem conferant. Hinc Hippocrates duas habet præcipuè familiares purgationes, quibus corpora à premēte prauorum succorum exoneret sarcina, deductionem nempè per aluum, & eductionem per vomitū, vnde in Quarto Aphorismorum dixit, Medicari æstate superiores magis, hieme verò inferiores, & graciles, & facilè vomentes purgandos superius affirmauit cauendo hyemem, vomentes verò difficulter, & mediocriter carnosos per inferiora cauendo æstatem. Ex quo colligimus non minus vomitum, quàm alui deiectionem ei arridere in purgando, sic tamen vtramque speciē purgationis laudare, vt habeat rationem, & anni temporis, & habitu-

bitudinis corporeæ, & proprietatis indiuidualis (ἰδιοπαθεῖαν vocant Græci) in cuius notione maximum esse positum artis momentum in tertio libro affirmauit Celsus, & in Quarto Methodi explicauit Galenus, vt in procuranda vel vomitione, vel alui deiectione aliud anni tempus, aliam corporis habitudinem, aliam hominis exposcat proprietatem. In prima quidem laudat anni tempus æstiuum, in quo magnus fit calidorum humorum prouentus ventres superiores petentium, habitudinem corporis gracilem biliosæ, tenuisque materiæ feracem, proprietatem hominis ad facilè vomendum trahentem, in secunda verò probat anni tempus hyemale, in quo magna subest pituitæ ad inferiorem ventrem descendentis copia, habitudinem corporis, generandæ crassiori, grauiorique materiæ aptam, proprietatem hominis vomitui reluctantem. Sic per tempora, per habitudines, per proprietates seiungit mouendæ vel vomitionis, vel deiectionis occasiones, illud semper repetens, vt in vomitu excitando caueatur hiems, in aluo subducēda deuitetur æstas. Quod alicui forsan admirationem aliquam posset incurere, memoria repetenti in libro de salubri diæta siue ab eodem Hippocrate, siue à Polybio conscripto contrariam extare sententiam, si rem prima fronte spectemus, de vomitu sex brumalibus mensibus mouendo quibus humor pituitosus genitus vberior in supernis partibus supra septum transuersum innatat, & deiectione sex mensibus æstiuis proritāda, quibus humores biliosi hypocondrijs faciunt, & intestinis varia tormina sustinentibus negocium, vt vomitus hyemi, deiectio adaptetur æstati, & hyeme per superiora loca, æstate per inferiora molienda sit purgatio vel ipsa bile superius ascensura inferius subtracta. Sed ex dictis Galeni in commentario huius loci de salubri diæta omnis tollitur admiratio, omnis remouetur cōtradictionis suspicio; nam vel purgatio instituitur vniuersi corporis humorum iàm genitorum affluentia scatentis, vel purgatio partis in corpore non dum repleto humoribus genitis, sed replendo generandis, in primo casu debemus moliri æstate purgationem per superna vomitum excitando, quia in totius plenitudine calidi, tenuesque humores repunt superius, & pro sua inclinatione sunt superius educendi, quippe humoris inclinatio ad locū conuenientem facit indicationem, at hyeme tentanda alui subductio, quia humores pituitosi suo pondere feruntur inferius, biliosis relinquentes locum superiorem. At in secundo casu, in quo non dum est facta plenitudo totius, sed ne fiat periculum imminet, & non expurgandum occurrit totum, sed sola pars, in qua incipit fieri praui succi congeries, hyemali tempore vomitus mouendus, quia tunc temporis superna regio pituitosis succis repletur, qui ibidem innatantes inde in vomitione sunt educendi, sed ęstiuo tempore clysmata ad aluum ciendā sunt adhibenda, quia biliosi, calidique succi, & hyppocondria, & lumbos, & intestina diuexant, & si superam etiam regionem peterent, forent inferius reuellendi, quoniam excernendis excrementis commodiores sunt inferiores, quàm superiores viæ, præsertim si non sit vniuersalis, sed partialis plenitudo, & humores non tàm congesti sint euacuandi, quàm congerendi paul-

latine prohibendi. nam factos humores per loca congrua, ad quæ vergunt, purgare, futuros ad inhibendam eorum auctionem per loca contraria retrahere debemus. Sed ad vomitum prouocandum maximè, vt diximus, retulerit animaduertere hominis naturam, & consuetudinem, quia si gracilis sit, & in censu biliosorum constitutus, si facili negocio vomere assuetus, adduntur calcaria ad hanc moliendā purgationem, quoniam maior subest tenuis, leuiorisque materiæ sursum repentis significatio, & expeditior patet, securitatisque plena per partem destinatam progressio, alioquin reclamante natura, nec propensionem vomendi monstrante, immutandum venit consilium, nullum bonum finem, quantum licet coniectari, habiturum, quia violenta per hanc partem commotio, & venas interdum thoracis aperuit, & alias effatu dignas iacturas intulit, vt fuit Galeni animaduersio, qui propterea in Vndecimo Methodi asseruit, si ad os ventriculi aliquando sua sponte impetum capiant humores, etiam per vomitum esse euacuandos. Quo dicto nobis imperat, vt motum naturæ obseruemus, & humorum propensionem consectemur, nullam tamen vim inferamus, ne proposita, & imminentia detrimenta subeamus parum Hippocratici in Epidemijs moniti memores, quo iubemur hanc inire in morbis exercitationem, vt si non opem, saltem non inferamus noxam. Indicatur ergo vomitorium medicamentum à materia mobili, & fluxili non tā in ore quam in spatio ventriculi residente (nā quæ in ore sunt penitiora faciūt singultum testante Galeno in commentario sexti Aphorismorum) siue hæc materia in ventriculo fuerit genita, siue aliunde transmissa, veluti solet frequentius contingere; vt à iecore, & venoso genere magnus fiat excrementorum ad ventriculū confluxus, à Galeno in Arte medicinali consideratus, & in commentario quoque secundi ac ùtorum, vbi Hippocrates proponit biliosos sursum, ac deorsum, discussus, quorum excrementorum facta per vomitum excretio magnum affert naturæ leuamentum, vnde Hippocrates in prognosticis dixit vomitionē vtilissimam esse, quæ pituita, ac bile permixta quā maximè est, & non crassa valdè, neque multa; qualis fuisse videtur vomitio filiæ Ædilis apud Tecomeum, & vomitio mulieris, quæ in littore decumbebat, vtraque in Epidemijs enarrata, & profligatæ febris præcipua causa monstrata. Hinc affirmauit Galenus in primo ad Glauconem ex solo vomitu multos fuisse à tertianis liberatos. Quod quidem potissimum veritatem habere potest in his febribus, quæ mineram habent putredinis in regionibus ad ventriculum attinentibus, & cum eo iure illius consortij, quod Hippocrates in libro de locis in homine proponit, coniunctis. Hinc Celsus quoq; biliosis febribus nedum vtilem, sed necessarium etiam vomitum vocauit, & ne calor febrilis inualescat, placidioribus medicamentis procurandum suasit. Quæ fuit etiam Galeni in vndecimo Methodi animaduersio pertimescentis calorificam, & exiccatoriam vim ad præstandū febri incrementum accommodatā. Itaque deligenda Medico proponebat quæ citra calefactionem, & exiccationem valentem ad vomendum inducere possint, veluti sunt ptissanæ cremor, mulsa, oximel, aliaque hu-

huius facitiæ leuiora. Quæ quidem leuiora tanto magis conueniunt in febribus, & dissentanea sunt asperiora, quanto magis requiritur, & præsens supponitur materiæ dispositio ad egrediendum per vomitionem, cum ad producendum effectum plus valeat, vt supra annotauimus, patientis aptitudo, quàm agentis vis. Hæc materiæ dispositio, hæc eius ad superiora inclinatio, hæc ad egressum per os vi expellentis ventriculi promptitudo facit, vt leui quocumque irritamento nō leuis fiat expurgatio naturæ, vt dicebat Hippocrates, vtilissima, ad humores peccantes deducendos, forasque detrudendos naturaliter instituta. Quamobrem non admittenda Argenterij opinio in suo libro de febribus affirmantis obsoleuisse nostra tempestate euacuationem per vomitum tātopere ab Hippocrate commendatam, quia grauioris vomitorij vsus sit plenus periculi ob insignem agitationem necessario consequentem, vt ideo ad purgationem per inferiora omnis Medicorum sit conuersa intentio, non est, inquam, hæc admittenda opinio, quippe quæ, & quotidiano experimento repugnet, & euidentem rationem habeat aduersam. nā singulis ferè diebus obseruamus febricitantibus multis nullo negocio excitari vomitus magnos magnū, & leuamentum, & salutis fructum afferentes, & in febribus nón laudant Galenus, & Celsus vomitionem nisi insinuatam à motu, & inclinatione humorum ad supernam regionem repentium, ad quos educendos nullo est opus validiori pharmaco, sufficiunt quæ leuissima sunt, quia currentem facilè est impellere, & nobis facilè est descendere, quia motum descensionis ipsa inclinatio adiuuat corporis. Sic leuissima medicamenta ob humorum inclinantē motum sua potius quantitate, quàm qualitate vomitum cient, vt magna vel aquæ, vel iusculi tepidioris copia cum oximelite, vel sirupo acetoso, vel alio simili coniuncta ad vomendum facile inducat; dum corporis humectationem à Celso iure propositam exagerat, & maiorem confluentium humorum, & innatationem, & qualemcumque fluctuationem in ventriculo excitat, irritatamque facultatem expultricem ad onus molestum expellendum exuscirat. Iuuat autem remedium vomitorium non modo quia vitiosam materiam educit, sed etiam quia reuellit, & prohibet à confluxu ad partes obstructas, & obstruendas, habetque iccirco vim præseruatoriam.

De remedijs vrinam prouocantibus, quæ vocantur diuretica.

CAPVT XXIII.



NATVRÆ æmula est ars, licet eam non assequatur in omnibus. Natura per vrinas excernendo sępe morbos decernit, & soluit, vt abundè docet Galenus in libris de Crisibus. Quam quidem vrinarum in febribus copiosam excretionem tanti fecit Hippocrates, vt in enarrando secundo statu primi Epidemiorum, qui multis mortem attulit, eos omnes seruatos affirmarit, quibus copiosa hæc excretio aduenit. Vnum (ait ipse) & maximum ex factis signis, & quod plurimos in maximis positos periculis liberauit, his fuit, quibus ad stranguriosum

facta


facta est conuersio, atque in id abscessus fierent. Vrinæ autem his erant multæ, crassæ, variæ, & rubentes, cum pure mixtæ, cum dolore, seruabantur autem hi omnes, nullumque ex his perire vidi. Conuersionem ad stranguriosum vocat Hippocrates abscessum, vt notandum proponit in commentario Galenus duo abscessuum genera apud Hippocratem aduertens, quorum alij fiunt per repositionem, alij verò per emissionem toto corpore contristantes succos separantem, per quam emissionem fiunt interdum abscessus per vrinam, vt enim per vẽtrem sæpius totum corpus expurgatur, sic & per renes, & vesicam. per quas vias non modo sanguinis, & humorum serositates educuntur, sed crassiores etiam materiæ, & purulentæ, quarum facit Hippocrates in commemoratis verbis mentionem, & in tertio Epidemiorum narrat in Pythione quadragesimo à morbi iudicatione die suppurationem factam esse, & stranguriosum abscessum. Quod mirum nemini videri debet, siquidem non vnica, sed triplex est materia per vrinarias vias diffundi solita, potulenta nempè ex assumptis confecta, serosa ex humoribus venarum deducta, & colliquata ex quorumcumque humorum, vel etiam corporum, vt carnis, & adipis dissolutione profecta, quam triplicem materiam breuissimo quasi oraculo complexus est Hippocrates in sexto Epidemiorum dicens vrina concolor cibo, & potui, & qualis esse solet, & cum humidi colliquatio fit, Quæ præclara fuit Dureti in suis Coacarum doctissimis commentarijs animaduersio. Quoniam ergo tàm expeditam hanc habet natura purgandi corporis viam, per quam omnimodæ materiæ permeant fatione venarum emulgentium in renes desinentium, atque adeo arteriarum, quibus omnia venæ cauæ, omnia arteriæ magnæ germina respondent, & quodam connexionis vinculo deuincta sunt, mirandum non est si frequenter his ductibus ad corpus exonerandum vtitur, & si per eosdem ductus in eũdem finem ars ipsa excretionem molitur. Hinc Galenus in illo Vndecimo Methodi ad euacuandam excrementitiam febrium materiam inter cætera purgantia proponit etiam diuretica, quippe quæ sarcinam ægri possint commodè demere. In quorum vsu nimiam caliditatem, siccitatemque pertimescit, tamquam augendæ febrili intemperiei aptam, præcipuè in his diureticis, quæ ob fusionem, attenuationemque humorum vrinas prolectant. nam quæ ob humiditàtis exuberantiam vt serosam substantiam amplificãtia hoc idem præstant, frigefaciendi potius vim habent, vt semina maiora, & minora, quæ quidem non solum prosunt quatenus vrinariam excretionem promouentia, verum etiam quatenus refrigerantia, & humectantia vim & præseruatoriam, & curatoriam nacta. Sed quia hæc materias potius incrassant, quibus plerumq; attenuandis oportet animum appellere, ideo Galenus calida magis proponit diuretica, vt apium in aqua tamen incoctum ad virtutis calorificæ, & exiccatoriæ retusionem, imo non apium absolutè, sed apij radicem, & aquam mulsam, & oximeli, & apomeli, & cremorem etiam ptisanæ vi etiam refrigeratoria præditum. His præsidijs hac adhibitis cautione fidit, quia licet febrilem augere aliquatenus intemperiẽ possint, & hoc nomine aliqua hinc proueniat noxa, ea tamen leuiuscula

est,

est; & contemnenda si referatur ad vtilitatem ex apertione orientem, & fusione, & humorum per vrinas deductione, & iuxta Galenicum dictum in illo Methodi libro difficile est eiusmodi aliquod auxilium inuenisse, quod citra vllam noxam magnificè prosit. Consulit tamen Galenus vt febrium calorem, & obstructionum vim adinuicem comparemus, & cum ille magis vrget, refrigerantia diuretica, qualis est cremor ptisanæ adhibeamus, cum hęc magis premit, calidiora quoque non dimittamus. At quæ temperata sunt, omne ferunt punctum, qualia fuerint capillorum Veneris folia, alchechengi semina, graminis radicalia germina. Sed non omne tempus huic remediorum generi est opportunum, quia in multa materia cruditatem præferente parum conueniunt diuretica, quippe quæ humores illos magis exagitant, quā excernunt, & crudam adhuc materiam per venarum oscula deducūt, vnde maior ansa putredini, & ob adiunctam crassitiem obstructioni impertitur. Quamobrem licet motus naturæ per conuenientem regionem, qualis est hæc, factus sit adiuuandus, & licet Galenus asserat, inclinante humore ad vrinarios ductus, diureticis esse vtendum, non est tamen temerè adhibendus horum præsidiorum vsus, nec impuro omnino corpori, crudisque succis referto applicandus, quia si materia excrementitia per has tendens vias indicat diuretica, eadem vt multa, & cruda eorundem vsum vt intempestiuum facit suspectum, nam, vt docet Galenus in primo de crisibus, & in commentarijs Quarti aphorismorum, cruda existente materia, probam non possumus expectare euacuationem, quam præcedere debet discretio, & discretionem concoctio. Quare Auicennas in prima Fen Quarti Canonis inductus est ad dicendum diuretica non esse vsurpanda nisi post apparentem humorum concoctionem, Post quam credendum est factam fuisse illam stranguriosam affectionem ab Hippocrate memoratam, quam vocat abscessum, vt cum Galeno considerauimus, & abscessum salutarem qualem constat non fieri nisi à natura dominante materiæ, cui materiæ non dominatur cum cruda existit, tunc dominatur cum concoxit, & à contumacia in obedientiam redegit. Nec tamen omnis omnium diureticorum administratio ab omni morborum principio remouetur, quia Galenus aliqua adhibet interdum etiam in cruditate materiæ, vt patet in Vndecimo Methodi, & in primo ad Glauconem, quando videlicet humores liberum habent, & expeditum ad renes progressum, vt natura per hos meatus quærat exonerationem, quæ aliquando potest esse proficua quatenus tollit multitudinem, veluti hoc nomine apparent aliquæ symptomaticæ, euacuationes proficuæ, sed tunc moderatiora, & leuiora sunt adhibenda diuretica, acrioribus, & validioribus post solam concoctionem seruatis. Quo etiam tempore examinanda erit febris vehementia, eiusque intensior, vel remissior calor, vt qualia sint vsurpanda magis diuretica, calidiora, an temperatiora, commodè possit decerni, vt non solum in Vndecimo Methodi, sed in primo quoque de Arte curatiua docet Galenus.

De remedijs per ambitum corporis euacuantibus.

CAPVT XXIV.



PErennem habent nostra corpora ingressum tenuis substantiæ, & egressum, quippe quæ continuo externum excipiant aerem, & continuo internam vaporum emittant fuliginem, idque faciunt non solum per inspirationem, & expirationē, & per pulsuum diastolem, & sistolem, verum etiam per insensilem vocatam transpirationem per cæcos cutis meatus in vsum perpetuum reuocatam. nam iuxta Platonis dictum in Timæo vita animantium traducitur in spiritu, & igne, cuius est proprium substantias attenuare, & dissoluere, ad quam internam dissolutionis causam accedit etiam ambientis externa in calidis potissimum constitutionibus conspicua, quæ dissolutio per cutem facta est in pueris adeo insignis, vt vel hoc nomine sanguinis e vena detractionem eis non cōuenire statuerit Galenus duas vno tempore effatu dignas euacuationes nullo pacto sine læsione laturis. Est ergo in omnibus hæc naturalis euacuatio, sed in illis maior, qui tenuiorem cutis constitutionem, porisque apertioribus prę ditam sunt à primordio nacti, vnde Hippocrates in libro de alimento dixit corpora densioris ambitus esse quidem ab externis injurijs tutiora, sed internis obnoxiora, at quæ rariorem habent texturam vti forte contraria, & internis quidem iniurijs parum succumbere, ab externis autem magnam labem perferre. hæc namque quia patulas habent vias cutaneas paratum habent materierum & ingressum, & egressum, sed quantum prauarum prodest fuliginum egressus, tantum aeris inclementioris obesse potest ingressus. Et quoniam Hippocrates in sexto Epidemiorum protulit illa verba, cutis raritas, densitudo ventris, cutis constrictio, carnium incremētum, duas rerum inter se copulatarum coniugationes fecisse videtur, vt in commentario animaduertit Galenus, quarum prima complectatur eos, qui per cuticulares meatus abundè vacuati paruam obtinent tum mictionem, tum deiectionem, secunda verò continet eos, qui ieiunam illam cuticularem excretionem habentes corporibus fiunt habitiores, nam veluti in prima coniugatione cutaneæ euacuationis vbertas reliquarum ad ventrem attinentium inuehit paucitatem, ita in secunda per cutem pauca facta euaporatio magnam carnibus affert auctionē. quippe non dissoluta, & foras non euanescens substantia facessit in carnes, at facta vberior per cutim euacuatio & deiectioni, & mictioni materiam adimit, & mictioni tanto magis, quòd per cutim non modo insensilis, sed sensilis quoq; fit euacuatio sudore expleta, Cuius quidem sudoris eadem extat, quæ est vrinarum propria, serosa nempè humorum portio, vt in primo de sanitate tuenda explanat Galenus. Quod prius etiam explicauit Aristoteles partim in secundo Meteorologico, partim in secunda Problematum particula, vbi portionem in corpore excrementitiam ab alimentali separatam, à leuissima, & dulcissima alienissimam, & crudissimam, dum per vesicam prodit, vrinam, dum per extremas partes effluit, sudorum esse affirmat, ideoq; vtriq;

salsum inesse saporem. Vt in vrina igitur, sic in sudore etiam naturalis apparet excretio, vt contra Dioclem aliter sentientem in libro de differentijs symptomatũ concludit Galenus, nullo materiæ discrimine, sed solo viarum interstitio altera ab altera dissita, & veluti locum habent in sanis ad valetudinem conseruandam, ita quoque in ægris ad eandem recuperandam, vnde Hippocrates in prognosticis dixit sudorem optimum esse per omnes acutos morbos, si per diem eueniat decretorium, & integre sedet febrem. Quod quidem contingit, cum attenuata materia ab innato calore foras propellitur per corporis ambitum, ad quem videtur habere impulsum, vt in intermittentibus præcipuè vsu venit febribus, & in his etiam continuis, quæ à tenuibus prognatæ humoribus ab eisdem fouentur. Tunc igitur hic sudoris motus venit adiuuandus à tenui materia sensili poros cutis impetente indicatus, & tum per externa, tum per interna excitandus, per externa quidem, vt per balneum dulcis aquæ, de quo abundè superius sumus locuti, & per inunctiones ex oleis blandè aperientibus, quale fuerit camomellinum, anethinum, & similia, per interna autem, vt per decoctionem camomæli, liquiritiæ, per aquam hordei, per iuscula saccarata, & passulis alterata, per puluerem lapidis bezoar hanc sibi proprietatem sponte naturæ vendicantis. In hunc etiam finem conferre non leuiter solent frictiones, & sudori prouocando, & insensili transpirationi promouendæ opportunissimæ. Quapropter Galenus in decimo tertio Methodi affirmat ad curandam etiam plethoram, & sanguinis missionem, & frequens balneum, & frictionem, & digerentia medicamenta, & inediam valere, quippe quæ omnia vim habeant excrementitiæ substantiæ dissipatoriam. Frictionis quidem vires celebribus illis Hippocratis verbis innotescunt, quibus dixit frictione, si vehemens sit, durari corpus, si leuis molliri, si multa, minui, si modica impleri, quorum verborum vberem habemus explicationem apud Galenum in secundo de sanitate tuenda ostendentem paucissimis verbis ab antiquo Magistro ea omnia fuisse de frictionibus comprehensa, quæ à neotericis auctoribus longo sermonum curriculo non fuerant expressa. Ad promouendam ergo cutaneam excretionem cum frictio valeat, commendatur in febribus præcipuè cũ humores ad illam regionem habuerint impetum, vnde in octauo Methodi profitetur Galenus multos ex cutis constipatione febricitantes vnico balneo, & moderata frictione (cum vehemens vim habeat densandi) ad sanitatem se perduxisse. Celsus quidem inter vnctionem, & frictionem hoc præcipuè posuit discriminis, quòd illa in acutis etiam, & recentibus morbis conuenit, in remissione tamen, & ante cibum, longa autem frictione vti nec in acutis morbis, nec in crescentibus conuenit, præterquam cum phræniticis somnus ea quæritur. Vnde concludit amare hoc auxilium valetudinem longam, & iàm à primo impetu inclinatam. At alius fuit Galeni sensus, & longè melior. Qui nõ minorem in vnctionibus, quàm in frictionibus cautionem requirit, nec ad vngenda viscera, & cataplasmatis oblinenda ita facile accedere Medicos sinit, & post sanguinis detractionem, & aliquam vni-

uersi corporis expiationem has adhibendas perfusiones proponit, alioquin maximo detrimento per succorum ad perfusa viscera attractionem futuras, vt cumulatè ostendit in Vndecimo Methodi grauiter in malam quorundam Medicorum consuetudinem inuectus. De frictionibus verò sic sentit, vt non modo in cronicis, sed in acutis etiã ægritudinibus, non modo ipsis declinantibus, sed inchoantibus etiam hanc medelam commendet, dummodo materia morbifica venas occupet cuti propinquas, & habeat ad poros cutaneos, per quos valeat excerni, euidentem propensionem. Quinimo in febribus illis, quæ ex putredine multorum, crassorumq; humorum calorem innatum opprimentium ortæ syncopem qualemcumque habent adiunctam, nec purgationem vllam, nec sanguinis missionem laudat, sed loco purgationis, & phlebotomiæ frictiones adhibendas à primordio proponit, vt patet in duodecimo Methodi, quia cũ hi febrientes tamquam prauorũ succorũ sarcina onusti euacuatione indigeant, sed eam confertim factã ferre non possint ob imminentem lapsum præcipitem virium, amant, opportuneque statim excipiunt frictionum opem, quæ vim habent quidem euacuandi, verum lento id gradu perficiunt, sine vlla iactatione materiæ, sine vlla dissolutione spirituum, sed cum illius diminutione, & cum istorum excitatione, & leuamẽto. Non vult ergo Celsus in acutis morbis præsertim incipientibus locum dare frictioni, sed vult Galenus in quibusdã febribus syncopalibus, quas nemo inficias fuerit acutas esse licet ab humoribus frigidiusculis profectas, vnicum esse remedium frictionem non modo in progressu morbi, sed in ipso etiam principio adhibendam, vt quam nec purgando, nec sanguinem mittendo vsurpare euacuationem sine magno discrimine possumus, fricando tutissimè vsurpemus. Continentes etiam febres putredinis expertes, & à constipatione oriundas curat idem interuentu etiam frictionum ab initio, vt apparet, & in primo de arte ad Glauconem, & in octauo etiam, ac nono Methodi. Hùc accedunt, & hanc eandem operam promittunt cucurbitulæ siccæ in pluribus, & præcipuè in inferioribus corporis partibus adiunctæ, quæ valida vi attractoria præditæ à centro ad circunferentiam educunt, calorem euocant, difflationem adiuuant, & per patefactos cutis meatus tenuiorem materiam & ipsæ eximunt. Quos cucurbitularum insignes effectus in solam vacui fugam, & circumpulsionem à Platone in Timæo relatos admiratur Galenus in eius libri commentarijs, in ipsam attractionem iuxta vera Hippocratis dogmata referendos. Quorum magnus est vsus in his præsertim febribus, in quibus iuxta Hippocraticum dictum in Aphorismis interiora vruntur, exteriora frigent. Sed quo tempore id remedium conuenit? Prudens est Galeni consilium in Vndecimo Methodi asserentis non expedire à principio febrium cutem rarefacere, cum corporis subest impuritas, & nulla præcessit eius euacuatio, quo etiam nomine vel ipsas frictiones habebat suspectas post præcedentem euacuationem commodè adhibendas; sed quando vrget indicatio materiæ concentratæ exterius attrahendæ, licet omni tempore cucurbitulis vti, veluti etiam frictionibus, quarum licet sit opportunius

nius tempus post factam euacuatio nem, possunt tamen etiam ante, vt diximus, vsurpari cum humores habent vel nimium influxum interius, & exteriora frigeant, vel congruum effluxum exterius, vt interiora se exonerent, Vnde Galenus vel in Quartanarum principio ante vigoris accessum, & frictionibus vtitur, & ambulationibus, & lauacris sperans fore, vt per has motiones, quæ cutim rarefaciunt, ac materiam attenuant, pars quædam peccantis succi digeratur, vt apparet in primo ad Glauconem. Iàm de Vesicantibus præsidijs quid dicemus multo ab hinc tempore in multum vsum reuocatis? Certè cùm humores, vaporesque maligni arctè coercentur interius viscera impetentes nobiliora, quod in pestilentibus potissimum febribus solet esse frequentissimum, mirificè iuuat valida eorum exterius facta reuocatio, qualis est vesicam excitantiũ remediorum propria, quæ per vlcera in extremis genita artubus magnam præstant materiæ morbificæ attractionem, eiusdemque per ambitum corporis dissipationem, quibus forsan inueniendis, & confirmandis ansam dedit Galeni testimonium in Quarto Methodi affirmantis eos ferè omnes in romana pestilentia euasisse, quibus erumpebant in cruribus vlcera, ad quod mox testimonium accessit quotidianum experimentum ex nullo remedio maiorem in his febribus opem ostendens, quàm ex vesicantibus fieri, vt mirandum planè sit clarissimis etiam viris nonnullis ea non arridere aliquam vel ignei caloris adiectionem, vel importunam materiæ concoquendæ agitationem causantibus, & non leuiter pertimescentibus. Sed si hæc, aliaque eorum obiectamenta vera forent, de quo nunc non disputo, considerare debuerunt vt in bonis naturæ nullum est absolutum omnis mali expers, vt in Phædone considerat socrates, vnde prodijt Lyrici dictum, nihil est ab omni parte beatum: ita in remedijs artis nullum esse tantummodo proficuum omni læsione vacuum, vt supra ex Galeno in Vndecimo Methodi diximus, sed cum damnum est exiguum, magnum verò emolumentum, tunc ad illud remedium promptè esse accurrendum. Quod dictum etiam intelligi volumus de illa celebri inunctione Aetij ex aqua, oleo camomælino, & nitro conflata; quæ quo validius poros aperit, materiasque internas attrahit, eò verius per cutem euacuat. Quam habent nonnulli suspectam ob iusto validiorem vim calefaciendi, & exiccandi à nitro impertitam, sed satis est quòd hæc plus prodest prauos vapores educendo, quàm obsit caliditatem, vel siccitatem communicando, quam nõ ita parati sumus ad concedendum, veluti parati ad datam, & non concessam excusandum, quia calor, & siccitas qualiscumque externis partibus inderetur, internæ accidentaria ratione frigidiores fierent, & humentiores, præterquam quod exigua linimenti mora nullum relinqueret calefactioni, vel exiccationi locum. Laudanda ergo, & apertis vlnis amplexanda hæc Aetij medela in prauis febribus, quando materia ad cutem videtur habere impetum, & ab artis auxilio expectat impulsum, præcipuè cum spiritus, & calor interius coercetur, & partes extimas deserit, intimas instar animalium in latibulis degentium occupat, & sui ad exteriora factam euacuationem indicat. De par-

partialibus vnctionibus, quæ singulis visceribus adhibentur, vt cordi, iecori, Ventriculo, alijsque id genus membris, supra cum Galeno in Vndecimo Methodi considerantes diximus, quod nunc etiam ob magnum rei momentum summatim repetemus, culpandam, omninoque fugiendam eorum esse consuetudinem, qui temerè his vnctionibus vtuntur nullam expectantes corporis vniuersi expiationem, & ad hoc remedium statim confugientes tamquam non leuem laturum omnibus opem. Quod pariter asserendum de Cataplasmatis non euacuato corpore circa viscera adhibitis. Quod Galenicum præceptum rursus hic libuit annotare, quia multos constat in hunc errorē hac tempestate labi, & ob maximū præcpti vel repetiti fructū, non timui Iouis corinthum Megarensibus repetitū, vt est apud Pindarum in Nemæis. At necessariam in administratione Cataplasmatum, & perfusionum distinctionem in superioribus capitibus explicui.

De remedijs roborantibus viscera.

CAPVT XXV.



Aximum habet in febribus putridis momentum viscerum ipsorum, quibus imbecillitas impertitur, roboratio. hinc enim pendet præcipua progredientis putredinis causa, quòd innatus eorum calor languet, nec potis est humores tueri, & coercere ab inualescente calore putredinoso, qui extrarius est, & alienus. Hinc fit, vt consumptis putridis humoribus, qui febres faciunt, noui denuo generentur, quia superest partium imbecillitas ad eos regenerandos, & putredini subijciendos accomodata, vt docet Galenus in Vndecimo Methodi, in secundo de differentijs febrium, & in primo ad Glauconem. In quo quidem libro scriptum reliquit in tertianis febribus iecur potissimum affici, & languere, in Quartanis splenem, in Quotidianis ventriculum, quippe tertianæ biliosi sunt humoris soboles ab Hepate geniti, quartanæ melancolici non attracti à splene, quotidianæ pituitosi cumulati à ventriculo. Sed in omnibus febribus cor ipsum perpetitur, quod est præcipuum febris subiectum, & receptaculum, sed in his maiorem accipit labem, quæ virulentam contraxerunt naturam ad pessumdandas vires vitales præcipuè directam. Horum igitur viscerum haben da ratio fuerit, iecoris in Tertianis, splenis in Quartanis, Ventriculi in quotidianis, cordis in omnibus, sed præcipuè in pestilentibus. Ad iecur confirmandum, meliorique tono muniendum conferet serum caprillum cum succo cichorei deputato, conferent trocisci de rharbaro, de Eupatorio cum succo vel cichorei, vel sonchi, repetita rhabarbari infusio, mirabolani chæbuli conditi, puluis hepatis lupi cum conserua florum cichorei, & exterius applicitum vnguentum sandalinum succo cichorei dissolutum. Ad lienem proderit idem serum chalibæatum, & cum succo fumariæ commixtū, Trocisci de caparibus cum eiusdem fumariæ succo iuncti, repetitus Epithimi, & Polipodij vsus, puluis cerach, pentaphili, scabiosæ cum conseruis boraginis, & buglossi, exterius applicitum hammoniacum cum oleis de capparibus, & de absinthio

finthio dissolutum. Ad ventriculum idem serum absinthij pontici coma alteratum, vel seminibus citri, oximel in quo absinthium, vel menta maduerit, cydonites, hiera picra Galeni, extra oleum Magni Ducis huic visceri distinatum, emplastrũ Masticinum, & alia id genus, quæ innumera sunt tum ad roborandũ ventriculum facta, tum ad fulciendum Iecur, & splenem, sed hanc immensam suppellectilem non libuit colligere, satis fuit paucula quædam nominare exempli potius gratia, quàm in alium finem. Nunc ad ea remedia propero, quæ cordis propria sunt, eiusque tuendæ, & conseruandæ virtuti à maligna qualitate læsæ opportuna. In quorum etiam proponendo catalogo non immorabor, cum lippis ferè ac tonsoribus notissimum sit vberrimam esse illorum syluam, quæ vel exterius applicata, vel interius assumpta magnum afferunt huic membro iuuamentum. Verum quoniam inter interna frequentem apud multos habent locum Theriaca, & mithridatica confectio, à quibus tamen aliorum maximè abhorret animus, non abs re fuerit hanc rem maximi existentem momenti considerare parumper, vt quid recta ratio suadeat, quid vera methodus requirat, pro nostra virili innotescat. Quærimus ergo num in febribus malignis, vbi vis venefica magnum facessit cordi negotium, ad viscus roborandum, ad virulentam qualitatem retundendam liceat vti theriaca, & mithridato per os assumptis. nam exterius posse adhiberi inficias iuerit nemo. At internam assumptionem improbant, improbandãque censent viri doctissimi, quorũ iure optimo magna est in operibus artis auctoritas, & suæ sententiæ hęc habent fundamenta, quòd theriaca formam obtinet magnæ actiuitatis à viribus imbecillibus, quales sunt in febri pestilenti, non sustinendæ, quòd calefaciat vehemẽter, caloremque cordis fixum efficiat, ac tanto magis id contingat, quòd necessarium sit eam in magna dosi exhibere, & bis in die ob veneni præsentiam, vt patet in primo de antidotis. Afferunt Auicennæ testimonium in præseruatione probantis magnas antidotos, in curatione proponentis sola refrigerãtia, & vel ipsum sacchari calorem pertimescentis, ideoque multo magis calorem theriacæ suspectum habituri. Respondent loco ex libro de Theriaca ad Pisonem, vbi legimus Theriacam mederi etiam peste correptis, primum negando librum illum esse Galeni, secundo hanc illorum verborum explicationem afferendo, quòd si theriaca afferatur ante febrem pestilentem, eam esse in causa, vt homo vel non corripiatur febre, vel correptus non ita lædatur. Probant tamen Theriacam in peste actu existente, at sine febre, nec improbant in alijs febribus non pestilentibus, vt patet in libro de antidotis, vnde probatur in Quartana intermittente. His rationibus alij viri doctissimi illud adiungunt, quòd cum Theriaca, & mithridato dupliciter mos obtinuerit vti, vel has antidotos miscendo cum lenientibus, & soluentibus pharmacis ad vim eorum reddendam alexipharmacam, vel solas adhibendo ad febris virulentam qualitatem infringendam, neuter est modus laudandus, & excipiendus, non primus, quia proprium Theriacæ ex Galeno est cohibere, & impedire motum à medicamento factum, non secundus, quia tanta est antidotorum tenui-

an theriaca vtendum sit (handwritten marginal note, partly illegible)

tenuitas, vt omnia penetrent, & aperiant, nullum habeant aditum præclusum, vt si ante coctionem vsurpentur, non tollere obstructiones, sed augere potius, & conduplicare possint noua materia ad partes obstructas deducta. Ex quo factum est, vt vel in Quartana intermittente intempestiuum Theriacæ vsum, qui materiæ morbificæ coctionem præcedit, reprehendat Galenus. Verum ex altera parte non desunt auctores celebres, qui contrariam astruunt; defenduntque sententiam, ac tanto magis huic remedio fidunt, quanto maiorem veneficæ qualitatis, quàm vel caloris, vel multitudinis in febribus pestilentibus rationem habendam prædicant: nam si retundendus veneni impetus, nil melius, quàm istæ antidoti, præstare id potest, nil melius cordis tonum excitare, nil melius excrementitiam humiditatem corrigere, nil melius putredinem cohibere, nil melius obstructiones adimere, nil melius vires omnes fulcire. Adiungunt Galeni auctoritatem in libro de Theriaca ad Pisonē, & de antidotis tale remedium in his febribus comprobantis, in quibus audacter vtimur rebus longè calidioribus, quàm sit Theriaca vix secundum gradum attingens, & frigidæ conseruæ adiectione contēperamentum acceptura. Confirmant hæc omnia ipso experimento, quo rerum ad praxim attinentium veritas comprobatur, vt aurum Lapidis Lydij contactu. hoc enim auxilium profitentur sæpe plenum emolumenti compertum, numquam causam detrimenti, vt remedium à ratione insinuatum, ab experientia confirmatum deserere non cauti sit hominis, sed in opinando proterui. Quid in hac auctorum varietate, in hac opinionū dissensione dicemus? non est meum tantas componere lites, nec eos animos ausim conciliare, quos video esse velle discordes. Dicam solum quòd mihi in hoc negocio contigerit, & meum liberè depromam sensum, qui vtramque sectam sectari aliquantisper videtur, & à neutra totus remouetur. Ego diu priorem sententiam sustinui, exterius conuenire Theriacam laborantibus pestilenti febre, interius nil esse importunius, & sic opinatus exhibui numquam memorata detrimenta veritus. At cum Romæ obseruarem, vbi viginti quinque annorum spatio in Magnatibus præcipuè viris Medicinam factitaui, harum antidotorum in his malis exhibitionē esse familiarissimā, & plerumque securitatis plenam, re diligentius pensitata cæpi mutare consilium, & sic in proposito dubio decernendum putaui, febricitantium temperamenta ponderanda, & morbificæ materiæ varietatem, & febrilis caloris diuersitatem: nā vel ægri frigido sunt temperamento, vel calido, & humores morbum facientes vel biliosi, vel pituitosi, & melancolici, & calor febrilis vel intensus, vel remissus: nam dantur quandoque pestilentes febres perexiguo calore comitatæ, pessimo tamen more præditæ, vt habemus apud Galenum in secundo de crisibus, & in nono de simplicium medicamentorum facultatibus. In ægris ergo frigidæ temperaturæ, in humoribus aut pituitosis, aut melancolicis, in calore febrili retuso, accedente præsertim cæli constitutione frigida, & vrgente maximopere qualitate febris venefica, tutissimam censeo, & vtilissimam simul Theriacæ, & mithridati administrationem, & talem sum multoties ex-

expertus, & aliorum potius, quam horum remediorum pollicitationibus frustratus. At in ægrotis ad calidiorem temperaturam vergentibus, humores biliosos præseferentibus, intensum febris feruorem sustinentibus, calido etiam cæli statu, & iuuenili ætate accedente, suspectam eandem exhibitionem habendam existimo, & sæpe re ipsa incōmodam animaduersam fuisse non abnuo. nam vbi tantus calor, vbi tāta humorum tenuitas, ibi magna fit substantiæ dissolutio, ibi magna spirituum dissipatio, ibi citra virium labefactatio, quod cumulatè ostendit Galenus in duodecimo Methodi eorum exemplo, qui tenuium affluentia humorum scatentes febrē patiuntur frequenti syncope comitatam, vt mirandum non sit, si in hac rerum calidarum syndrome Theriacæ nimiam excitat actiuitatem cum virium lapsu, nimium calorem imprimat cum magno morbi incremento, ac tanto quidem magis, quanto maior eius exhibitio fuerit, quanto frequentior. Quod periculum non imminet his, qui frigidiores ipsi remissiorem deferunt febrem, & frigidiorem habent humorum suppellectilem. hinc enim retunditur medicaminis calor, eiusque vis in parte obruitur, vt non se explicet integram, sed actiuitatem depromat quasi retusam. Hoc placuisse video, vt alios multos missos faciam, vel ipsi Vallesio, magno Galenicæ doctrinæ sectatori, qui in commentario septimi Epidemiorū enarrans Historiam ad Hippocrate propositam Nicoxeni in olintho laborantis febre maligna, adiunxit hunc fuisse adiutum potionibus refrigerantibus, & acidulis ad mitigandum feruorem, inhibendamque putredinem appositis, & huic bolos Theriacales futuros fuisse potius exitiales ob calidiorem corporis temperiem, humorumque tenuiorum affluentiam, veluti è contra in temperatura frigidiori, in pituitæ copia Theriaca fuisset opportunissima, & potiones illæ parum accomodatæ, omnique fructu destitutæ, vt propositam à nobis distinctionem insinuet, pro recto Theriacæ vsu in his febribus, in quibus nec semper venit vsurpanda, nec semper omittēda, sed pro varietate temperamenti, pro diuersa febrium intensione, pro vario humorum dominio modo in medelam assumenda, modo ab ore alienanda. Nec difficile fuerit satis rationibus eorum facere, qui excludendam omnino censent, nam quantum attinet ad magnam eius actiuitatem, hanc dicimus non esse immodicam in pauca dosi, quæ debet exhiberi, cum satis sit semidrachma, & hanc eandem retundi à frigiditate temperamenti, & humorum, ex qua etiam fit vt non habeat tantam vim calefaciendi, vt possit facere fixum calorem, quia temperatur etiam à miscella conseruæ violaceæ, nec est necessarium in magna dosi exhibere, nec bis in die, quia, vt diximus, sufficit vel semidrachma, & alternis diebus exhibita, & in libro de antidotis proponitur exhibitio magis efficax, & vrgenti veneno reluctans. Nec danda est Theriaca vbi vires non sunt ferendo, & calor innatus imbecillus potest dissolui, vt contingit in pueris ob nimiam difflationem, & perennem substantiæ dissipationē. Ad Auicennæ auctoritatē dicimus, ipsum de præseruatione loquentem proposuisse Theriacam, vt in curatione quoque adhiberetur, quoniā eadem sunt præseruatoria, & curatoria auxilia, ex Galeno in libro de Phle-

Phlebotomia, de curatione loquentem refrigerantia induxisse; quoniam rationem habendam censuit etiam caloris febrilis, vt ratione virulentæ qualitatis conuenirent Antidoti, ratione vehementis caliditatis refrigerantia, & pro maiori alterutrius vrgentia fieret delectus. Responsionem ad librum de Theriaca ad Pisonem, vbi laudatur Theriaca in correptis pestifera febri, nō accipimus, non primam, quæ negat librum esse Galeni, quia hæc est diuinatio, & res gratis dicta gratis etiam neganda, non secundam, quæ verba illa exponit, quia dura nimis est expositio, & ab auctoris mente aliena absolutæ affirmantis Theriacam mederi correptis febre pestilenti, vt curationem innuat non præseruationem. Si concedunt in peste sine febri, debent concedere etiā cum febri, quia pestifera qualitas est quæ magis vrget, & indicat, & malus mos, non magnitudo febris, & si non in omni febri, saltem in remissa, & in humorum frigidorum copia, & si concedunt in simplici intermittente, multo magis in pestilente, vbi venefica qualitas maxime premit, vnde Celsus dixit in hac maturius auxilia etiam cum quadam temeritate esse rapienda. Ad rationes eorum, qui contendunt non conuenire Theriacam cū pharmacis mixtam, quia impedit vim alui subductoriam, non solitariam, quia materiam crudam agitat, & ad augendas obstructiones deducit, respondemus non placere quidem mixtam cum pharmacis subductorijs ob allatam causam, placere tamen solitariam, sed opportuno tēpore exhibitam, hoc est non in principio febrium, nec in cruditate materiæ in qua solet enarratam à Galeno læsionem inuehere, sed in morbi progressu apparentibus signis coctionis, vt possit fructum afferre, non possit noxam. Cum ergo appareat allata argumenta facilè dissolui, & contraria sententia validæ rationi, & experimento videatur inniti, nescio videre, cur Theriacā, vel mithridatum debeamus in descriptis casibus omittere. Et quando se offerent casus diuersi, loco istarum antidotorum vti poterimus confectione hyacinthina, nulli obiectioni obnoxia, vti guttulis aliquot iulepi gemmati M. Ducis, ad retundendam malignam vim præpollentis, vti pulueribus Lapidis bezoar, boli armenti, terræ lemniæ, cum aquis rutæ Caprariæ, scorzoneræ, vel aquis cardiacis magistralibus, quarum est non exigua vbertas, veluti magna est etiam suppellex pharmacorum alexipharmacā facultatem in forma solida habentium, quorum non est propositum facere censum partim ob communem eorum notitiam, partim quia in hoc capite illum habui primariū scopum, vt magnas antidotos à curatione febrium pestilentium semouendas semper non esse ostenderē; vt ideo à me expectandum non fit, vt inunctiones quoque, & Epithemata ad roborandum cor apposita recenseam, cum potius tamquam omnibus nota, & ab omnibus suo tempore approbata silentio inuoluenda censeam, cum remedia in propatulo posita, & nil difficultatis includentia leuiter attigisse, & in suo genere insinuasse satius autumem, quippe qui ad scribendum accesserim non ad res minutiores in hoc febrium putridarum argumēto persequendas, sed ad insigniores, maiorique dignas consideratione tractandas pro maiori indicationū orientium claritate. Veluti nunc

de

de remedijs roborantibus loquentes, quæ indicantur à visceribus imbecillitati subiectis, considerauimus alexipharmaca, quæ à praua febriũ insinuantur qualitate, & inter hæc magnas etiam antidotos locum habere ostendimus.

De Indicatione à febrium symptomatibus sumpta.

CAPVT XXVI.



INdicationes in febribus putridis, vt patet ex superius dictis, sumuntur tum ex rebus secundum naturam, tùm ex rebus præter naturam. nam aliæ conseruandæ veniunt, aliæ profligandæ. conseruantur naturales, profligantur contrariæ, quæ sunt præter naturam. Vires sunt naturales, imo constituunt ipsam naturam ideoque pro sui conseruatione faciunt indicationem vitalem, quam abundè in primo libro explicauimus. Morbus, & causa morbifica sunt res præter naturam, ideoque ad sui profligationem partim curatoriè indicant, partim præseruatoriè, curatoriè quidem morbus, quia lædit actu, præseruatoriè autem causa, quia lædit potentia, quæ non impedita redigitur ad actum. Verum inter res præternaturales locũ etiam habent symptomata, quæ, vt vmbræ corpora, sic ipsa sequuntur morbos, vt docet Galenus in primo de morbis, & in secundo Methodi, quod intelligendum est de symptomatis propriè dictis, non communem appellationem habentibus, nam hæc communiter dicta complectuntur res omnes præter naturam existentes, siue causa morbifica fuerit, siue morbus, siue accidens morbo succedens, quod græci vocant ἐπιγέννημα, vt declarat Galenus in libro de differentijs symptomatum. Accipimus nunc ergo symptoma propriè dictum, quod est è natura non constitutionis, vt morbus, & causa morbifica, sed passionis in morbum vel mediatè, vel immediatè referendæ, quia cum detur symptoma symptomatis, illud tandem in morbum refertur. Nec tamen negandum est dari etiam symptoma sine morbo, quod vocãt symptoma causæ, propositum à Galeno in tertio de symptomatum caußis, affirmante actionem lædi vel læsa facultate, vel ob errorem externum, vt exemplum habemus de læsa chilificatione, seu coctione ventriculi modo ob partis intẽperiem, modo ob alimoniæ immoderantiã. sed hæc symptomata ab externo errore pẽdentia non multum habent momenti cum remotione externi erroris facilè remouenda. At quæ morbosa sunt tantum aliquãdo vrgent, vt totam ad se trahant curationem, omnem Medicorum ad se conuertant sollicitudinem, alioquin illud ridiculum vsu venit, vt morbus curetur, ægri vita perdatur. Habent ne igitur symptomata vim indicandi, & si habent, quam, & qualem? Id, quod indicat, debet habere essentiam firmam, & permanentem, & symptoma fluxam habet, nec consistentem essentiam, ideo Galenus in secundo Methodi concludit nullam symptomati conuenire essentialem vim indicandi. nam, vt idem docet in Vndecimo, & duodecimo Methodi, affectus præternaturales sunt in duplici differentia, alij quidem in essentia completa, &, vt vocant, in facto

 esse,

esse, quales sunt morbi, qui indicant sui remotionem contrarijs faciendam, alij verò in essentia incompleta, quam vocant in fieri, veluti symptomata, quæ numquam habent absolutam substantiam, sed semper fiunt, & continuam habent generationem aliunde pendentem, ideo per se non indicant, sed sequũtur alienam indicationem ab affectibus completa essentia præditis ortam. Symptoma ergo quà symptoma, & suopte nutu non indicat, quia sequitur naturam, & euentum sui principalis, hoc est morbosi affectus, quod pro maiori parte sit dictum. Verum incidit aliquando tempus, vt accidentaria quadam ratione symptoma indicet, quatenus scilicet induit alienam naturã, & subit vicem causæ, quo nimirum tempore non attenditur amplius vt symptoma est, sed vt potest grauiores affectus inuehere, & veluti à morbo ortum traxit, sic quasi par pari referens potest ortũ nouo morbo impertire. Et cum tres sint symptomatum species, vel actionum offensæ, vel excretorum, retentorumue immoderantiæ, vel corporum ipsorum affectiones, duæ primæ possunt curationem immutare, & indicandi facultatem suscipere, postrema non potest, quia cessante affectu, vnde nascitur, cessat & ipsa. Verum quæ symptomatis species immutat, & indicat, habere tunc dicitur causæ rationem, ac tam quam causa indicat, ideoque instar causæ indicationem facit præseruatoriam, quia dum cogitamus de sedando symptomate, quod potest nouam labem inferre, cogitamus de summouendo arcendoque malo, quod potest inde contingere. sic ergo symptomata curationem immutant quatenus causarum naturã induunt, & hoc nomine ad vnum caput rediguntur, læsionem videlicet, siue virtutis fuerit læsio, siue affectionis, quippe quæ vel virtutem minuere, vel affectionem augere valeant. nam si vel virtuti, vel affectioni non officiunt, immutatã relinquunt, & integram curationem, nec nouam inducunt. quid enim opus immutare indicatã prius curationem, si symptoma non trahit ad se curantis sollicitudinem, & quomodo hanc potest trahere, si nec viribus decrementum, nec morbo affert incrementum, ideoque nullum insigne importat detrimentum? Vires nimirum lædunt infirmioresque reddunt vigiliæ, dolor, & euacuatio immoderata. Affectioni eadem non vtique semper, sed maiori obsunt ex parte præcipuè cum ad insignem peruenerint magnitudinem. Quo in casu inceptam immutamus curationem, & ad eam transimus, quæ profligando symptomati inseruiat. nam cum vno, eodemque præsidio, & morbum tollimus, & symptoma summouemus, non extraordinariã molimur curationem, sed ordinariam, nec tollendo symptomati sumus intenti, sed morbo profligando, cuius depulsionem sequitur symptomatis depulsio. Veluti in pleuritide dum misso sanguine, aut purgato corpore dolorem ex lateris inflammatione ortum sedamus, quia affectum inflammatorium pariter curamus, non symptomatis, sed morbi per se curam exercemus, cumque ea symptomatis quoq; cura incedit coniuncta. At cum in dysenterico affectu anodyna, ac doloris mitigatoria vsurpamus, nullam sanandi in intestinis vlceris vim habentia, tunc non affectum respicimus, sed contra symptoma dolorificum

ficùm contendimus, morbo interim neglecto, vt vires tueamur, & a casu seruemus pro virili immunes, quo mox affectus curationem prosequi possimus. nihil enim est nostræ naturæ magis aduersum, & ad eam infringendam magis accomodatum quàm dolor, quem maximè omnium respuit, ac refugit, & indolentiam auidissimè quærit. Nec admittendum Epicuri documentum de negligendo dolore, quia si longus, sit leuis, si acutus, breuis, quia doloris acumē facit interdum non dolorem solum, sed vitam etiā ipsam breuiorem. Quod ne contingat, mitigatorijs est vtendum, & omisso impræsentiarum morbo, aduersus symptoma pugnandum, vt cumulatè explanat Galenus in duodecimo Methodi, duplicem Medicorum contra dolorem instātium rationem instituens alteram, qua delitijs cubātium snbscribunt, alteram ex artis ratione. Primam attribuit his, qui cum possent imperata doloris tolerantia vno die persanare ægrotum, non id faciunt, sed neglecta curatione sedando dolori intendunt, dolenti blandientes, eiusque gratiam aucupantes. Secundam his defert, qui cum periculum imminere cernunt ob virium resolutionem à dolore profectā, mitigandi doloris, & roborandæ virtutis cogitationē suscipiunt, vt illius noxa tollatur, hæc ad resistendum morbo, & curationis spatium sustinendum paretur. non enim laudandos censet Galenus eos vel Medicos, vel ægros, qui vt animosi appareant, fortiter, ac viriliter aduersus dolorem vrgentem renituntur, in asperis, & affectum destruentibus auxilijs perseuerantes, quia his accidit, vt cum longiore spatio curari deberent, breui viriliter moriantur. Quare duplicem terminum Medicis constituit erga ægrotantes seruandum, alterum his, qui ex arte generosè morbum oppugnant, & hunc constituit tutam medelam, alterum his, qui mitigandi doloris rationem habēt, & hunc facit virtutis custodiam. Hos terminos neutri præterire debent. nam quid ineptius illis, qui curantium remediorum perseuerantiam adeo mordicus retinent, vt quid natura possit perferre obliuiscantur, nec vtrum eorum administratio superet vim naturæ, secū ratiocinantur? Rursus alteri indolentiæ studiosi cur debent in anodynis diutius persistere, si iàm illud sunt consecuti, vt virtutem seruarint incolumem? cur sinunt morbum magis, magisque inualescere, curatoria omittentes præsidia? Primi si suum terminum securitatis transiliunt, crudelium faciunt hominum officium, vnà cum ægritudine vitā ægro adimentes, secundi si suum custoditæ virtutis excedunt, & voluptatem ægrorum, non sanitatem attendunt, adulatorum vicem subeunt omnibus cubantis delicijs subscribentes. Ab vtrisque reccedendum est, mediumque iter capescendum nimia vel seueritate, vel indulgentia deuitata, & celebris dicti, quod Apollinis oraculo attributum memorat in Protagora Plato, & in Menexeno summè commendat οὐδὲν ἄγαν, Nihil nimis, perpetuā memoria conseruatā, & sola cubantis vtilitate gerendorum meta proposita, vt si liceat per vires morbum curare, nulla habeatur medicamentorum soporiferorum, quæ vocāt ἀνώδυνα, ratio, at si mortis periculū virium minitetur resolutio, horum medicamentorum fiat administratio, quæ licet aliquam cor-

pori inferant læsionem, à morte tamen præseruant, quæ longè est læsione peior. Concludit ergo Galenus hæc anodyna nec nimis amplexanda, nec nimis pertimescenda, quia si non vrget necessitas, non est eorum læsio subeunda, at si vrget, vt in vehementissimis doloribus, non est imminenti morti ansa relinquẽda, quia satius est affectum augere, & curationi contumacem reddere, quàm inualescenti symptomati virium, & vitæ dissolutionem permittere. Ex dictis apparet symptoma, si remanet in suo gradu, nec vlterius progreditur, nil indicare, quia est morbi appendix, & morbi curationem eius consectatur curatio, sed cum suscipit naturam causæ, tunc nancisci vim indicatoriam, quæ præseruatoria est, vt non propterea multiplicentur indicationes, nec indicata, sed in proposito ternario numero consistant, vt sint hæ solæ indicationes, vitalis, quæ manat à viribus, curatoria, quæ à morbo, & præseruatoria, quæ à causa, ad quam redigitur symptomatis vicem causæ obeuntis indicatio.

De tribus præcipuis symptomatibus quæ in febribus putridis habent vim indicandi.

CAPVT XXVII.



Diximus cum Galeno in Vndecimo Methodi symptomata tunc suscipere vim indicandi, cum fiunt causæ lædendi, quæ læsio vel virtutem respicit, vel affectum, virtutem diminuendam, affectum amplificandũ. Talia etiam diximus tria ab eodem Galeno enumerari, vigiliã, dolorem, euacuationem immodicam; quia horum singula, & eneruare vires, & morbo possunt calcaria addere. In his ergo breuiter examinandis versabimur, earum, quas præbent, indicationum adimplendarum viam monstrantes, & à vigilijs, quæ primum fuerunt nominatæ, primum incipientes. De quibus iure dixit Hippocrates in secundo Aphorismorum eas non aliter, ac somnum, si modum excesserint, esse malum; quia nullum est animal, quod perpetuam obire operationem possit, sed omne operando laborem sentit, & huius laboris quietem requirit, vt spiritibus in operando consumptis congrua restauratione refectis ad nouam denuo operationem, ad quam est natum, valeat reuerti; vt docet Aristoteles in libro de somno, & vigilia. Nec iniuria veteres dixerunt vel ipsius Galeni testimonio vigiliã esse malum, & vt causam, & vt signum, quippe quæ, vt causa vires prosternat omni quiete destitutas, morbososque affectus adaugeat, vt signum autem, quia vel calidam intemperiem primæ partis sensitiuæ, quæ cerebrum est, insinuat vel biliosi in ea humoris abundantiam. Hinc Hippocrates in prognosticis dixit, pessimum esse, si neque interdiu, neque noctu homo dormiat, aut enim ob dolorem, aut laborem vigilia adest, aut desipientiæ futuræ nota est. A dolore quidem excitatur vigilia, quia dolor ad se trahit vim animalem, nec vmquam quiescere finit, & ad propriam originem reuocari, & siue dolor fuerit animi, siue corporis, idem præstat, vnde ob animi dolorem vigilem perpetuo effingit Elysam prudentissimus Maro,

At

At non infelix animi Phœnißa, nec vmquam
Soluitur in somnos, oculisue, aut pectore noctem
Accipit, ingeminant curæ, rursusque resurgens
Sæuit amor, magnoque irarum fluctuat æstu.

Sic Hippocrates in tertio Epidemiorum de muliere decumbente in Thaso post factam morbi enarrationem longam dixit, erat animo deiecto, vigil, iracunda, inquieta, & mente melancolica. Sed ob corporeum dolorem caput præsertim lancinantem facit idem in septimo Epidemiorum perpetua afflictam vigilia Ermoptolami vxorem. Et apud sophoclem Philoctetes inducitur ob malignorum vlcerum cruciatum ab omni somno alienus, de quo dixisse Poetam inter Latinos priscum testatur Tullius in Tusculanis.

Qui iacet in lectulo humido,
Qui eiulatu, questu, gemitu, fremitibus
Resonando, multum flebiles voces refert.

Lassitudo quoque seu labor facit vel comatosos homines, hoc est malè vigilantes, nec benè dormientes, vnde Hippocrates in tertio Epidemiorum dixit, Grauitas corporis, comatosi, vel eosdem semper vigiles, loco stare nescientes, nec vllum inuenientes situm, in quo requiescant, ideoque perpetua iactatione hinc inde facta agitatos, & ab vna in aliam nouam figuram conuersos, quam iactationem, & figuræ immutationem à vigilia pendentē præclarè expressit in vltimo Iliadis Homerus hæc de Achille ob Patrocli mortem mærente, ideoque nullū oculis somnum vidente scribens.

Fundebat lachrymas, perque alti stragula lecti
Nunc lateri incumbit, nunc in sua terga supinus,
Nunc prono in faciem, nunc corpore rectus ad auras
Surgit, & algosi maris errat littora circum.

Tandem desipientia, & qualecumque delirium ob siccum cerebri temperamentum iuxta Galeni animaduersionem in commentario illius e Prognosticis loci vigilias solet excitare, quia contrariorum contrariæ causæ, & veluti humiditas est causa somni, ita siccitas vigiliæ, quo fit vt vinum moderatè sumptum humefaciendo somnum inducat, immoderatè adhibitum exiccando vigiles faciat, de quo pulchrum habemus exemplum in secundo de locis affectis apud Galenū in puero Grammatici, qui cum magnam generosi vini copiam ingurgitasset incidit in vigiliam læthalē, ex qua obijt mortem. Hæc vigilia fuit soboles maximæ siccitatis cerebri, & hæc siccitas soboles generosi vini. Quæ siccitas quia viget in delirantibus ob copiam calidorum, siccorumque vel humorum, vel vaporum, ideo in eisdem viget vigilia quasi delirij indiuidua comes, Vnde Hippocrates in tertio Epidemiorum facit multos delirantes, & vigiles, inter quos fuit adolescens qui in mendacium foro decumbebat, & chærion iuxta Demenætum iacens. Quare apud Euripidem furijs agitatus, & verè Phræneticus orestes valdè gaudet sibi aduenisse somnū, & vocat remedium morbi opportuno tempore accedens, & soror Electra dormientem conspicata exultat gaudio inquiens.

O' chariſſime quàm exhilaraſti me cum obdormyſſes.

Gaudet Electra ob dormientem fratrem, quia ex ſomno argumentum colligit remiſſi delirij, cuius remiſſio remiſſionem arguit ſiccitatis in cerebro dominantis. Sic igitur innoteſcit rectè ab Hippocrate dictum fuiſſe in Prognoſticis peſſimam eſſe vigiliam interdiu, noctuque peractam, quia ſignum eſt vel doloris, vel laboris, vel delirij. Nec ſolum hæc ſignificat vt effectus, ſed hæc eadem producit vt cauſa, nam vigilia facit dolorem, facit laborẽ, facit delirium, vt de vigilia idem contingat, quod de virtute morali in ſecundo æthicorum Ariſtoteles ſcribit, eam nempè fieri ab actionibus ſtudioſis, & factam efficere actiones ſtudioſas, quæ habent rationem, & cauſæ, & effectus, licet actiones, quæ præcedunt virtutem, & generant, ſint diminutæ, & imperfectæ, at quæ ſuccedunt, & generantur à virtute, abſolutæ, & perfectæ. Ita vigilia à dolore, à labore, à delirio gignitur, ſed genita peiorem, & dolorem, & laborem, & deſipientiam gignit. Vnde Hippocrates in ſeptimo Aphoriſmorũ ex vigilijs deducit vel conuulſionẽ, vel deſipientiam. Quoniam ergo hæc pendet à ſicciori, calidiorique intemperie cerebri, vel à copia biliosi humoris, oritur indicatio refrigerandi, & humectandi viſceris illius, euacuandi, & reuellendi humoris iſtius. In hunc ergo finem conferet primo illud remedium, quod Galenus in ſecundo de alimẽtorum facultatibus valdè commendat hæc de lactuca ſcribens. Ætate iuuenili, cum mihi ventriculus bili aſſiduè infeſtaretur, lactuca, quò ipſum refrigerarem, vtebar, cum vero ad ætatem declinantem perueni, hoc olus fuit mihi aduerſus inſomniam remedio. Tunc enim contra ac in iuuentute, ſomnum mihi dedita opera conciliabam.. Graue enim mihi erat præter voluntatẽ vigilare, quod mihi accidebat partim quòd in iuuentute meapte ſponte vigilijs aſſueueram, partim quòd declinantium ætas ad inſomniam admodum eſt propenſa. Itaque lactuca veſpere commanſa vnicum mihi inſomniæ erat alexipharmacum. Ex Galeni ergo admonitione adhiberi poterit lactuca cocta, quæ ſi condiatur vino granatorum, vel ipſiſmet granis aſpergatur, vim habebit conciliandi ſomni validiorem. Valebit etiam ferculum ex amigdalis dulcibus, & melonum ſeminibus in iure pulli confectum, vel etiam ptiſſana cum portione emulſionis ſeminum papaueris. Aſſumi etiam poterunt conſeruæ lactucæ, violarum, maluarum, horaginis, bulgoſſi, ſed præcipuè conferet offa in vino, vnde nõ iniuria fabulata eſt antiquitas ex huius offæ oblatione Cerberum in ſomnũ eſſe delatum, & apud Homerum in odyſſea Cyclops vini hauſtu ab Vlyſſe exhibiti magno corripitur ſomno. Habenda tamen ratio fuerit febris, vt vinum ſoporem poſſit inducere, non multum febrem poſſit augere, nam aliquod eius incrementum contemnendum, modo propoſitum ſomni beneficium comparetur. Conferet ſerum caprillum pluries vſurpatum, quia & refrigeratorium eſt, & vaporoſum. Externa remedia hæc erunt. frictiones partium infernarũ cum oleo amigdalino, lotiones earundem ex decocto lactucæ, nimpheæ, capitum papaueris, violarum, foliorum vitis, ſalicis, hyocyami, ſerpilli, ane-

thi,

thi, florum camomæli, quæ inunctiones adhiberi poterunt non modo cruribus infra genu, sed etiam brachijs infra cubitum, & adiungentur inunctiones circa nares, & tempora ex oleis violaceo, & nenufarino; & ex vnguento interdum populeo, præcipuè si nec capitis grauitas fuerit, nec magna aut fluxio, aut tussis, & vrgente necessitate dissolui etiam poterit scrupulus vnus opij in vncia vna olei vel amigdalini, vel anethini, vt inde naribus, temporibus fronti fiat oblinitio. Quinimo in vigilia magnam contumaciam præferente licebit bolum instituere non modo ex nouella Theriaca cum portiuncula hyacinthinæ confectionis, alterius semidrachmam cum alterius scrupulo miscendo, verum etiam ex philonio romano cum hyacintho in eadem dosi, vt possit fieri ascensus vel ad scrupulum vnum, & amplius pillularum de cynoglosso, quando vrgens vigilia vltimum exitium minitatur. Nec omittendum est, quòd cucurbitulæ etiam siccæ conciliando somno sunt aptæ, & hyrudines hæmorhoidibus applicitæ fæculentiorē, & biliosum sanguinem educentes, & prauorum vaporum ascensum impedientes, & huic reuellenti euacuationi addi poterit alia deriuatoria per hirudines vel naribus applicatas, vel angulis oculorum in extremo casu, ita vt vlcusculis ibidem relictis modicum opij illinatur. Sed hæc remedia non sunt inducenda nisi cum necessitas inducit summa, & in leuiori affectu leuioribus vtendum præsidijs, qualia etiam fuerint artuum dolorifica ligamenta post frictiones adhibita, & olfactus oleorum soporē inducentium, qualia sunt oleum de cucurbita, e seminibus lactucæ, papauerinum, & nenufarinum, & capitis inclinatio ad excipiendos vapores humidos, ac refrigerantes, & luminum multiplicatio, & mox repentina extinctio, & Musicorum concentuum administratio, & excipientis hanc silentij successio, & ambientis aeris ex rebus refrigerantibus, & humectantibus alteratio, atq; adeo aquæ lactucæ vsq; ad tres vncias cū vna syrupi papauerini assumptio. Quòd si hæc satis non videantur facere, ad validiora superius proposita, & externa, & interna accedendum, quibus adiungi etiam poterit paruus bolus ex conserua boraginis cum duobus granis laudani in sua Pharmacopæa à Quercetano descripti. His, alijsq; id genus auxilijs remouenda erit, seu corrigenda calidior, & siccior cerebri intemperies insomnietatis parens, siue etiam euocanda, vel reuellenda biliosi humoris infesta copia. Et hæc de primo vigiliarum symptomate. Erat secundum symptoma in dolore constitutum, cuius tanto maior habenda ratio, quāto maior inde pendet naturæ dissolutio. nam naturæ incolumitas in vnione consistit, vt ostendit Plato in sophista, & præclaro Androgyni figmento in symposio, & Galenus in secundo de simplici Medicina, & in quarto de decretis, & hanc vnionem dolor oppugnat, & labefacit, & quia ad partem dolentem spirituum omnium fit confluxus à Galeno in tertio decimo Methodi declaratus, qui spiritus dum expetitam inferre quærunt opem, non expectatam coguntur sustinere iacturam, ideo de tuendis hisce spiritibus per mitigationem doloris diligens capienda sollicitudo. Nec vt alacritas ostendatur, immodica tolerantia imperetur. Sed pugnandi

laudani usus.

contra dolorem triplex à Galeno in Quinto de simplicium medicamentum facultate proponitur ratio, quarum altera per ablationem causæ dolorificæ fit, & hæc est sanatiua, nec tam symptoma respicit, quàm affectionem symptomatis, duæ aliæ sedando dolori sunt intentæ, & prima quidem magis propriè per lenitoriam quendam, & paregoricam vocatam vim humanæ naturæ iure similitudinis amicã, à blando quodam, & suauitatis pleno temperato calore profectam, vnde dolorificæ acrimonia materiæ demulcetur, & ad meliorem quendam æquabilitatis modum redigitur, & propria corporis substantia confouetur. Vltima ratio vocatur, & ipsa anodyna, sed minus propriè, quippe quæ non adæquet obiectum potentiæ motiuum, sed potentiam attingat obiecti iudicatiuam, & hanc quoque non acuit, nec perficit, sed retundit, ac labefacit, & sensum doloris demit non rem sensilem corrigendo, sed sensionem quodammodo stupore quodam inducto auferendo, vt iure dixerit Galenus facultatem anodynam aliam esse reuera, qualis est paregoricorum in primo gradu calefacientium descripta, aliam dumtaxat dici, qualis est obstupefacientium vltimo insinuata, non aliter dicta anodyna, ac dicere possimus hominem mortuum anodynon, quia dolore vacet. His ergo iactis fundamentis inhærens Galenus in dudecimo Methodi dixit eum, qui causam dolorificam adimit, non contra symptoma pugnare, sed ægritudinem curare, sed cum aliqua occassione prohibitus affectui summouendo non potest intendere, vehementiam tunc doloris mitigare. In quem finem præcognoscendas tum causas dolorum statuit, tum ipsarum distinguentes notas, & causas quidem dolorum esse in partibus sentientibus vel diuisionem continuitatis, vel alterationem magnam, non sensim, sed confertim factam, & violentam siue cum recessu à naturali habitu, siue cum reditu ad eundẽ. Sunt ergo causæ dolorem excitantes res omnes, quæ vehementer, & violenter vel excalfaciunt, vel refrigerant, & quæ substantiæ continuitatem diuidunt siue contundẽtes, siue incidentes, siue distendentes; imo omnis continui solutio vel à ruptione prouenit, vel à contusione, vel ab erosione, & ruptio ex re distendente contusio ex grauante, erosio manat ex mordente. In vehementis ergo doloris impetu scrutandum est an succus in corpore plurimus, vel spiritus, cui non sit exitus, an grauis moles, an mordens humor, an siccus affectus subsit, an verò aliquid, quod valenter vel excalefactionis, vel refrigerationis violentiam imprimat. Quæ omnia sunt diligenter distinguẽda, & propria cuique remedia adiungenda, vt Galenus proposito exemplo partim hominis dolentis ex confluxu mordentium humorum in tunicas intestiuorum, partim periodico vẽtris cruciatu conflictati cumulatè ostendit. Quam curandorum etiã dolorum methodum nobis monstrans, si sanguinis abundantia sit per distensionem dolorifica, vt contingit in inflammatione, consulit sanguinis missionem, quam in cõmentario vigesimi tertij aphorismi primæ particulæ profitetur se maximum remedium in maximis doloribus inuenisse, veluti etiam opportunam purgationem. At si ægri vel vis, vel voluntas sit huic remedio euacuanti dissentanea, reuellere

lere sanguinem præcipit, vel deriuare, & foret in capitis dolore reuulsio, si dolente parte postrema, aperiretur vena frontis, deriuatio, si naribus adiungerentur hirudines quacumque parte capitis dolente. At si his peractis dolor duraret, ad medicamenta digerentia foret accedendum, quia humoris in ægra particula impacti clara suppeterent signa. Dolores etiam ex flatuoso spiritu ortos hac digestoria ratione curabimus, & cibis extenuantibus, & potione, & clisteribus, & cataplasmatis, & humidis, siccisque fomentis auxiliantes. Sed si moles aliqua vel grauando, vel contundendo dolorem faciat, moli ipsi est remedium præstandum. At si humor mordens diuexat, cauendum ab extenuantibus, & calfacientibus, & manus danda euacuantibus vel confertim, vel per epicrasim, & si neutro remedio sit locus, torporem inferentia medicamenta exhibenda, qualia sunt Theriaca, mithridatus, Philonium, & alia huius farinæ, Quæ in humorum tenuitate, & caliditate magis cōueniunt, quia non solum prosunt vt obstupefacientia, sed etiam vt incrassantia materias iusto tenuiores, refrigerantia calidiores, quo nomine in crassis, glutinosisque humoribus sunt magis suspecta. Ad quos crassos, & glutinosos humores cum accedit vel obstructio, vel calor, excitatur spiritus flatuosus, qui coercitus, & erumpere non valens vehementes promouet dolores, in intestinis potissimum excitatos, ex appulsu medicaminum soporiferorum aliquod leuamentum nactos, sed pauco interiecto tempore inualescentes, & conduplicatos. In quorum curatione, & longius spatium putat Galenus necessarium, & Medicum in arte egregiè exercitatum, Qui non perfusionibus, & cataplasmatis vtetur valdè calfacientibus, vnde lenti, crassique humores liquantur potius, & in flatus vertuntur, sed ad eos incidendos, & concoquendos tenuantia medicamenta adhibebit modicè calida, flatum discutientia, & exiccantia, ac recta potius, ac toleranti victus ratione discussoriam vim habente aduersus malum contendet, quàm perfusionibus oleorum, vel cataplasmatis, vel clisteribus. Quod si citra febrem talis dolor exerceat, & allium comedendum, & theriacam potandam dabit, at si cum febri, primo fomentum siccum ex millio applicabit, mox semen aliquod flatus discussorium in oleo tenui incoquet, quod linteo colatum, & anserino sæuo commixtum per sedem infundendum curabit. Et si perseueret dolor, rursus oleum inijciendum cum castorei, & succi papaueris portiuncula, vt in olei hæmina sit horum quantitas fabæ magnitudini æqualis. Hoc eodem medicamento imbuta lanula, & forti filo appensa quàm penitissimè in rectū intestinum intrudetur, vt possit ad libitum educi. Hac via oculorum quoque, & aurium dolores ex tali humore, & flatu in febribus excitatos sedare oportebit, quibus maximopere aptabitur ex milio fomentum, & auribus medicamentum ex castoreo, & papaueris succo in sapa dissolutis, vel etiam cataplasma ex papauerum capitibus in aqua coctis, ac fænigræci, vel hordei, vel lini seminis farina aquæ immissa confectum. Oculorum verò vehementissimis doloribus colyria opiata apprimè conducunt, nec vrgente necessitate sunt omittenda, licet hæc valida refrigeratio sit his parti-

culis noxam allatura, quia optanda partis labes, quæ totius labem auertit, ac toto seruato, partis mox noxa corrigitur temporis data commoditate, auribus oleum id, quod solum castoreum recipit instillando, oculis verò ex cinamomo collyrium. In doloribus à solo flatu genitis tantum habet cucurbita cum flamma copiosa subinde admota momenti, vt citum euentum attendentibus videatur rationem habere incantamenti. At si doloris causa non sit solus flatus, sed cum flatu humor coniunctus, cedit quidem admotæ statim cucurbitæ sed paullo post renouatus redit vel ob errorem in victu commissum, vel ab locum importunius calefactum. In quo casu post ablatā cucurbita doloris accessionem euacuandus erit humor infuso per sedem medicamento aliquo, quale fuerit oleum tenuium partium cum ruta incocta. His humoribus contrariantur tenues, & acres, qui similem dolorem inferunt, & interdum conuulsionem adiungunt os præcipuè ventriculi occupantes. Qui quidem erunt vomitu expellendi, vel potu aquæ tepidæ procurato, vel iusculo cum portione olei amigdalarum dulcium, si in ore ventriculi constiterint, sed si intestina obsederint, erunt clistere educendi, eoq; detersorio, ac mordicationis experte, qualis fuerit ex ptissanæ cremore, cibis adiectis euchymis, nec facilem corruptionem subeuntibus. Cæterum, quia apparet interdum ex nimia siccitate in febribus cruciatus, qui solet succedere maximè exitiali phrænitidi, hunc sciendum est esse incurabilē, quia est cruciatus conuulsorius, & hæc conuulsio est ex neruosarum partium siccitate, quæ sola insanabilis est, cum solidorum corporum siccitas medelam non admittat. Hæc omnia sunt Galeni in duodecimo Methodi communem quandam dolorum ferè omniū methodum tradentis, à nobis summatim collecta, sed quia dolor potissimum capitis solet febricitantibus esse molestus, non erit absre ex eiusdem Galeni in primo ad Glauconē documentis remedia adducere in medium magis selecta. Dolente igitur capite, si febricitans fastidium habeat adiunctum, & oris ventriculi, quod antiquitus vocabatur, cor, sentiat morsum, debebit euomere, vel bilem, vel pituitam, vel vtrumq; vomitu educturus. At si nulla ventriculi appareat magna læsio, inquirendum num vel obstructio, vel plenitudo, vel inflammatio aliquarum partium capitis adsit. nam si dolor fuerit grauatiuus, plenitudinem insinuabit, si mordicatiuus, acrimoniam vel vaporum, vel succorū, si pulsatiuus, inflammationem, si tensiuus sine grauitate, & pulsu, spiritus crudi, & flatuosi copiam, si cum pulsu, membranosi corporis inflammationem, si cum grauitate, copiam intra membranas retentā. Quod si causa erit copia vaporum, vel succorum, distinguendum erit num ob febrium vehementiam succi fusi, & quasi æstuantes in caput impetum fecerint, an ob partium infirmitatem, an ob repletionem vniuersalem corporis totius. nam hanc facile tolles totius euacuationibus, si partium fuerit imbecillitas, partim reuellere oportebit clysteribus acribus, vinculis, infernarum partium frictionibus, & aliqua, si opus fuerit, sanguinis eductione, partim conueniet particulæ applicare perfusiones primo repellentes, mox vacuantes, demum roborantes. Repellentes fiunt ex

oleo immaturo, ex rosaceo, oxirhodino, & alijs refrigerantibus in crudiori affectu temperatis, in calidiori frigidis. Vacuantes fiunt ex oleo calido tum per se, tum magis antiquo, vel anetho, alijsque id genus dissoluētibus rebus alterato, vt sunt spondylion, vel serpyllum, vel pulegij coma, vel calamenthi, vel mētæ, vel sisymbrij, quæ non solum vim habent calefacientem, & attenuantem, verum etiam roborantem. Quibus, si opus videbitur, adiungenda erunt etiam errhina, & apophlegmatismata. Caput quoque siccis sindonibus perfricandū, & sale, nitro, & sinapi aspergendum. Sic dolor capitis ex partium infirmitate curandus. At ei, qui febrium vehementiam comitatur, frigidæ qualitates, & facultates, & ex hidrelæo, & oxirrhodino, & capitibus papaueris confectæ perfusiones cōgruunt; vt decernit Galenus in libro illo ad Glauconem, in quo adiungit cephalagiam, quæ criticam sanguinis eruptionem, vel vomitionem præsignificat, non esse remedijs curandam, quia hæc non est symptoma sed potius bonum decretorium signum, nam quod est symptomat indicandi vim habens, subit naturam, vt diximus, causæ, & lædit vires minuendo, morbum augendo, at signum decretorium vires confirmat, & morbo decrementum parat. Nec illud omittendum, quòd proposita Galeni Methodus ad sedandum capitis dolorem præsidia omnia complectitur à Neotericis in hunc finem inuenta, vt quicumque illi Methodo appulerit animum, facili negotio sit inuenturus omne auxilium, quod huius symptomatis interdum sæuissimi possit retundere impetum. Restat postremo consideranda immodica euacuatio, quæ potest, & ipsa maximam ægrotantibus noxā inferre. Circa quam immodicam euacuationem illud primum dicere lubet non placere eam sententiam, quæ doctis tamen viris arrisit, distinguendum esse à primordio, num hæc euacuatio sit symptomatica, vel critica, quia nulla immodica euacuatio potest esse verè critica, secundum bonam Crisim, omnis, quę talis est, inter symptomaticas est reponenda quodammodo, quippe si immodica, ergo viribus, & naturæ onerosa, at quæ criticæ sunt excretiones, erigunt potius vires, & naturam confirmant, ab eius dominio profectæ, vt docet Galenus in libris de crisibus. Quare explicaturus idem in commentario vigesimi aphorismi primæ particulæ condiciones euacuationis verè criticæ sex enumerauit, primam, vt fiat per sedem inferiorem, non per abscessum, secundam, vt per eam noxius humor, & redundans excernatur, tertiam, vt recto fiat tramite, quartam vt facilè toleretur, Quintam vt fiat cum coctione, sextam, vt in die decretorio. Sed immodica euacuatio non habet tolerantiā adiunctam, sed virium potius tonum labefactat, & ideo corrigenda venit, & remedijs emendanda, quod de signis criticis, quæ bona sunt, & bonum afferunt fructum, non esse faciendum decernebat Galenus. Proponit ergo ipse immodicam euacuationem tamquam symptomaticam, & proponit tamquam symptoma, quod potest immutare curationem, & ad se trahere mentis sollicitudinem, vt imminenti ab eo læsioni procedat obuiam. Et licet plures esse possint immoderatæ euacuationes, quæ febricitantibus facessunt negotium, duas tamen præ alijs considerandas hic acci-

cipiemus, quarum altera est nimia sanguinis per nares excretio, altera immodica per ventrem, & intestina euacuatio, quarum vtraque vt frequens esse solet, ita obesse plurimum valet. Cum sanguis ergo plus iusto fluit e naribus, multiplex oritur indicatio, nam consideratur & confluens sanguis, & diuisio facta in venis, per quas fluit, in prima consideratione oritur indicatio prohibendi confluxus, in secunda occludendæ diuisionis. Confluxus prohibetur, & per animi defectū, & per reuulsionem in contraria, & per deriuationem ad vicina, & per refrigerationem tùm corporis vniuersi, tùm partis potissimum afflictæ. Clauditur diuisio vel per contractionem diuisi, vel per obstructionem. Contractio fit adstrictione, refrigeratione, deligatura, vinculo. Obstruitur vel intrinsecus, vel extrinsecus, intrinsecus à sanguine concreto, extrinsecus & hoc ipso, & linamentis, & spongijs, & crustis, & medicamentis emplasticis, & corporibus his, quæ circum iacent, propius admotis. Hæc est vniuersalis Methodus compescendi fluxus sanguinis à Galeno in quinto Methodi accuratè proposita, qua in narium quoque hæmorhagia debemus vti, sic tamen vt documentum ab eo traditum obseruemus, ne statim fiat ad refrigerantia, & adstringentia profluenti particulæ admota accessus, ne sanguis intro cōpellatur, & venæ repleantur penitiores, sed prius fiat in alia membra auersio, & per sanguinis missionem, & per artuum frictionem, ac deuinctionem, & per cucurbitarū ad præcordia defixionem, & per cucurbitæ etiam in summa ceruice appositionem, antequam fronti, vel capiti refrigerantia adhibeātur. Quorum administrationem debebit præcedere repetita, si opus fuerit, sanguinis vel è manu, vel è pede detractio, paullatine facta magis ad reuellendum, quam ad euacuandum, vt vna, vel gemina vncia pro vice detrahatur, & vices sint plures, per venas etiam hæmorhoidales contulerit eductio, & per cucurbitulas scarificatas in partibus infernis, & in dorso, & per easdem siccas facta reuulsio, quæ poterit etiam fieri per extremorum lotiones & in frigida, & in calida, in illa ad constringendum, in hac ad attrahendum, & per dolorificas ligaturas, & per commemoratā cucurbitæ appositionem in hippocondrijs supra hepar, si è nare dextera fluxerit sanguis, supra lienem, si è finixtra, ac tandē per eiusdem in occipitio adiectionem. Quibus peractis intercipientia collo, fronti, ac temporibus obduci poterunt frigida, & sicca, vim adstringentem, & emplasticam obtinentia, veluti foret succus lactucæ, portulacæ, plantaginis, solani, rosarum, oxalidis, vel etiam aquæ cum portione trociscorum terræ lemniæ sigillatæ, & alia id genus remedia, quorum magna est, ac notissima sylua. Et circa nares apponere proderit celebre Galeni remedium, quod recipit aloem, ac thus cum oui albumine subactum, & pilis leporinis exceptum. Quòd si hæc omnia non fuerint satis, licebit accedere ad stupefacientia quoque, & vel duo grana laudani superius commemorati porrigere, vel semidrachmam theriacæ nouellæ, aut Phylonij romani, quia cum omnis immoderata euacnatio naturam valdè prosternat, tùm id præsertim facit quæ sāguinis talis est, quippe sanguis vitæ vinculum est, & spirituum seminarium,

rium, quibus euanescentibus omnis perit aura vitalis. Quo fit iuxta præclaram Hippocratis in libro de humana natura animaduersionem, vt in excedentibus purgationibus vltra omnem modum prouectis vltimus succus ex aluo egrediens fit sanguis, quia hunc natura tamquam proprium thesaurum cohibet quoad potest, & firmiter retinet. Verum tamen haud medicus debet magna quacumque sanguinis profusione apparente deterreri, & eam quasi magnum allaturam detrimētum vereri, quoniam multa in humano corpore continetur sanguinis copia, & copiosa valdè eiusdem euacuatio commodè solet perferri, nec multitudine sunt excretiones dimetiendæ, vt docet Hippocrates in primo aphorismorum, sed duabus illis ab eo inductis notis, excretorum conuenientia, & ægri tolerantia. Quin imo hoc habet proprium hæc sanguinis per nares excretio, vt non debeat esse pauca, si debeat esse fructuosa. Quod his verbis declarauit Hippocrates in primo Epidemiorum, Erant febrium ardentium pathemata hæc, quibus & copiosè per nares profusus est sāguis, hi ob id maximè seruati sunt, nullumque noui, si sanguis benè erupisset, hoc in statu mortuum. In Philisco si quidem, & Epaminonte, & Sileno tertio, & quarto die parum è naribus stillauit sanguis, & obierunt. Ex qua Hippocratis oratione apparet non modo largam sanguinis è naribus eruptionem esse potiorem parca, sed esse etiam vtilissimam ad sanandas febres ardentes, quarum maximè proprium esse Galenus dixit in commentario, vt magna ex parte per hanc euacuationem iudicentur. Mirari ideo subit Fernelium in secundo Methodi affirmantem hanc sanguinis eruptionem in synochis febribus conferre plurimum, in ardentibus autem negantem, & ad negationem eo nomine inductum, quòd non propriam morbi essentiam, & radicem euellat, in vitioso sanguine constitutam, qui non nisi postremus elabitur post vtilioris effusionem; vt ad illius eductionem necessaria sit magna profusio, & immoderatior, quæ summam virium dissolutionē habet adiunctam nusquam optandam. Non potest hoc Fernelij placitum placere, quia primo repugnat doctrinæ Hippocraticæ, & Galenicæ, secundum quam ostendimus hæmorhagiam maximum esse, & frequentissimum ardentium febriū remedium, quod ex quarto etiam de victu acutorum colligitur, secūdo quia videtur sibi met ipsi repugnare, dum facit prius vtiliorem sanguinem euacuari è venis, mox vitiosum, cum in tertio capite eiusdem libri Auicennam impugnans statuerit promiscuè quicquid in sanguine boni, maliue continetur vacuari phlebotomia ob omnimodā miscellam humorum in venis contentorum, quam etiam raro in crisibus fatetur dissolui, demum quia pertimescit largam sanguinis profusionem criticè factam, quasi necessarium virium dispendium graue inducturam, cum tamen Hippocrates docuerit non ad multitudinem excretionum esse respiciendum, sed ad excretorum congruentiam, & ægrotorum tolerantiam, sic innuens cum copiosa excretione critica commodam tolerantiam esse iure suo coniunctam. Quæ immoderatior est sanguinis profusio, non est benè critica, quia hanc natura facta totius naturalis æconomiæ domina regit arbitratu suo, &

ad

ad salutem ægrotantis dirigit, recteque disponit, cum est immodica, & cum tanto virium lapsu, vocari debet verius symptomatica, & proponitur à Galeno in illo 12. Methodi tamquam symptoma per accidens curationis immutatiuum considerenda, quia contingit aliquando fieri per nares tantam sanguinis profusionem, vt omnem modum excedat, non imperante, sed irritata natura, & loco emolumenti detrimentum afferat, vt solet etiam de sanguine per hæmorhoidas fluente contingere, Vnde Hippocrates in primo Epidemiorum modum dignoscendi ægritudines docens, & casus ægris contingentes recensens hæc duo coniunxit, sanguinis eruptiones, hæmorhoides, in cuius loci commentario hæc inquit Galenus. Quòd autem in fine capitis dixit, patet omnibus, nempè sanguinis eruptiones, & hæmorrhoides quomodo auxiliari quidem natæ sunt, ita & læsionem afferre vt didicimus. At de sanguinis profusione satis, nunc ad alui fluorem transeamus. Quem quidem negare non possumus sæpe salubrem esse, multorumque malorum depulsorem dum prauorum humorum colluuiem moderatè deducit, vt docet Galenus in tertio de crisibus, & apud Hippocratem legimus in Epidemijs multos à morbis alui deiectione liberatos, & extat præsertim in primo Epidemiorum eius testimonium, quo affirmat in pestilenti statu quattuor maximè signis fuisse ægros seruatos, vel per sanguinis e naribus eruptionē, vel per vrinæ concoctæ copiam, vel per ventris tempestiuam deiectionem biliosam, vel per dysenteriam. In quo vltimo casu morbus fuit morbi medela iuxta sententiam in libro de locis in homine. At non omnis alui deiectio salubris est, & exoptanda, quia multæ sunt nocentes, & auersandæ, vt legimus in Prognosticis, & in coacis prænotionibus, vbi frequentes, & multæ, frequentes, & paucæ deiectiones vocantur maleficæ, quia primæ deliquium animi, & virium exolutionem inuehunt, secundæ vigiliarum molestiam inferunt. Quinimo cum illa fieri soleat deiectionis diuisio, vt aut pauca sit, & frequens, aut multa, & rara, aut pauca, & rara, aut multa, & frequens, secunda sola approbatur, in qua multum, sed raro excernitur, quia hæc ratione multitudinis corpus euacuat, ratione raritatis vires non debilitat, nec insomniam facit, reliquæ omnes parū optandæ, quia malum saltem significant, & omnibus deterrior est vltima, quæ multam habet, & frequentem euacuationem adiunctā. nam cum nullam immoderatam vel alterationem, vel repletionem, vel inanitionem, vel qualemcumque mutationem commodè perferat natura omne semper nimium hostiliter auersata, & omnis moderationis amantissima ex Hippocratis decreto in secundo Aphorismorum: tum hoc facere minus commodè potest cum non solum magna sit excretio, sed per plures, & proximas vices repetita, vt nec mora sit ægrotanti, nec requies, sed perennis quædam molestia, dum noua semper deiectio excipit anteactam. Quo in casu quis non videt immodicam vrgere euacuationem, quæ tamquam symptoma habens rationem causæ lædentis habet facultatem indicandi? Fluxus igitur alui vt immodicus, & factus sine congruentia excreti, ac tolerantia excernentis indicat sui cohibitionē,

euacuationes præcipuè utiles in pestilenti affectu

vt

vt docuit Hippocrates in illo Aphorismo quarti, in Medicationibus talia educere è corpore, qualia spõte prodeunt, vtile, quæ verò contrario modo prodeunt, cohibere oportet. In quo aphorismo tres obseruare licet euacuationes insinuatas, naturalem, artificialem, symptomaticam, vt prima sit optima, si sit critica,& sit talis, si educat humores peccantes, & habeat excernentis tolerantiam adiunctam, secunda sit pariter bona, si sit primæ æmula, tertia sit absolutè mala, quia sit duabus primis dissentanea nec peccantium humorum excretiua, nec tolerantiæ compos, Vnde quantum primæ duæ fouẽdæ sunt, tantum vltima compescenda. Ac nonnumquam illud cõtingit, vt euacuatio incipiat naturalis,& euadat symptomatica, & hoc modo fit vt critica sit immodica, quatenus videlicet facta symptomatica.Quæ cum sit naturæ infesta debet arte cohiberi. In hunc finem conueniũt remedia paregorica, & contemperantia, conueniunt roborantia, conueniunt diuertentia. Primi generis fuerint iuscula pulli alterata sonco, cichoreo, Acetosa, plantagine, seminibus melonum, & serum caprillũ cum succo cichorei chalibeatum, Ad secundum genus pertinebunt inunctiones ventriculi ex oleo Masticħino, in quo absinthium sit incoctum, & fotus ex eodem absinthio, & rosis, & vnguenta confecta ex oleis stomachicis, & speciebus aromatici rosati, & diarrhodonis Abbatis, & modico vino maluatico, & ceratum dictum mastichinum, & si ventriculus æstum aliquem præsetulerit, adiungendæ inunctiones, & fomenta refrigeratoria, vt monet Galenus in octauo Methodi, vbi proponit ceratum melinum, & ex ænanthe, hypocistide, & balaustijs, & palmularum carne confectum. Hùc pertinent linitiones circa iecur ex vnguento sandalino cum succo cichorei dissoluto, aut ex refrigerante Galeni ad mitigandum visceris ardorẽ si fuerit, & exiccantes sacculi ad fricandum caput pro auersione catharri, si fuerit cui capiti post capillorũ derasionẽ poterit etiam applicari Emplastrum blandè attractorium. Roborabunt etiam intestina Clysteres detergentes, aliqua adstrictione præditi, & vim refrigeratoriam nacti. Ad vltimum genus remediorum diuersionem respicientium pertinent frictiones artuum, & lotiones ex decocto adstringente, cucurbitulæ hypocondrijs affixæ, sed hæc duo potissimum remedia validam in hoc vim habentia, vomitio, & vrinæ irritatio. nam vomitus mirã affert vtilitatem in alui fluxu fluentes materias in partem contrariam deducendo, vt ideo dixerit celsus in primo libro, ventrem vomitus solutum comprimit, compressum soluit, comprimit is vomitus qui statim post cibum est, soluit is, qui tardè superuenit. Ex vrinis autem copiosis maximum percipi fructum est auctor Galenus in commentario vltimi aphorismi quartæ particulæ, vbi asserit inde colligi alui fluentis,& siccæ remedia. nam cum Hippocrates in aphorismo dixisset mictionem noctu plurimam contingentem significare paruam deiectionem, explicabat in commentario Galenus, ventris humore distributo minorem fieri aluĩ deiectionẽ, & humidiore aluo existente vrinã fieri pauciorem, quia si per vnam viam humor excernitur, paucus remanet per alteram excernendus. Inde consulit vt in humidiore aluo

par-

parcus potus exhibeatur, & illi via ad vesicam paretur, veluti e contra in sicciore vt copiosior potus præbeatur, & distributio pro virili inhibeatur. Erit ergo optimum vrinam prouocare, & diureticis reddere vberiorem. Quod si fluor non concedat, non solum licebit vti medicamento ex succo, vel carne cotoneorum à Galeno in octauo Methodi proposito, sed etiam, si febrilis calor non impediat, bolo ex semidrachma theriacæ recentis ad sistendas fluxiones aptæ cum conserua rosarum veteri. Et vrgente necessitate quocumque modo aluus firmanda, quia ex effrænata excretione certa mors imminet, ex adaucta febri non incerta mali corrigendi spes superest, vt necessarium aliquando sit maiorem habere symptomatum, quàm febris rationem, licet hæc semper habeat essentialē, illa accidentariam tantum, & quasi muruò acceptam nanifcantur indicationem.

Conclusio operis cum appendice de Præsagijs febrium putridarum.

CAPVT Vltimum.



QVÆ hactenus dicta sūt, possunt omnibus hanc veritatem patefacere, non multiplicari indicationum numerum ex hac, quam sibi interdum symptomata vendicant, indicandi ratione, quandoquidem hæc non indicant nisi sub forma causæ vel augentis morbū, vel lædentis vires, vt cum Galeno in duodecimo Methodi ostendimus, & indicatio causalis præseruatoria est cauendæ læsioni futuræ intenta. Remanent ergo tres illæ solæ in febribus putridis attendendæ indicationes, vitalis, curatoria, præseruatoria, vt hic habeat locū celebre Aristotelis dictum in primo cæli, ipsa tria omnia sunt, & ipsum ter omniquaque. Quibus singulis explicandis indicationibus cū hucusque operam scribendo dedecimus, propositæ institutioni, quantum virium tulit nostrarum tenuitas, satisfecisse videri possimus. non enim propositum nostrum fuit vniuersum febrium putridarum argumentum ad huius tractationis redigere curriculum, quod vel ex eo colligi potest, quòd nihil de signis vel dignosticis, vel prognosticis locuti sumus, quia non viam docere voluimus cognoscendarum febriū, vel præcognoscendorum euentuum febres consectantium, sed, supposita febrium agnitione, Methodum Galenicam colligendarum indicationum, atque adeo, cum licet, adimplendarum efficere clariorem, vt hæc pars practicæ rationem, quàm Theoricæ videatur habere maiorē, & si quæ ad hanc scriptimus attinentia, in solum finem practicum fuerunt conscripta. Qui finis practicus habet vltimum illum artis finem, de quo nulla consultatio est, & qui est omnium consultationum meta, vt docet Philosophus in tertio æthicorum, & Galenus in libro de constitutione Artis, nempe sanitatem, quem sanitatis finem an consecuturi simus nec ne, pertinet ad facultatem prognosticam determinare. De qua non erit inutile aliquid breuiter attingere, & aliqua putridarum febrium prognostica signa (quando quidem in ipsorum incidimus mentionem) ad absolutiorem operis formam explanare, quamquam prognosis post collectionem

ctionem indicationum suum habeat locum ante factum remediorum appulsum. nam animaduertendum prius est, num deductis indicationibus liceat satis, vel nō liceat facere. Verum nos insistētes Galenicis in Methodo vestigijs eodem nimirū tempore & indicationes elicuimus, & congruentia ipsis præsidia subiecimus, communiori quadam ratione communia etiam de prognostico dicta nunc subiecturi. Cuius prognostici vsum maximè ab Hippocrate legimus commendatum in opere huic materiæ dicato, quia qui præcognoscit, & ægris prædicit præsentia, præterita, & futura, creditur res eorum optimè intelligere, & sibi maximam apud eos fidem potest conciliare, & ex præsentibus affectibus futuros præuidens effectus curationem optimè instituit, alijsq; prędicens immunem se ab omni culpa, ab omnique calumnia facit. At vis tota prædicendi in quibuscumque morbis in eo residet, vt docet in libro de constitutione Artis Galenus, vt inter se conferat Medicus, accurateque exploret Morbum, & Naturam, quasi duos Athleras in Agonem deductos, mutuumq; certamen obeuntes, & si morbum validiorem iudicet, pręsagiat mortem, si naturam, expectet vitam. Quam doctrinam in libris quoque de Crisibus abundè traditam in primo ad Glauconem repetens idem Galenus eam dicebat vno quidem verbo explicari, ad vsum verò esse maximā, & difficultate refertam, quippe morbi, & virtutis comparationem requiri, cum morbi victoriam sequatur mors, virtutis victoriam comitetur vita; sed ad hanc victoriam colliman dam, & pręnoscendam opus esse cuiusque quantitatem habere compertam, scitu quidem difficillimam, scripto non exarabilem. nam cum infinita sit hominum turba, & sua cuiusque sit in morbo, sit in virtute proprietas, qui hanc speret oratione posse complecti? In hac tanta corporum varietate fluctuat, & quasi cæcutiens oberrat humana imbecillitas, illius iudicij, quod difficile iure optimo vocauit Hippocrates, lumine dirigenda. Ac veluti apud Iurisperitos non potest lex vniuersalibus addicta omnes occurrentium casuum modos comprehendere, suisque decretis determinare, sed multos relinquit æquo boni viri iudicio decernendos, vt legimus in quinto æthicorum, sic apud Medicos non potest Ars omnes ægrorum proprietates colligere, sed eas cogitur Artificis solertiæ colligendas cōmittere.

Pensandus ergo vigor morbi, vt diximus, pensandus vigor naturę ad promendum futuri euentus iudicium, est naturæ quidem robur ex proprijs illius actionibus comprehendendum, à facultate vitali, naturali, animali prodeuntibus, & in primis ex pulsu, qui facultatis vitalis est opus, morbi magnitudo e suis symptomatibus colligenda, sed quatenus alterum altero pręualeat, morbus nempe naturæ, vel natura morbo, ex coctione, cruditative innotescet, vtraque ex proprijs excrementis agnoscenda. Verum, vt à communissima morborum forma ad peculiarem febrium putridatum, de quibus est sermo institutus, accedamus, illud primo dicere lubet pulchram methodum Communis prę-sagij de his febribus faciendi reliquisse nobis in quarto Aphorismorum Hippocratem, dum febres non intermittentes, ac tertia quaq; die inualescentes vocauit magis periculosas, sed quocunq; modo intermittentes nominauit periculo vacuas

nam de primis loquens, quæ non intermittunt, ac tertio quoque die inualescunt, non vocauit absolutè periculosas, sed magis periculosas, quasi considerandum relinqueret omnes quidem continuas esse periculo obnoxias, tamquam pendentes à putredine humorum intra vasa, & nullum relinquentes capiendę quietis tempus ob perseuerantem in venis putredinosum calorem visceribus præcipuis molestum, sed inter continuas esse peiores, & ad inferendam perniciem aptiores illas, quæ tertia quaque die inualescunt, tamquam pendentes à bilioso humore, super alios humores ferociente, & grauiora symptomata inferente, ignis omnia deuastantis æmulo, pituitosos, ac frigidos humores magnis excessibus in lædenda humana natura vincente, quam rem perlepidè expressit Plato in nono de Republica biliosum humorem fucum aculeatum nuncupans, pituitosum vero fucum aculeo destitutum. Cuius quidem biliosi humoris vel intra corpus morantis, vel extra manantis effrænem impetum, & molestiarum plenum insultum plenè idē rerum Medicarū vel ipso Galeni testimonio peritissimus auctor in Timæo descripsit, & Hipp. contemporaneus, & amicus Democritus, pari Medicinę studio affectus, pulchro dicterio, quo noxiū humani corporis exitiosumq; incolam appellauit bilem, delineauit. Vnde etiam factum est, vt multi veterum crediderint febres omnes à bile sola gigni, & esse huius dumtaxat humoris germina, quorum opinionem in secundo de differentijs febrium Galenus redarguit. In censu quidem illo febrium memorabili, quem legimus apud Hippocratem in sexto Epidemiorum, memorantem alias manui mordaces, alias mites, alias nō mordaces quidem, sed insurgentes, alias acutas quidem, sed ab ipsa manu deuictas, alias confestim perurentes, alias semper debiles, siccas, alias salsas, alias pemphidogees, aspectu graues, alias ad manum humidas, alias impensè rubras, alias valdè pallidas, alias liuidas, & alias istiusmodi, quæ quidem peiores sunt, & læthaliores febres, illæ omnes biliosi apparent humoris soboles, veluti ex Galeni constat commentario, vt verissimum quidem sit Hippocraticum in primo Epidemico dictum in febre continua morbos acutissimos esse, & maximos, & grauissimos, & maximè lætales, sed in ea potissimū febre continua, quæ à bilis putredine pendet, ideoque suas alternis diebus exacerbationes, successiuasque accretiones præfert. Continuarum ergo febrium magis periculosę sunt istæ, quæ tertij cuiusque diei exacerbationem experiuntur, quales sunt non modo vocati hæmitritei, sed tertianæ etiam continuæ, & causonides, siue ardentes, quæ igneum planè ardorem, & sitim omni opinione maiorem inuehentes præter alia sæuissima symptomata non tolerandum facessunt miseris ægris negocium. Quale certè non afferunt vel ipsæ febres synochæ, siue continentes, quoniam hæ proueniunt, dum sunt putridæ, à putredine placidioris humoris, nempè sanguinis, qui tanto est bile in furendo, sæuiendoque inferior, quanto aer est igne imbecillior, cum quibus elementis hos duos humores Hippocrates, veluti cum aqua pituitam, cum terra melancoliam, censuit in libro de humana natura conferendos. Hùc accedit quòd in febribus biliosis afficiuntur magis ea viscera, quæ biliosiórem continent sanguinem, qualia

præ

præ Cæteris sunt pulmo, atque cor, at in sanguineis afficiuntur illa magis, vbi magis sanguineus residet succus, quale constat esse iecur. Quæ omnia augent periculum, & magis ancipitem morbi reddũt euentum. Hæc igitur est febrium magis periculosarum indoles, vt sint continuę, & à bile oriundę, quod innotescit ex inualescentia alternis diebus facta, solius bilis propria. Sed transiens Hippocrates ad exponendas febres magis securas proponit eas, quæ quocunque modo intermittunt, hanc intermissionis rationem securitatis cõstituens cardinem, nullam accessionis vel singulis, vel alternis, vel alijs diebus factæ faciens mentionem, quia sola intermissio sufficit ad præstandam tutelam, qualiscumque fuerit accessionis ratio, & ideo dicit quocunque modo intermiserit, hoc est siue per quotidianam, siue per tertianam, siue per quartanam, siue per aliam circuitionem (nouimus enim & quintanos, & septimanos, & nonanos circuitus in primo Epidemico ab Hippocrate positos) nulla enim est circuitio tàm valida ad lædendum, quin validior sit intermissio ad resistendum, dum natura conseruando indiuiduo intenta vires tempore quietis recolligit ad nouam inuasionem sustinendam, instar Ducis in Arce confidentis, qui si oppugnetur assiduè, tandem succumbit, sed si hostium impetum videat interdum cessantem, vim resistendi denuo suscitat, seque aptum ostendit ad oppugnationem omnem irritam faciendam. Veluti ergo omnis continua febris, & præcipuè tertianis comitata exacerbationibus periculosa est, ita omnis intermittens nulla habita ratione dierum procul est à periculo, siue per plures dies, vt in in Quintanis, septimanis, & nonanis, siue per duos, vt in Quartanis, siue per vnũ, vt in tertianis, siue per partem diei, vt in quotidianis sit facta intermissio. Quæ quidem cum possit esse duplex, vel insignis febris diminutio, siue remissio, quam Galenus ἔνδοσιν vocat, vel eiusdem desinentia in infebricitationem, quam ἀπυρεξίαν nominat, vt patet in commentario tertio primi Epidemici, hanc secundam corpus ægri tunc temporis immune reddentem ab Hippocrate in Aphorismo induci animaduertit exponens Galens, hanc etiam rationem adducens, cur febres hac præditæ intermisione vacent periculo, quia videlicet nec ex inflammatione aliqua ortum trahunt, nec ex maligna humorum putredine, quarum vtraque causa tollit quietem febre vacantem. nam si inflammatio febrem excitauerit, hæc non potest durante inflammatione desinere, quia manente causa non cessat effectus, vt patet in febribus à pleuritide, vel Angina, vel peripneumonia pendentibus, & idem contingit si maligna fuerit humorum putredo. hæc enim est ea quæ fit in vasis, & in eis habet suam mineram, & focum, vt calor præternaturalis humorum putrefactorius, qui dicitur calor ambientis, resideat in tunicis vasorum, vbi resident humores, & spiritus, & faciat malignam putredinem tamquam in loco nobili, & pro animalis salute valdè momentaneo factam, imo factam in loco ad conseruandos humores formato, nec ad externas partes transmitti aptam, quia putrescens materia multa est, & crassa, & naturæ rebellis, & intemperies putredinosa suam habet in vasis impresionem. Malignus ergo ille calor venarum, qui vbi deberet conseruare, succos cor-

rumpit, malignus ille, qui vbi statim deberet decedere, moram trahit, malignus ille, qui vbi vitam deberet fouere, clam destruit. Hæc est communior quædam malignitas à Galeno in febribus continuis constituta, ab eo malignitatis genere disſita, quod ſupra conſiderauimus cum peſtilenti aliquo gradu coniunctum, Quæ communius dicta malignitas cõtinuitatem febribus impertit à viſcerum etiam inflammatione impertitam. Quibus malis condicionibus vel malignæ putredinis, vel inflammationis quia carent febres intermittentes à ſola putredine extra venas, & in externis partibus facta prognatæ, ideo euaſerunt à periculo immunes, cũ ſingulis acceſſionibus abſumantur particulares materiæ putreſcentes, & locum capiendæ quietis viribus conflictatis relinquant, eo melius reſtaurandis, quo diutius fuerint quieſcentes. Ex illarum igitur condicionum abſentia oritur in intermittentibus ſecuritas, ex quarum præſentia oriebatur in continuis periculoſa calamitas, nec illam ſecuritatem infringit Hippocratis in primo Epidemiorum auctoritas, vocantis quintanam febrem omnium peſſimam, ante tabem, & cũ tabe ius perimendi habentem, quã tamen conſtat longiſſimum habere interquieſcendi interuallum: non officit hoc, inquam, inſinuatæ intermittentium ſecuritati, quia non loquitur ibi Hippocrates de ſimplici Quintanæ aduentu, ſed de eius ad extenuatos homines, vel iàm tabe etiam infectos acceſſu, vt ſi ad quartanarium diù, multumque afflictũ quintana accederet ex reſiduo melancolici humoris ſuborta, foret nimirum exitialis, quia naturam offenderet iàm proſtratam, & noui inſultum morbi ſuſtinere nequeuntem, quem quidem interpretationis modum ſolertiſſimo etiam Valeſio video placuiſſe; vt febris huius diſcrimen nõ ex propria ipſius Idea proueniat, ſed ex modo potius inuadendi cum magna virium proſtratione coniuncto. nam Quintana ſuccedens morbis corporum maciem, & infirmitatem magnam inducentibus qui poteſt non eſſe perniciosa? quia licet ſit intermittens, & longum habeat quieſcendi ſpatium non habet tamen nec tantam intermiſſionem, nec tantam requietem, vt vires iàm fractas non pergat magis infringere, & in extremũ exitium adigere. At ſeptimana, & nonana acceſſio ob diuturnam quietis vſuram, & ob exiguam humoris actiuitatem tutior eſt, & ab inferenda naturæ violentia remotior. Tuta etiam foret Quintana, ſi ſola eſſet, & homini ſano accederet robur virium obtinenti, nam ſi quartana ſecuriſſima exiſtit, vt ait Hippocrates, & confirmat Galenus, cur non ſecura quintana, quæ longiorem habet infebricitationis morã, leuiorem putreſcentis humoris actiuitatem? ſed quia hæc interdum excipit præcedentem febrem vel Quartanam, vel tertianam, vnde vires ægri iàm collapſæ fatiſcunt, in tanta virtutis imbecillitate non poteſt non eſſe periculoſa, & diſcriminis plena, quia afficit quendã quaſi ſenem, ſi non annorum numero, ſaltem temperamẽto ob inſignem inductam in corpore ſiccitatem, & innati caloris inopiam, vnde ſuam deducebat ſenectutis animaduerſionem Philippus à Galeno pluries commemoratam, vt miſſum faciam lepidum Ariſtotelis dictũ in Quinto de generatione Animalium, omnem ſenectutem eſſe morbum naturalem,

talem, omnem morbum esse senectutem aduentitiam. At senibus nullus morbus est ob virium infirmitatem tutus, quantumcumque sit leuis, sed omnis ferè languescentem calorem euertit, cuius rationem rei affert in libro de vita, & morte Philosophus ab exemplo deductam exigui igniculi, quem leuis quæcumque aura afflando extinguit. Hic ergo euentus non ex parte morbi læthalis contingit, sed ex parte subiecti imbecilli morbum, qui suopte nutu securus foret, sustinere nequeuntis, quò respiciens Galenus in commentatio trigesimi Quarti aphorismi secundæ particulæ, in quo decernit Hippocrates minus in morbis periclitari, qui eos perpetiuntur suæ naturæ, aut ætati, aut consuetudini, aut anni tempori conformes, dubitabat de granedinibus, & raucedinibus, quas idem auctor in valde senibus dixerat paullo prius non concoqui, cum sint morbi tamen senili ætati congruentes, & soluebat dubitationē dupliciter, primo quòd non idem est non concoqui, & periculosum esse, deinde quòd non simpliciter senes dixit, sed cum additione valde. omnia enim esse in his periculosa ob virium imbecillitatem. Illud etiam adijciendum, esse quasdam intermittentes, quæ iuuenilem etiam ætatem trahere possint ad mortem, quales sunt quæ viscerum tumoribus, & schirris, & cardialgia, vel alijs id genus symptomatibus solent esse perniciosæ, sed hæc pernicies non ex earum pendet indole, sed ex adiunctorum affectuū appendice. Verum ad confirmandam Hippocratici dicti de intermittentium febrium securitate veritatem satis, superque est eas vt plurimum, & ferè semper omni vacare periculo, & raro admodum, rationeq; solum accidentaria euadere læthales, vel quatenus alios habent affectus adiunctos, vel quatenus ægros affligunt viribus destitutos, quarum condicionum prima ob passionis validitatem interimit, secunda ob patientis debilitatem. De continuis etiam illud non est omittendum, qualescumque illæ fuerint, habere quidem omnes periculum mortis annexū, sed nullam esse ferè tàm grauem, vt certam mortē habeat consequentem, quia febres continuę ad acutos morbos referuntur, At de morbis Acutis celebrem habemus in secundo libro aphorismum, non omnino certas esse prædictiones vel salutis, vel mortis, cuius dicti rationem adducturus in commentario Galenus animaduertit primo vsurpatam fuisse vocem illam non omnino, quasi non in omnibus certitudo insit, & paucæ ex multis prædictiones veniant excipiendæ, cum aliquando, quamuis raro, contingat Medicum etiam optimum aberrare, idque fieri ob duplicem causam partim ob subitā in crisi mutationem, quæ naturam humorum sequitur morbificorum, partim ob humoris noxij ex vno loco ad alterum factam interdum translationem inopinatam, quæ quia non contingunt in morbis longis, qui crassos frigidosque sequuntur humores, ideo ipsorum prænotionibus fidere magis videtur Hippocrates, quod non solum affirmauit Galenus, sed multo ante ipsum obseruauit Celsus, qui in secundo libro fallaces acutorum morborum aspiciens notas coniecturalem artē esse Medicinam decreuit, rationemque coniecturæ talem esse, vt cum sæpius aliquando responderit, interdum tamen fallat nos, nec id euitare

tare humanam imbecillitatem in tanta varietate corporum potuisse. Quam materiæ varietatem considerans Plato in Epinomide incertã vocauit Medicorum coniecturam, & vix rectæ opinionis nomine dignandam, & hinc etiam prodijt præsensionum distinctio, quã Aristoteles adhibet in libello de diuinatione per somnium, vt alijs quidem verbum, erit, respondeat, ideoque certam habeant veritatẽ; alijs autem verbum futurum est ideoque inopinatum etiam admittant euentum (hæc duo verba vsurpat Philosophus τὸ μέλλον, καὶ τὸ ἐσόμενον,) quæ distinctio si vlla in arte locum, in Medica certè habet maximum, quæ morbos iudicat in abdito, vt dixit Hippocrates in libro de arte, maiori ex parte delitescentes, & artificiosa quadam coniectura, quam in primo de locis affectis delineauit Galenus, ad qualemcumque notitiam redigendos. Quod præcipuè inter omnes morbos verum est de acutis, & inter acutos de febribus continuis, ad quar[illegible] tamen futurum euentum [illegible]uantum fieri potest præn[illegible]c[illegible] [illegible]um apprimè cõtulerit præter earum Ideã, motum, & magnitudinem, præcipuè morem attendere, vt diximus præcepisse in libris de Crisibus Galenum, ad quem morem videtur redigi celebre Hippocratis in libro prognosticorum præceptum de obseruatione, num aliquid subsit diuini in morbis, facienda, vt non solum cognoscamus qualis sit species febris, biliosa, àn pituitosa, an melancolica, intermittens, àn continua, qualis sit eius magnitudo, num sit intensus, an remissus calor febrilis, qualis motus, num celerem habeat, an tardum progressum, verũ illud maximè habeamus compertum, qualis sit eius mos in insita proprietate situs, num benignus, an malignus, qui ex subsequentibus accidentibus noscitur, in quibus annumerare oportet coctionis, & cruditatis signa. Mos igitur febrium venit potissimum reuocãdus in examen, quia plus hic valet, quã magnitudo, & motus earum, cũ debiles, & paruæ febres quandoque malignissimæ sint, omninoque perniciosę, & alię calidissimæ, & feruentes nil habeant nonnumquam periculosi. Hùc ergo spectans Medicus veritatem in præsagiendo vt plurimum collimabit, & veluti ad prędicendam mortem non parum excitabitur ab apparente in febribus more, qui non vulgarem malignitatem præferat, ita ad salutem pollicendam verget ex contrario more conspecto, si præsertim habuerit clara coctionis signa in vrinis apparentia, quæ in febribus præcipuè sunt conspicienda ex Galeni documento in primo de Crisibus, quibus signis tantum ipse deferebat, vt dixerit in commentario primo sexti Epidemiorum, tantam virtutem signorum ex vrinis in acutis febribus existere, vt & soli ipsi fides sit adhibenda. Quod affirmauit Galenus Hippocratici in primo Epidemiorum dicti memor, coctiones celeritatem iudicij, & securam sanitatem ostendunt, cruda verò, & incocta, & in malos abscessus conuersa aut acrisias, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortẽ, aut recidiuas significant. Nec mihi quis obiecerit cum signis coctionis, & cum vrinis bonis perire interdum homines in febribus malignis, quia cum Galeno in tertio de Crisibus responderim ex accidentibus consequẽtibus cognosci has mali moris febres, & inter accidentia præcipua referri coctionis, & cruditatis

tatis signa, hec posse in his febribus subesse vera, germanaque coctionis signa, quæ declarant dominantis naturæ vigorem, & si apparent, vel non sunt veræ coctionis indicia, sed fallacia præferunt specimina, malignitatis aliud extra promentis, aliud intra occulentis propria, vel non diu perseuerant, sed cito euanescunt, & sola perseuerantia signa solidam coctionem ostendunt. nam vrinæ, quæ ad breue temporis interuallum apparent coctæ, tantum abest vt salutem arguant, vt perniciem potius insinuent, quod Hippocratis in Coacis hæc præclara expresit sententia, Quæ ex improuiso sine ratione ad breue tempus vrinæ coquuntur, prauæ, atque omnino quicquid præter rationem coctum est in acuto, malum. Quod dixit Hippocrates non quod vlla coctio, quatenus coctio posit esse mala, quæ semper suopte nutu est bona, & bonum significat, sed quòd coctio imperfecta, breuique durans tempore facultatis infirmitatem innuat, humorisque contumaciam. Debent esse coctionis in vrinis signa perfecta in se, perfecta in tempore, perfecta in se, quia alia est coctio inchoata, alia manifesta, alia absoluta, prima solet esse in fine principij morbifici, secunda in augmento, tertia in vigore, in quo morbi tempore solet dari certa salutis significatio, eoque transacto nullus superest amplius mortis metus, vt cumulatè ostendit Galenus in tertio de Crisibus, quia cum iàm natura pugnauit, & expugnauit hostilem materiam morbificam, non potest amplius succumbere, dum apparuerunt coctionis completę cōpleta signa, quæ in tempore etiam debēt esse perfecta, vt constantiam, & firmitatem contineant, & naturæ verè dominantis certam victoriam ostendant, alioquin titubantis caloris, repugnantis adhuc materiæ, seque naturæ dominio subtrahentis argumentum darent; sed si vtramque habeant notam, vt perfecta sint in se, perfecta in tempore, perfectam afferunt consecuturæ salutis spem. nam ob nexum mutuum triū facultatum nostrum corpus regentium, cuius supra fecimus mentionem, tamquam nexus facultatum mutuò se labente temporis curriculo, & lædentium, & fouentium, ob hunc, inquam, nexum non potest vis vitalis tantum affici, vt ad mortem tendat; & immunem relinquere vim naturalem, vt integras coctiones obeat. Quamobrem rectè aduertenti nullus apud Hippocratem in libris Epidemiorum apparebit in quolibet pestilenti statu mortuus, qui optimas vrinas, quæ solæ sunt salutaria verè indicia, diu habuerit. Viderit ergo Fernelius, qui in putridis febribus, de quibus noster est sermo, nullo etiā malignitatis pestilentis vestigio comitatis, post vrinas diù cōcoctas vidisse se affirmat interitū consecutū, viderit ipse, & iudicandū Galenicis relinquat, num illa fuerint certa certæ coctionis signa, naturæ victoriam ostendentia, & morbi instantē declinationem vniuersalem, in qua nemo vel moritur, vel moriendi periculo amplius subijcitur, nisi offensionē faciat, & nouum in morbum incurrat, vt plenè docet Galenus in tertio illo de Crisibus. nam quid aliud monstrat vera, constansque coctio, quàm naturam fuisse in certamine cum morbo superiorem, eiusque vim omni morbi conatu euasisse potiorem? Sed superior, & potior pars quomodo potest succumbere, & ni succumbat, quomodo potest mors irrepere, quæ nil aliud est nisi

omni-


omnimoda naturæ prostratio? nam facultate vitali fatiscente, & in exitium ruente qui potest naturalis ita vigere, vt absolutam diu perficiat coctionem, si facultas naturalis, licet habeat in partibus vim insitam, nec aliunde influentem, indiget tamen ad sui conseruationem, vt docet Galenus in primo de locis affectis, alimonia à venis importata, contemperatione ab arterijs impertita? Sit ergo in coctione magnum ad salutem momentum, imo, si absoluta sit coctio, si vera, si constans, sit certum salutis nullis morbi insidijs irritum faciendum argumentum. Vnde iure clamat Hippocrates in fine prognosticorum, Nec verò latere quemquam debet, sed certo tenendum est, tecmiria, & alia signa quouis anno, & quouis tempore mala malum, bona bonum denuntiare, in cuius sententiæ explanatione annotat Galenus in hoc symptomata à signis dissidere, quòd symptomata & ex malis quodammodo fiunt bona, & ex bonis mala, signa numquã in contrariam naturam vertuntur, sed maioris, minorisve mali, aut boni testimonia sunt, vt vrinarum bona signa numquam mala euadant, nec mala bona, & ideo Græci signa simul, ac tecmiria vocent, ex quibus salus ægri, aut pernicies certa est, quæ vno nomine sint facultatum corpus gubernantium testimonia, quam imbecillæ sint, aut robustę, inter quæ etiam cruditatis, coctionisque signa continentur. Si fuerint ergo certa in vrinis coctionis signa, certam expectabimus salutem, ac tunc adeo certiorem, cum ab accedente pulsuum testimonio nacta fidem fuerit maiorem. nam Galenus non ex vrinis solum, sed ex pulsibus colligenda coctionis signa in nono, & vndecimo Methodi proponit, quæ in pulsibus apparent, cum maior agnoscitur in diastole, quam sistole velocitas, non in sistole, quam in diastole vt in principio febrium materia existente cruda, ideoq; multas fumidas fuligines depromente exclusionis per sistolem indigas, at inualescente calore, materiamque iam domitam accẽdente instat maior refrigerationis alliciendæ indigentia, vnde maior fit diastolis celeritas ex præclara Galeni animaduersione in tertio de præsagio ex pulsibus. Sic ex notis coctionis, & cruditatis salutem, vel mortem excerpere possumus, & ex eisdem etiam febrium breuitatem, vel longitudinem colligere valemus. nam vigente coctione, breuiora fiunt omnia mala, cruditate diuturniora. Vnde Galenus in commẽtario tertio Prognosticorum tribus de causis febres omnes fieri longas asseruit, vel ob aliquam particulam male affectam, & difficulter curabilem, vel ob humores crudos, crassos, & incoctos, vel ob errorem aliquem commissum, vt ex tribus contrarijs causis deducere earum breuitatem possimus, ex bona viscerum dispositione, ex humorum tenuitate, & coctione, ex recta victus ratione seruata. Sed hanc vniuersam materiam longitudinis, & breuitatis in febribus, omnibusque morbis optimè complexus est Hippocrates illo primi libri aphorismo, Accessiones, & constitutiones morbi indicabunt, & anni tempora, & circuitum successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant, & ex mox apparentibus sumuntur indicia, veluti in pleuritide si à principio statim sputum appareat, morbum breuiat, si mox appareat, producit. Et vrinæ, & alia excrementa, & sudores, & alia apparentia

rentia vel bonam morborum crisim, vel malam, vel breues, aut longos fore morbos ostendunt. Huius quidem Aphorismi ambitus, quod quærimus cumulatè explanat. nam vniuersam morborum catastasim, per quam eorum vigorem formamque omnem nouimus ad cognoscenda eorundem vniuersalia tempora nos ducentem, ex his quattuor nobis rimandam penetrandamq; proponit, ex idea affligentis morbi, ex anni tempore, ex successiuis circuituum incrementis, ex mox apparentibus signis. Ex idea quidem morbi, quoniam audito nomine Quartanæ, accessiones percipimus quarto quoq; die, tertianæ tertio quoq; quotidianæ singulo quoq; sibi mutuo responsuras, percipimus proprias cuiusque febris constitutiones ab inuicem distinctas, ex anni tempore, quoniam æstiuæ febres sunt, vt plurimum biliosæ, & breues, hiemales econtra pituitosæ, & longæ; & sub anni tempore intelligimus etiã temperamentum ægri, ætatem, vitæ formam, consuetudinem, incolatum, regionem, aeris dispositionem, quæ omnia cum anni tempore morbosas explanant constitutiones, accessionumque formas, ex successiuis circuituum incrementis, quoniam ex percepto accessionum incremento crescentis morbi, & aduentantis vigoris accessum percipimus, sed secundæ accessionis ad primam incrementum in his tribus conspicitur iuxta Galeni animaduersionem, in hora accessionis, in longitudine, in magnitudine, vt hora anticipet, longitudo extendatur, magnitudo conduplicetur. quæ tres condiciones si coeant celerem morbi cursum ad culmen properantem omnibus animum appellentibus insinuent. Ex mox apparentibus signis, quoniam cum hæc sint triplicia, vel signa salutis, aut mortis, vel coctionis, aut cruditatis, vel decretoria, ad quæ accedunt nuncupata affectionis significatiua, & asidentia, reliquorum omissa impræsentiarum cura, ad signa coctionis mentem conuertendo constitutionem morbi animaduertimus, eiusq; longum, vel breuem progressum, nam cito accedentia coctionis signa breuem fore morbum denunciant, cunctantia, seroque venientia longitudinem ostendunt, siue ad sputa pertineant, vt in affectibus thoracis, siue ad vrinas, siue ad alui excrementa, siue ad sudores, siue ad alias quascumque excretiones. nam hæc omnia signa si coctionem prætulerint, citoque apparuerint, bonam morborum iudicationem, breuemque constitutionem promittunt, at contraria ratione & primam malam, & secundam longam designant. nam coctiones, vt supra cum Hippocrate diximus, duo præstant, morbi securitatem, & iudicij celeritatem. Hæc est ergo breuisima Methodus Hippocratica colligendæ in morbis vel longitudinis, vel breuitatis vnico aphorismo comprehensa, à Galeno non solum in Aphorismi commentario, sed in libro etiam de Crisibus abundè explanata, vt respiciamus ideam morbi, vt anni tempus, vt successiua circuituum incrementa, vt mox apparentia signa, & hac methodo ducti dicamus tertianam ęstiuo tempore cum accesionibus asidue increscentibus, cum signis coctionis in vrinis cito apparentibus fore non solum alternis diebus diuexaturam, sed cito etiam desituram, at quartanam hiemali tempore cum accesionibus non increscentibus, cum coctionis signis non apparentibus fore non solum quarto quoq;

die afflicturam, sed in diuturnum etiam tempus sua mala protracturam. Remanet in præsagijs tertium problema examinandum, quod pertinet ad morbi terminandi modum, possumus enim ac debemus tria præscire, num salubris, vel lætalis, num breuis, vel longus, num crisi, vel alia ratione terminandus. non enim vnico modo terminantur morbi siue ad salutem, siue ad mortem, vt præclarè docet Galenus in tertio de Crisibus, qui tres modos salutaris finis proponit, primum factum per crisim perfectã magna aliqua euacuatione comitatam, secundum per crisim imperfectam morbi potius diminuti, quam aboliti auctricem, tertium per solutionem lento gradu, paullatineque inductam sine euacuationis accessu, & his tres alios modos læthales adiungit, primum quidem cum agitatione, & cum infausta vel excretione, vel decumbentia factum ad mortem per malam crisim perfectam, secundum cum perturbatione per imperfectam crisim in solum mali incrementum desinentem, tertium paullatine, & procul ab omni agitatione longo temporis progressu vitæ dissolutiuum, marasmi nomine insigniendum, quibus adijcit quartum modum repentinæ mutationis ad deterrius sine mag. a excretione, aut decubitu nomine iudicij non appellandum. Num igitur morbus per crisim siue perfectam, siue imperfectam, vel per solutionem paullatine temporis processu factam terminandus sit, conijcere licebit ex morbi specie, ex magnitudine, ex motu, ex coctione, ex cruditate, ex bono, vel malo virium tono; nam febres biliosæ, magnæ, celerem habẽtes progressum, signis coctionis comitatæ, cum virium robore iunctæ, criticis solent excretionibus definere, at pituitosæ, modicæ, moram trahentes, cruditatem præferentes, virium languorem inducentes lentam solutionem subire. namque crisis est opus naturæ validæ, ab acutorum humorum quodam quasi morsu percitæ, & ad expulsionem irritatæ, ad expulsionem, inquam, materiæ domitæ, & sub eius integram ditionem intercedente coctione redactæ, at cum natura languet, cum torpidi humores nullum ei stimulum admouent, cum cruditatis indicia vigent, quæ fuerit agitatio expectanda, quæ magna excretio, quæ omnino attendenda iudicatio? Languidus fit morbi progressus, & paullatina vel mali præsentis solutio, vel boni remanentis dissolutio. Quam quidem rem adeo luculenter in tertio de crisibus Galenus exponit, vt non solum an futura sit in febribus iudicatio aperiat, sed determinatum etiam iudicationis modum edoceat, & diem ipsum, horam ipsam exponat, vel quamcumq; aliam soluendi morbi rationem ob oculos ponat, vt qui librum non oscitanter legerit, nihil ad hanc necessarium notionem optare possit. Neque verò dicere omiserm ex his etiam, quæ in hoc capite diximus, magnam coctionis vim elucescere, & maxima dignam æstimatione apparere, nam in præcognoscenda febrium tum salubritate, vel insalubritate, tum breuitate, vel longitudine, tum terminandi vel per crisim, vel aliter ratione præcipuum habet illa momentum, & certissimum præbet depromendi iudicij argumentum, vt vigente coctione & certum, & citum expectemus salutis aduentum. Verum hic forsan insurrexerit aliquis obijciens superius dictum, nullam

Iam esse acutorum morborum certitudinem, solam remanere in præsagiendo febrium euentu rationabilem coniecturam, at nos responderimus hoc verum esse cum morbi sunt in suo vel principio, vel augmento, vel incipiente vigore, sed cùm plenè vigent, & consistunt, & exacta adsunt vel coctionis, vel cruditatis indicia, omnem demi ambiguitatem ob apparentem naturæ vel absolutam victoriam, vel omnimodam oppressionem, quarum altera non potest non habere comitem vitam, altera mortem, vt legimus in tertio de Crisibus. Quod si tunc etiam aliquid inopinatum contingere posse demus, satis est quòd vt plurimum, & ferè semper opinatus contingit euentus, & ars curat ea, quę talia sunt, non quæ infrequentissimè accidunt, vt in Aphorismorum commentarijs pluries testatur Galenus, quod illis etiam memorabilibus in secundo libro verbis exprimere voluit Celsus, si quid vix in millesimo corpore aliquando decipit, id notam non habet, cum per innumerabiles homines respondeat. Respondent sibi inuicem horum auctorum solidæ doctrinæ, & sunt in vtrisq; Hippocraticorum oraculorum obseruatrices mentes, & æmulæ, sed in Galeno præcipuè, cuius præstantissimis inhæsisse vestigijs numquam nos pœnitebit, ad perfectam artis tum notionem, tum administrationem certum aperientibus, & compendiarium aditum, quo iustissimo nomine tanti viri apud viros verè doctos maxima gloria floruit, floret, semperque magis florebit.

FINIS.





INDEX
Eorum, quæ in opere continentur præcipua.

A



Affectus

B

C

D

E

F

G

H

I

Materia

M

Pleni-

Putridæ

Q

R

S

T

V

Viribus

F I N I S.

LECTORI BENEVOLO.

QVòd nulla sit in libri marginibus annotatio, quam plurimi solent adhibere, id factum ex eo fuit, quod in ipso orationis cursu afferuntur Auctorum loci ad rem propositam confirmandam accomodati, vt non fuerit alia animaduersione opus, ne ad actum agendum videremur parati. Iam ab impressore errata non potuerunt euitari omnia, imò commissa multa, inferius annotanda, nam quædam leuiora omittemus, quæ præcipuè ad verba græca pertinent, eorumq; accentus, tuo solerti iudicio, humanissime lector, beneuolè correcturo relinquenda. Illud hic admonere libet in colligendis erroribus fieri mentionem paginæ, & lineæ, vbi extant, numerando vtramq; & numerum linearum intelligi ad vtramq; columnam pertinentem, vt si non sit in vna, quæratur in altera. Errata ergo ita corrigito. Legitur

In catalogo capitum libri secundi cap. 19. Rationum ab auctoribus venæ sectionem in febre pestilenti addutarum. &c. lege, Rationum ab auctoribus venæ sectionem in febre pestilenti improbantibus adductarum &c. pag. 14. lin. 26. libri. libris. p. 14. l. 23. commentarij. commentarijs. p. 15. l. 12. dissimulares, dissimilares. p. 9. l. 12. νυϐμεαγω, νυϐμενό. p. 10. l. 24. diuinxit. deuinxit. p. 11. l. 28. ανὶα, ἀνα. p. 11. l. 39. αιτιον, αιτιῶν. p. 16. in princip. cap. fallior, fallor. p. 21. l. 28. miscillam. miscellam. p. 15. l. 17. quæda. quædam. p. 18. in princip. cap. ipsorum. ipsarum. p. 28. l. 28. facescat, facessat. p. 32. l. 14. ιπὸ, ὑπὸ. p. 32. l. 14. & corruptionem, & corruptio corruptionem. p. 37. l. 25. διαπνοὴ, διαπνοὴν. p. 37. l. 6. rationes. rariores. p. 40. l. 17. reccenses, recensens. p. 40. l. 18. arrident, arridet. p. 40. l. 31. nuncupatis, nuncupantis. p. 45. l. 43. præter quam febris quòd fieri potest. præter quam febris fieri &c. p. 42. l. 43. despicatur, despicatui. p. 47. l. 36. Alter, aliter. p. 56. l. 40. febribus, febrilis. p. 57. l. 13. Hippocratis, Hippocrates. p. 58. l. 28. contingere, contingente. p. 63. l. 9. vtrumq; vtramq; p. 63. in rubrica cap. obseruandus, obseruandis. p. 64. l. 47. confusa, contusa. p. 77. l. 17. restitutionem. retusionem, p. 86. l. 20. Vini. vim. p. 87. l. 2. habeat. habeant. p. 91. l. 21. concensu. consensu. p. 92. l. 10. commossiones, commotiones. p. 107. l. 20. rationem ratione. p. 108. l. 3 phlegmones. phlegmone. p. 111. l. 21. præter, propter. p. 119. l. 40. reprehendis. reprehendit. p. 121. l. 20. inhibito, inhibitio. p. 123. l. 5. continentiam, continentium. p. 128. l. 24. compos. compote. p. 130. l. 27. vinum. virium. p. 139. l. 27. Hippocrates Hippocratis. pag. 137. l. 40. confertam, & effatu dignam, confertam, & copiosam. p. 150. l. 10. frigiditatem remissione. frigiditate remissiorem. p. 150. l. 39. expertim, expertem. pag. 153. l. 3. corpum totus, corpus totum. p. 164. l. 23. Vel victoria lecta. vel victoria læta. p. 164. l. 18. prugnis, pugnis. p. 166. l. 23. &, est. p. 167. l. 30. sanguis, sanguinis. p. 168. l. 33. inaniendi, inaniendis. p. 174. l. 43. inueherem. inuehere. p. 180. l. 34. animaduersione, animaduersionem. p. 184. l. 6. inhibeantur, inhibeatur. p. 187. l. 24. vt in. 1. lib. vt in hoc lib. p. 187. l. 31. distinctis. distincti. p. 189. l. 37. profecta, profectam. p. 198. l. 15. medicamentis, medicamenti. pag. 199. l. 8. obseruari, obseruaui. p. 206. l. 24. meatum. meatuum. p. 210. l. 30. illisionem, illitionem. p. 220. l. 30. deputato, depurato.

FINIS.

